

106
7
12

ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI

LIBRI TRES

DE REBUS AD DEUM SPECTANTIBUS.
DE PRIMIS PATRIBUS.
DE VIRIS ILLUSTRIBUS
IN VETERI TESTAMENTO.

AUCTORE

P. SCIPIONE SGAMBATO
NEAPOLITANO
SOCIETATIS JESU,

AD ERUDITUM VIRUM

DOMINICUM DE GEORGIO
V. I. Doctorem Neapolitanum.


חכסדת נגחה ביחה.



NEAPOLI MDCCIII.
Ex novorum Characterum Fusoria Officina Michaelis Aloysii Mutio.

SUPERIORUM PERMISSU.







ERUDITISSIMO; ATQ; ORNATISSIMO VIRO

DOMINICO DE GEORGIO

V. I. Doctori Neapolitano.

JO: HIERONYMUS DE ONUPHRIO SOC. JESU

PERPETUAM FELICITATEM.



I quis eſt, Vir ornatiſsime, cui plus nobiliſsimus hic Author debeat, Tu certè es unus: ſiquidem perierat egregium opus, ni Tu in lucem eduxiſſes. SCIPIO SGAMBATVS Vir omni diſciplinarum, atq; eruditionum laude florentiſsimus, ad linguas verò, & præcipuè Hebraicam addiſcendas ad

miraculum factus, præclarum istud, ac laudatissimum opus summo studio, atq; incredibili multorum annorum labore, composuerat. Verùm cum in publicam utilitatem prodere moliretur, mortalium fato; quibus nihil integrum, nihil diu constans, ac securum boni est, mente magno studiosorum dolore deturbatus. Quo morbo factum, ut ab incœptis desisteret, plurimosque annos obscurum, ac pulvere obsitum præclarissimum opus jacuit. Thomas Strozza, Vir & ipse multa eruditione conspicuus, sacraq; eloquentia vendibilis Orator, ægrè ferens quod tanti Viri, ac sodalis sui, & tam grande opus obsoletum jaceret, atque ignotum, & illius gloriæ, ac Societatis Iesu universæ, in cujus laudem illius editio plurimum cessura erat, & publicæ eruditorum utilitati consulere satagens, è tenebris vindicare, inque lucem ferre summa solertia aggressus. Cumq; jam typis ederetur, hic fato sublatus, iterumq; opus dum pareretur, veluti præfocatum, damnari iterum tenebris coactum est. Et sanè sine ulla revivificendi spe,

tan-

tantoque acerbius obſolevisset, quod jam pene editum, lucem amisisset. Adfuisti opportunè, Vir optime; & quà liberalitate, quà industria, ut optatum tandem diem videret, strenuè effecisti. Quocirca cui magis, quàm tibi nuncupandum, qui quodamodo parens extitisti? Nec umquam urgere omni conatu, diligentiaque omisisti, ut quàm citiſsimè prodiret: neque amplius tot eruditorum Virorum expectationem frustraretur. Quotidie ad nos querelæ deferebantur, quod tandiu desideratiſsimum opus, & si Gigantis partus esset, emitti tardaret. Sed queri desinant; jam editum, communique utilitati expositum.

Superesset nunc, ut ad tuas virtutes, ac præclaras animi dotes, quibus mirificè ornatus, stylum converterem. Sed vereor ne modestiam tuam, quæ principem inter eas sibi locum vindicavit, offenderem. Quin & abundè laudis eſse poteſt ipſa modestia: quæ uti in homine tot studiis exercito, tot disciplinis exculto, tot virtutibus ornato,

per-

perquam rara; ita rarum laudis, ac maximum argumentum eſt. Nam ſi te in adipiſcenda Iuriſprudentiæ laurea ſedulam dediſſe operam dixero; ſi ita humanis litteris delectari, ut nullus pene elegans libellus ſit, qui ad tuas manus non pervenerit: ſi ſacris, profaniſque hiſtoriis tanta ſciendi aviditate inhærere, ut ab illis nec infirma valetudo, nec tuorum preces; tibi metuentium revocari potuerint, ſi pietatem, animique moderationem; ſi liberalitatem, qua plures alii libelli in lucem prodierunt, addidero: parum fortaſſe erit, quod dixero: at cum te has omnes virtutes, ac decora modeſtia tegere, ſilentioque præterire aſſeruero, magnum oppidò affirmavero, quod ſolidam tibi laudem pepererit. quà cùm unicè delecteris, nolo tua te modeſtia fraudare. Vale. Neapoli Kal. Ianuarii Anni MDCCIII.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Michele Luigi Mutio supplicando espone à V. Em., qualmente desidera dare alle Stampe un nuovo Libro intitolato *Archivorum Veteris Testamenti libri tres, Patris Scipionis Sgambati Soc. Jesu*. Per tanto supplica V.Em. commetterne la revisione, e l'haverà à gratia, ut Deus.

De Ordine Eminentissimi

R. P. D. Benedictus Laudato Ord. Cassinens. revideat, & referat. 23. Junii 1701.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

AUctoritate Emin. Vestræ legi Librum, cui titulus *Archivorum Veteris Testamenti libri tres*: Opus posthumum R. P. Sgambati è Societate Jesu, ex omni parte redolens Auctoris profundam, nec facilè omnibus obviam doctrinam: Varia enim in eo aperiuntur Rabbinorum somnia, ac Thalmudistarum figmenta; quare cum ad Sacræ Scripturæ germanam intelligentiam satis utilem præparet viam, nec Orthodoxæ fidei, vel Christianis moribus quid contrarium sentiat, ideo, si ita videbitur Em.Vestræ, typis posse mandari censeo. Neapoli in Monasterio SS. Severini, & Sosii die 27. Junii 1701.

D. Benedictus Laudati Casinensis.

Stante relatione R. P. Revisoris, quod potest imprimi.

Imprimatur. Neap. 5. Julii 1701.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D: Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Michele Luigi Mutio supplicando espone à V. E., qualmente desidera dare alle Stampe un nuovo Libro intitolato *Archivorum Veteris Testamenti libri tres. Patris Scipionis Sgambati Soc. Jesu*. Per tanto supplica V. E. commetterne la revisione, e l'haverà à gratia, ut Deus.

Magnif. U. J. D. Antonius Pistoja videat, & in scriptis referat.

ANDREASSI R. GUERRERO R. MERCADO R.

Provisum per S. E. Neap. die 5. Julii 1701.

Portius.

Spect. Marchio ACERNI,

Et Spect. R. ANDREAS non interfuerunt.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

QUis erit unquàm, qui audeat mandatis tuis animo minimè libenti obtemperare, si rarâ temporum felicitate, ad commoda, salutemq; Populorum natus, quamvis omnia quodammodò possis, quæ profutura prospicis, quæque hominem beant, adeò nocitura quæque aversaris, ea tantùm imperare velis. Legi opus posthumum P. Scipionis Sgambati, cui titulus *Archivorum Veteris Testamenti libri tres*, &c. Phænicem hunc magno cinari, imò & Societati eæ debemus, ex qua veluti ex equo illo apud Trojam Majorum nostrorum æquè ac hoc Ævo prodière strenui bellatores, qui virtute pariter, ac fortitudine militantes profligaverint penè impietatem, atque inscitiam. Universo hoc in opere quod undique est elegantiæ, eruditionis, pietatisq; titulis ornatissimum nihil inveni, quod juri, majestatiq; Principis officiat; Proinde si tuâ sapientiâ approbaveris, ac tuqs jusseris, Princeps Excellentissime, dignissimum luce publicâ, atque oculis Literatorum puto. Neap. die 20. Septembris 1701.

Excell. Vestræ

Humillimus, atque omni obsequio addictissimus Servus

Antonius Pistoja Jurisconsultus, & Advocatus Neapolitanus.

Imprimatur, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON R. ANDREASSI R. GUERRERO R. MERCADO R.

Provisum per S. E. Neap. die 9. Septembris 1701.

Portius.

Spect. R. ANDREAS non interfuit.

ALOY.

ALOYSIUS ALBERTINUS
Præpositus Provincialis Societatis IESV in Regno Neapolitano.

CUm Librum, cujus titulus: *Archivorum Veteris Testamenti libri tres*, à P. Scipione Sgambato nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint, nos potestate nobis facta ab Admodum Rever. Patre nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, si ijs videbitur, ad quos spectat. In quorum fidem has literas manu nostra conscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

Neapoli Kalendis Septembris 1696.

Aloysius Albertinus.



AR-

AUCTOR LECTORI.



Eatus Hieronymus Hebraicas traditiones ad Genesim, & Palestinæ loca spectantes, ideo putavit sedulo colligendas, quòd in iis plurima esse animadverteret ad Sacras Literas illustrandas non mediocriter profutura. Hunc Ducem secutus, oblata legendorum Hebraicorum voluminum occasione, jussu, & auctoritate Majorum, ea conquisivi, & in hunc Librum contuli, quæ ad Veteris Testamenti Viros Sapientia illustres, eorumq; monumenta, ac libros pertinerent; ratus id non modo Sacris Studiis commodum, sed Christianæ quoque Religioni honorificum fore, quæ his Majoribus gloriatur. Accipe hæc ergo, Lector Christiane, non tamquam gemmas aliquas, aut arcana magno in pretio habenda (non enim tanti Christiano Theologo esse debet Hebraica Literatura) sed tanquam bordeacei panis fragmenta jussu Domini collecta ne pereant: Indicem Capitum, & Titulorum, de quibus agemus, hic subnecto.

DE PRIMA LINGUA, ET PRIMIS LITERIS.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

Ti-

Ti-

LIBRI TERTII.

AK-

ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI

LIBER I.

PRŒMIUM.



Apientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. *Antiquæ, ac Sacræ Gentis, in qua inde à conditi Orbis exordio ad Christi vsque tempora Sapientia, ac Religio viguit Archiua repetenti; & Censum Hebraicæ, hoc est, vetustissimæ omnis humanæ eruditionis ineunti mihi, nulla se se obtulit huic initio aptior sententia, quàm quæ modo est ex viri experientissimi, celeberrimique diuinis de sapientia Commentarijs indicata. Is enim erat Iesus Syrach; qui eius rei experimentum à tenera ætate cepisset, vt quidquid nobis de Veterum suæ Gentis Auctorum indagatione præciperet, ideo maioris*

 esset

esset auctoritatis, ac ponderis, quo vir omnium sua ætate sapientum, de quibus constet, maximus nil nos scripto doceret quod non exemplo ante docuisset. Nam de hoc domesticus testis eius Nepos ita prodidit. Auus meus Jesus postquàm ampliùs se dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt, voluit, & ipse scribere aliquid horum: *Is ergo, qui priscorum omnium lectioni sollicitudinem cæteris ampliorem, vt Nepos eius scribit, impenderat, quantum eius studij operæ pretium esset expertus, id nos etiam experiri cupiens, ita omne genus veterum scriptorum exquiri iubet, vt solis ijs vacetur, è quibus maior vtilitas constet, ac certior* Σοφίαν πάντων ἀρχαίων ἐκζητήσει, καὶ ἐν προφήταις ἀσχοληθήσεται. *Aliud* ἐκζήτησις, *aliud* ἀσχολία. *Illud est omnium diligens exquisitio, hoc est commentatio diuturna paucorum. Nam quia vbique virtutis medium est, extrema vitiorum, duo sunt æquè cauenda sapientiæ studioso, ne parum ne nimium: ne sedentem occupet lenta socordia; ne diu vagantem inquietus error abducat. Exquirat multa, sed vacet paucis. Adsit in plurima inquisitione sedulitas, sed non desit in tempestiua electione sobrietas. Nec sine delectu quicquam prodest inquisitio, nec sine inquisitione delectus omnium antiquorum sapientiam exquirat sapiens, sed in Prophetis vacet. Apte additur huic loco nomen hoc* Sapiens, (*quod quidem desideratur in Græcis*) *nam Sapientiæ studium sine sapientia constare non potest, & necesse est eum, qui Sapiens fieri optet, vt fiat, esse sapientem. Huius est enim statuere modum rebus, & scire quid, quatenus, quo sit modo, ac sine quærendum. Primum autem docemur Hebraicæ sapientiæ vetera omnia exquirenda esse monumenta, nec quicquam quod ad gentis huius spectet antiquas literas negligendum. Id mihi videtur ea quoque Christi voce non obscurè indicari, qua cum tot millia hominum in Monte pauisset, ad discipulos versus*: Colligite, *inquit*, fragmenta, ne pereant. *Fuit, vt perhibent, is Mons Thabor, in quo Semi (qui & Melchisedech putatur) fuisse antiquam Academiam Hebræi scribunt, in quo, & medius inter Eliam, ac Mosem Christus Solis specie fulsit, ceu legem inter & Prophetas, Euangelium.*

Ergo

Ergo is Mons veteris illius Hebraicæ Sapientiæ mihi videtur fuisse simulachrum, qui forte ideo Sanctus *à Petro, & in Euangelio vocatur* Excelsus: *quia vetus Gentis Hebraicæ Sapientia, & sublimis, & Sancta, & ab omni erat Sæcularium literarum affinitate secreta. Cæteri Palæstinæ Montes continuis iugis nectebantur, & sibi mutuo hærebant. Unus Thabor medius stabat, nullius attactum dignatus, nulli obnoxius. Quod igitur in hoc Monte conuiuium hominibus Diuina Sapientia exhibuit, huius ne minima quidem fragmenta quamuis hordeacei panis perire patiamur. Hoc est, ne ea quidem, quæ inter apocrypha censentur. Itaque Iesus Sirach, dum ait* occulta *grecè* apocrypha exquiret, *ea scripta etiam indicauit, quæ, vt ait Origenes, (Homil. 1. in Cant.)* siue quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto ferre de medio, siue quod essent de scripturis ijs, quæ vocantur apocryphæ, pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniuntur à maioribus traditam, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem. Supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palam est, multa vel ab Apostolis, vel ab Euangelistis exempla esse prolata & nouo Testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus, nusquam legimus, in apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipsis probantur assumpta. *Quæ vero sint eiusmodi loca noui Testamenti, quæ putentur à libris antiquorum Hebræorum extra Canonem, petita non pigebit, è Gregorio Syncello hic afferre, qui cum ex Henochi libro longissimum fragmentum protulisset, quod nos suo loco reddemus, hæc addit:* Ταῦτα μὲν ἐκ τοῦ πρώτου Βιβλίου Ἐνὼχ, περὶ τῶν Ἐγρηγόρων. Εἰ καὶ μὴ τελείως χρὴ προσέχειν τοῖς ἀποκρύφοις, μάλιστα τοῖς ἁπλουστέροις, διά τι περιττότερά τινα, καὶ ἀτριβῆ τῆς Ἐκκλησίας παραδόσεως ἔχειν, καὶ διὰ τὸ νενοθεῦσθαι αὐτὰ ὑπὸ Ἰουδαίων, καὶ αἱρετικῶν. Πλὴν καὶ ὁ μακάριος Παῦλος σπανίως ἐχρήσατο ποιὲν ἐξ ἀποκρύφων χρήσεσιν, ὡς ὅταν φησὶ ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους πρώτῃ Ἐπιστολῇ ἃ κτλ. ὁ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὓς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, καὶ τὰ ἑξῆς, ἐξ Ἠλία ἀποκρύφου. Καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐκ τῆς Μωσέως ἀποκαλύψεως. οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. Καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους, ἐκ τῶν Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων. Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ


ἀνάστα ἐκ νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. Ταῦτα δὲ ἡμῖν εἴρηται οὐ πρὸς ἄδειαν τῶν βουλομένων ἀδιαφόρως ἐντυγχάνειν· μὴ γένοιτο. Πολλοὶ γὰρ ἐβλάβησαν ἐν πᾶσιν αὐτοῖς προσέχοντες· ὅθεν ἡ ἁγία Θεοῦ Ἐκκλησία, καὶ ὁ χορὸς τῶν Θεοφόρων ἡμῶν Πατέρων ἐκώλυσεν ἐντυγχάνειν αὐτοῖς, ὥσπερ τῇ ἁγίᾳ Θείᾳ λοιπῇ γραφῇ· καὶ ἡμεῖς τὰς προγραφείσας χρήσεις ὑπὲρ τοῦ δεῖξαι μόνον τὴν τῶν Ἐγρηγόρων παράβασιν, καὶ τὴν τῶν γιγάντων ἀσέβειαν περὶ ἧς καὶ ὁ Θεῖος Μωσῆς μέμνηται, καὶ ὅτι δι' αὐτοὺς ὁ κοσμικὸς γέγονε κατακλυσμὸς παρεθέμεθα. *Hæc è libro primo Henochi de Vigilibus.* Et si non oportet omnino apocryphis intendere : maximè simpliciores, tum quia superflua quædam, & Ecclesiasticæ traditioni inusitata continent, tum quia corrupta sunt à Judæis atque Hæreticis. Et si Beatus Paulus quibusdam locis ex apocryphis interdum est vsus, vt cum prima ad Corinthios ait: quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, & quæ sequuntur: quæ sunt ex apocryphis Eliæ. Et in epistola ad Galatas, ex Apocalypsi Mosis : Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed noua creatura. Et ad Ephesios, ex apocryphis, quæ feruntur Jeremiæ : Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hæc verò dicta sint nobis: non vt ijs, qui promiscuè in ijs versari volunt licentiam demus: Absit. Multi enim his omnino fidem adhibentes noxam acceperunt. Quamobrem, & Sancta Dei Ecclesia, & Chorus Diuinorum Patrum, vetuit hæc ita legere, vt reliquam sacram scripturam; & nos ea loca, quæ retulimus, in eum tantùm finem adduximus, vt appareret, quæ Vigilum transgresio fuerit, quæ Gigantum impietas, cuius & Sanctus Moses meminit, & ob quorum scelera totius facta est orbis eluuies. *Verum hæc loca ex apocryphis esse prolata non omnes fatentur. Diuus certe Hieronymus ad Ephesios Cap.* v. *ad hunc ipsum locum, quem Gregorius citat, quærit vnde id Paulus acceperit.* Et qui simplici responsione contentus est, *inquit*, dicet, ex reconditis eum prophetis, & his quæ vocantur apocrypha, hæc loca in medium protulisse, sicut in alijs quoque locis illum fecisse manifestum est. Non quod apocrypha comprobaret; sed quomodo & Arati, & Epimenidis, & Menandri versibus sit abusus, ad ea quæ voluerat in tempore comprobanda, *sed postea*

difer-

disertè negat hunc locum se in apocryphis reperisse : Ego secundum paupertatulam meam omnes editiones veterum scripturarum, ipsaque Hebræorum volumina diligenter euentilans, nusquam hoc scriptum reperi *De loco altero ex prima ad Corinthios*, *quem citatum ex apocryphis Eliæ ait Syncellus*, *contra Hieronymus ostendit esse ex Isaiæ Cap.* lxiv. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Paraphrasim huius testimonij quasi Hebræus ex Hebræis assumit Apostolus Paulus de autenticis libris in epistola, quam scribit ad Corinthios; vnde apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione huius testimonij ingeruntur Ecclesijs Christi, de quibus verè dici potest, quod sedeat Diabolus in insidijs cum diuitibus in Apocryphis, vt interficiat innocentem. Ascensio enim Esaiæ, & Apocalypsis Eliæ hoc habent testimonium, & per hanc occasionem, multaque huiuscemodi Hispaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ oneratæ peccatis, vt Basilidis, Balsami, atque Thesauri, Barbelonis quoque, ac Leusiporæ, ac reliquorum nominum portenta susciperent. *Rursum de apocryphis Henoch*, *& historia Vigilum*, *quos filios Dei sacræ literæ nominant*, *Augustinus libro* xv. *de Ciu. Dei Cap.* xxiii. *cum dixisset : eosdem Hebraicè filios Dei*, *& filios Deorum vocari posse*. Omittamus, *inquit*, earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus vsque ad nos auctoritas verarum scripturarum, certissima, & notissima successione peruenit. In his autem Apocryphis, & si inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem non nulla diuina Henoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Judas Apostolus dicat; sed non frustra non sunt in eo canone scripturarum, qui seruabatur in Templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum. Cur autem hoc? Nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri; non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè seruasse. *Hæc Augustinus de apocryphis*, *de quibus seuera etiam Hieronymi sententia proponenda est*, *sic Paulam Letæ filiam instruentis* : caueat omnia

Apo-

apocrypha, & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, & multa admixta esse vitiosa, & grandis prudentiæ esse aurum in luto quærere. *Nihilominus Iesus Sirach omnium recensionem, & exquisitionem fieri suadet, nec periculo quemquam obijcit, qui & solum hæc tractare sapientem, & solis vult propheticis, idest receptis, & authenticis immorari. Nos igitur ita hæc Antiquissima recensebimus, vt nec memoriam præteritorum intercidere velimus, nec auctoritatem vllis conciliare figmentis, quod enim studio veritatis aggredimur, id non patimur ad patrocinium vllius mendacij detorqueri. Sed antequam hæc recensere incipiamus, necessariò præmittenda est de Prima Lingua diligens disquisitio, vt suo sermonis, & scripturæ genere antiquissima hæc edita fuerint, certò affirmare possimus.*



DE

DE PRIMA LINGVA, ET PRIMIS LITERIS.

CAP. I.

Sententia Hebræorum de Antiquitate Linguæ, & Scriptionis Hebraicæ.



Ebraicam linguam primam omnium esse plerique iure optimo existimant. Nam licet eum primatum Phrygiæ linguæ vendicare conatus sit Herodotus, illo Ægyptiorum experimento, quo puer in syluis educatus, atque à nemine loqui doctus Phrygio idiomate panem poposcit. Licet alij Scythicam linguam huic præponant, quæ scilicet gens cum Ægyptijs semper de antiquitate certauit; Ex quo etiam recens auctor Goropius Cimbricam, quæ Germanica est, primam fuisse contendit. Licet alij Sinicæ linguæ hunc honorem tribuant, quippe quod in illis ipsis regionibus Paradisus fuisse dicitur, & sint qui scribant adhuc apud eos nonnulla seruari Sinicè scripta ante diluuium, & columnis, vt ea ætas ferebat, insculpta, postea in libros relata; sunt hæc tamen eiusmodi, quæ priuatis opinionibus, ac testimonijs, argumentisque nitantur parum firmis, & constantibus. Nam ad Ægyptiorum experimentum quod attinet, nec satis fidelis est testis Herodotus, nec vnius pueri incerta syllaba tantam litem

fa-

facilè diremerit. Scythicæ verò, & Germanicæ linguæ, quî poteſt hic Principatus eſſe, cum nulla id veterum ſcripta teſtentur? Nam Goropius otio abuti viſus eſt, voces, quas à Latinis Germani habent, ad tempora traijciens priora diluuio. Certè hanc, quæ nunc in Germania vtraque, tum ſuperiore, tum inferiore in vſu eſt, linguam ante mille quingentos annos non vllam fuiſſe, longèque aliter eo tempore harum Regionum homines locutos, cùm alij docent, tùm vetuſtus codex in Cæſarea bibliotheca Vienneníi ante octingentos circiter annos ſcriptus, quo Euangelia Rhytmo Germanico redduntur. Is codex, niſi ex Euangelio eius ſententia ſciretur, à Germanis nunc vix intelligeretur, adeo cuncta aliter, quàm nunc loquantur, exprimit. Eſt igitur ſuperuacaneum vel antiquæ Scythicæ, vel Phrygiæ, vel vllius alterius linguæ nunc velle primatum defendere, cum neque ante duo annorum millia, quænam harum gentium linguæ fuerint, ſcire poſsimus. De Sinica quid dicemus? niſi interea, dum eius gentis annales non excuſſerimus, idem de ipſis, quod de Ægyptijs, & Babylonijs credituros, multa illos facere antiquiora, quàm reuera ſint. Quarè ita plerique perſuaſum habent, aut nihil nos ſcire poſſe de prima lingua, aut eam eſſe Hebraicam.

De hac igitur quæremus, quibus argumentis, indicijſque certò probetur, eam à Deo inſtitutam in Adamo. Et quia coniuncta linguæ eſt quæſtio de ſcriptura, de hac quoque nonnulla dicemus. Sunt autem de Hebraica lingua duæ aduerſæ, pugnanteſque ſententię. Altera eam facit mundo ipſo priorem, neque modo à Deo inſtitutam ante omnia, ſed cum ipſo Deo æternam. Altera contra recentiſsimam putat, & Græca ipſa recentiorem. Nam ſub tempora Regum Iſraëlitarum eam cœpiſſe contendit; ac longè aliam fuiſſe, quæ, in Ægypto verſantibus Hebræis, vſui fuerit: longè etiam diuerſam, qua in deſerto vſi, & qua à Moſe legem acceperint. Vtraque nobis eſt prius exponenda; deindè excutienda ſententia. Prior illa Hebræorum eſt, qui (allegoriâ quidem, vt apparet, ſed parum moderatâ) linguam Hebraicam æternam faciunt, dum eius elementa dicunt Coronæ Dei inſculpta fuiſſe inde ab æternitate. Eorum virtute, atque efficacitate mundum eſſe conditum. Quare id quod initio Geneſeos dici-

dicitur: ***In principio***, & Onkelos in Thargum vertit: ***Be Kadmin***, idest, ***In antiquis***, vel ***Per antiqua***, ipsi dicunt ad literas pertinere, quæ antiquæ, seu, quod idem sonat, æternæ fuerint. Quod & Picus expressit Conclusione 26. sic scribens: ***Quod dixit Onkelos Chaldæus Be Kadmin, idest, cum æternis, vel per æterna, xxxii. vias intelligentiæ intellexit.*** Sunt autem xxxii. viæ intelligentiæ nihil aliud, quàm elementa, quæ licet xxii. sint, tamen additis quinque duplicibus ךםןףץ & quinque vocalibus sonis (qui licet non scribantur, Elementa sunt) iure fient xxxii; Vel si mauis Elementa non vti scribuntur accipere, sed vt enunciantur, relictis quinque duplicibus, quorum nullum est in pronunciatione discrimen, ad viginti duas consonantes, quinque vocales longas, ac totidem breues adde; vt fiant triginta duo. Atque id aiunt primâ, & vltimâ Legis literis designatum, quæ sunt לב quod & *Cor* significat Intelligentiæ nomen, & numerum continet trigesimum secundum. Quare & Jetzinæ liber, qui de Creatione rerum agit hoc habet exordium in xxxii. semitis esse intelligentiam. Et R. Eliezer F. R. Iose Galilæi, hoc secutus, xxxii. modos statuit Legem explicandi. Qua de re antiquus liber Zohar antiquioris Auctoris Amenunæ Senis, qui de rerum Creatione scripsit, in hæc verba sententiam allegoricam recitat. ***R. Amenuna Senex dixit: Inuenimus duplex Beth Legis initio*** בראשית ברא, ***& statim duplex Aleph*** אלהים את ***Antequam Deus mundum crearet omnes literę erant conditę, & duobus millibus annorum Deus ex ipsis voluptatem capiebat, eas considerans. Et quando creaturus erat mundum, omnes ante ipsum steterunt à prima ad vltimam. Creaturus erat Deus alta, & humilia, grandia, & parua, ideo duplex Beth, & duplex Aleph initio positum est.*** Hæc Amenuna in Zohar initio.

Linguam igitur Hebraicam, eiusque elementa Hebræi quidam naturæ ipsi præponunt, & præficiunt; quos tamen si diligentiùs animaduertas, inuenies (exceptis recentiorum delirijs) Elementorum nomine Ideas principes rerum intelligere. Linguę vero Hebraicæ appellatione diuinæ mentis intelligentiam. Quando ipsis eadem

verba sunt, quæ locutionem externam, & quæ mentis conceptiones exprimunt. Linguam tamen Hebraicam esse antiquissimam, & Angelorum propriam affirmant. Hinc etiam septuaginta Interpretes, quo loco de diuisione populorum, & linguarum agitur: *Quando diuidebat Altissimus gentes; quando separabat filios Adam, constituit terminos Populorum iuxta numerum Filiorum Israel* verterunt græcè, Ἀγγέλων Θεοῦ *Angelorum Dei*. Et non desunt è nostris etiam scriptoribus, qui illud Pauli: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, explicent, vt hominum linguæ vocentur, quæ in hominibus cœperunt post Babylonicam confusionem, Angelorum verò Hebraica, quæ cœpit in Angelis, & seruata est inter Hebræos. Atqui Angelorum aliquam esse linguam etiam sonis in aëre verba exprimentem, probabile faciunt plurima, quæ ab ipsis sono prolata Sacræ literæ testantur, quæ non ita facilè alium sensum accipere posßint.

C A P. II.

Sententiæ nimium extollentis Hebraicam linguam correctio, & explicatio.

SEd antequam longiùs progrediamur, ab re non erit, offendiculum à limine amouere. Nam proculdubio insana sunt, quæ Cabbalistæ, Magi, ac cetera vanißima turba de literis Hebraicis, deque huius linguæ vi, atque efficacitate declamitant: dum eam non intra linguæ limites laudibus extollunt, sed ad cuiusdam potestatis arcanæ, diuinæque virtutis euehunt fictionem. Quod demum quid aliud est, quam fictis vera corrumpere, & in hæreses Gnosticorum, & Marcosianorum impingere, qui omnia literis condita esse dicebant, quorum ineptias S. Irenæus, & S. Epiphanius latè confutant.

In hac igitur quæstione primum illud ponendum est, nec probandum hoc loco, literas non existere separatas à materia, vt Pythagorici numeros, & entia Mathematica fingebant. Secundo ante Cœli, & Terræ creationem nihil extra Deum extitisse, quod non modo Christiana fides docet, sed Hebræi ipsi fatentur, & celebris

est

eſt apud eos ſententia ex capitibus R. Eliezeris cap. 3. עד שלא נבסא העולם היה קקב״ה ושמו כלבד *Quo vſque mundus non eſt conditus, erat Deus Benedictus, & nomen ipſius ſolum, hoc eſt ſola Diuinitas.* Itaque cum nomen Meſsiæ dicunt tùm extitiſſe, aliter ſunt accipiendi. Tertiò, ſi literæ, aut ſcriptio, aut lingua Hebraica aliquam vim habent, eam vel habere dependenter ab aliquo intellectu operante, vel citra omnem intellectus operationem. His poſitis pro quæſtionis ſolutione.

Statuo primò, independenter ab omni operatione intellectus, neque literas, neque pronunciationem vllam Hebraicam plus valere, quàm figuram, aut ſonum, quemuis deinde totam vim, atque efficaciam, quam habere poſsint literæ, aut voces Hebraicæ, pluſquàm aliæ, reſpectu alicuius intellectus eſſe tantùm in ratione ſignificationis, non in ratione actionis vllius.

Vtraque hæc poſitio eſt ex vera Philoſophia, ac Theologia deprompta, quam vt benè aſſerit Del Rio lib. 1. c. 4. q. 3. diſquiſit. Mag. omnes Patres, ac Theologi conſtanter docent, vno excepto fortaſsis Origene, qui lib. 1. & 5. contra Celſum, dum antiquitatem linguæ, ac gentis Hebraicæ tueri vult, deflectit ad Magicam vanitatem, affirmans: *verbis Hebraicis neſcio quam vim ineſſe ad effectus aliquos admirabiles edendos.* Pro aduerſa verò parte ſtant, vt idem ait, Magi, Cabbaliſtæ, Iudæi, Mahometani, atque ex Æthnicis Medici quidam, quos ſecuti ſunt è Chriſtianis Philoſophis pauci ſuperſtitioſiores, quos latè citat, ac refellit idem Del Rius.

Probatio facillima, & expeditiſsima eſt, quia ſaluari poſſunt omnia, quæ in mundo fiunt abſque ea efficacia phyſica ſermonis, aut ſcriptionis Hebraicæ, ergo ea ponenda non eſt. Nam nihil temere ponendum eſt præſertim in virtutibus, & facultatibus occultis rerum, quæ non ſunt fingendæ, niſi effectibus ſe prodant.

Præterea probari idem poteſt, quia ponere hanc efficaciam, ac vim, eſt miſcere, & confundere principia naturæ. Natura enim inſtituit voces tantùm ad manifeſtandos animi conceptus, characte-

res verò sunt adinuenti ad repræsentandum oculis id, quod sonus exhibet auribus. Quare nihil vltra operari possunt.

Dico igitur: Vis significatiua, quam habent soni, & literæ Hebraicę, sistit in sola instructione, seù doctrina, quam continent, non autem his addit, aut vim impetratiuam, aut imperatiuam, aut vllo alio modo operatiuam, nisi ex aliqua occulta conuentione forte cum malis spiritibus.

Probatur. Nam linguæ Hebraicæ nulla alia excellentia tribuenda est, quàm quæ conuenit linguæ; hoc est, aptè exprimendi res, & instruendi, ac docendi intellectum audientis: omnis autem vis impetratiua, vel imperatiua, vel alio modo operatiua in intellectum alterius, vel eius, qui scribit, aut loquitur, aut est fictitia, & falsa; aut si vera est, ex pacto est, & conuentione cum malis spiritibus. Quod enim non sit cum bonis patet, tum quia non reperitur eiusmodi operationum vsus inter viros Sanctos, quibus cum Boni Angeli libentiùs agerent; tum quia Ecclesia diuinitùs edocta omnes eiusmodi operationes damnat; tum quia denique Angeli Sancti alliciuntur, vt nobis faueant, nostris bonis operibus, non autem hoc vel illo sono, aut figura.

C A P. III.

Opposita sententia docens Hebraicam linguam non esse antiquam.

Opposita sententia Hebraicæ linguæ non maiorem tribuit antiquitatem, quàm sit Latina, quæ Græcâ est longè recentior. Primùm igitur ostendunt, quod & facilè euincunt, linguæ Hebraicæ popularem vsum desijsse post captiuitatem Babylonicam; & toto tempore Templi secundi Hierosolymis, atque in reliqua Hebræorum regione non eam linguam vsui fuisse, qua Prophetæ olim sunt locuti, sed alia ex illa, & Syriaca, atque Chaldaica maximè, sub has etiam è Græca, Arabica, Latina, alijsque conflatam; quæ Thargum vocatur. Id quod hæc argumenta fere docent.

Primum ipsa Thargumim. Licet enim Jonathan F. Uzielis, qui in Prophetas Thargum edidit, Onkelos, qui in Pentateuchum, &

& Ioseph Cœcus, qui in Agiographa, omnes sub finem Templi secundi vixerint; tamen eorum scripta non tam ex propria adinuentione, quàm ex publica Sacrarum Scripturarum, à Principibus Synagogæ fieri solita explanatione desumpta sunt. Solebat enim dum lector è suggestu Sacras literas Hebraicè legeret, assistens Princeps Synagogæ singulas periodos, vt à populo Hebraicè nesciente intelligi possent, ea lingua reddere, quæ tum vulgaris erat. Quin Hebræorum vetera scripta hoc etiam habent: plura Thargumim extitisse ante id, quod Ionathan collegit, sed hoc maximè placuisse. Cum igitur tempore Templi secundi Populus Hebraicus alia quàm Hebraica lingua sit locutus, credibile est eam mutationem linguæ factam esse tempore captiuitatis.

Secundo idem probant libri Sacri post captiuitatem scripti omnes lingua eadem Hebræo-Syro-Chaldaica. Nam & liber Sapientiæ ea lingua scriptus est; vt eius fragmentum, quod R. Moses Bar Nachman initio sui in Pentateuchum Commentarij adduxit, ostendit. Et de libro Tobiæ idem S. Hieronymus testatur, & de Ecclesiastico idem indicant sententiæ nonnullæ, quæ ex eo supersunt, lingua, qua sunt scriptæ; ex quibus idem de alijs conijci possit.

Tertio nomine eo tempore imposita Punctis, Accentibus, alijsque Grammaticis distinctionibus, quæ à scribis hoc tempore, Esdra primo auctore, sunt repertæ, omnia sunt eius linguæ recentioris, non Hebraica.

Quarto Iosephus lib. 3. Antiquitatum cap. 8. recenset indumenta Sacerdotalia, eaque vocat nominibus Syro-Chaldaicis, non Hebræis, & ita apud suos tum vocari indicans.

Quinto sapientes, qui fuerunt ab Esdra ad R. Iudam Nakkados, vocantur *Tanaim*, quæ vox Chaldaica est. Et eorum traditio *Mathnitha*, & *Barnitha*. Et quæ, eo tempore, ferebantur narrationes in Medrasisin habentur scriptæ Syro-Chaldaicè.

Sexto narrant tempore Templi secundi aliquot Oracula de Cœlo missa, voce, quæ audiretur, ad Summos Pontifices, quod genus ipsi appellant בת קול eaque omnia Syro-Chaldaicè.

Postre-

Postremo Christus Dominus sæpe in Euangelio loquens Syro-Chaldaicè inducitur, vt *Talitha cumi*, *Epphera*, *Lamma*, *Sabachtani*, quæ non sunt purè Hebraica. Sicut neque sunt: *Golgotha*, *Gabbatha*, *Akeldama*, *Mamona*, *Maranatha*, & alia.

Mutatam verò esse linguam facilè intelligitur. Iam pridem ab Hebræis, contemni cœperant lingua, & libri Sancti, ante captiuitatem; cùm Iosaphat coactus sit mittere per Oppida, & vicos, qui librum Legis circumferrent, ac docerent, & Helcias velut rem nouam produxerit è Templo librum Legis. Ac denique nihil frequentius occurrat, quàm Hebræos oblitos eo tempore Legem Domini. Atqui cùm semper diuturnitas temporis antiquum sermonem immutet, nihil est ad veteris linguę vsum retinendum efficacius lectione antiquorum librorum. Postquam autem è patrio solo translati in Babyloniam, & seruitute cogente Dominorum linguam discere adacti sunt, eo facilius omnis antiquæ purioris linguæ vsus, ac memoria sensim ex animo obliterata est. Verùm puto id quod in eare scribit R. Azarias in Maor Anaim cap. lvii. *Non habuere illis septuaginta annis libros vllos, Hebraicè scriptos, nec vllum modum discendi quicquam aliter, quàm Syriacè, quæ lingua erat vulgo nota. Sacri autem libri vt necessitas, vel quorumdam opportunitas, & studium tulit, Syriacè versi habebantur. Idque cùm grauibus erratis, ac mendis tum ad verba pertinentibus, tum ad res, vti solet in huiusmodi interpretationibus* accidere. *Cum verò postea Deus misericordiam suam rursus ostendit, excitauit Ezram scribam, qui legem restituit pristinæ puritati, & sinceritati; scripsitque illam lingua sancta, & literis Assyrijs. Quæ hactenus, vt scribit Cuzari lib. 3. cap. xiii. seruata fuerat in corde Sacerdotum, & Sanhedrin, ob necessitatem Iudiciorum, & controuersiarum dirimendarum. Hi enim tantùm Legis verba meminerant; reliquus Populus illas tantum reliquias Syriacè conceptas seruabat.*

Ante captiuitatem temporibus Regum, & Judicum linguam sanctam in communi vsu apud Hebræos fuisse nemini dubium esse potest. Nemo enim id hactenus in controuersiam vocauit, an Isaias ex ipsa verba scripserit, quæ nunc Hebraicè habentur, an simili ratione Dauid ea ipsa cecinerit, quæ nunc in manibus hominum sunt.

Li-

Licet enim Isaiæ vaticinia Hebræi dicant ab Academicis Ezechiæ scripta, id tamen nihil obest, cum ijs æqualis, & etiam superstes fuerit Isaias. Nomina quoque virorum eius ætatis ex originibus Hebraicis petita sunt. Extant nummi Salomonis tempore cusi, quorum alij literis Transfluuium, alij Assyrijs, quas vocamus Hebraicis inscripti sunt; Cæterum omnes linguâ sanctâ. Liber quoque: *Parche Noem*, scriptus ab Aben Habib, testatur, in Africa inuentum esse tumulum Ducis cuiusdam, Amasias Rex Judæ miserat, inscriptum Hebraicis carminibus eo charactere, ac lingua, quibus nunc Hebraicè scribimus. Denique si tùm quoque Syriacè locuti essent, non Hebraicè; quid erat causæ, cur Viri Ezechiæ Regis dicerent Rab Sace Legato Regis Syriæ, ne loqueretur Judaicè, sed Syriacè, ne intelligeret populus, se enim Syriacè nosse. Atque hactenus quidem certum. Controuersia est primo: an Lex eâdem hac lingua tradita sit à Mose; ac proindè an in exitu ex Ægypto hanc linguam secum tulerint Hebræi. Secundo: An Abraham hac lingua sit locutus. Tertio: An Adam. Primum videtur in dubium posse reuocari ex causis aliquot. Prima est, nam diuturnitas temporis, clades, varia seruitus, quæ inter exitum ab Ægypto, & Regum tempora incidit, credibile nobis faciunt, linguam eamdem toto illo tempore non potuisse retineri. Atqui Regum ætate constat, hanc linguam, qua libri Sacri scripti sunt in vsu fuisse, proinde prius aliam, aut certè hanc longè aliâ formâ viguisse oportet. Nam si Romæ, cum summa libertas, & pax in Urbe floreret, sexcentis annis fere ter lingua mutata est; aliter enim sub Romulo; aliter sub Decemuiris Legum condendarum; aliter locuti sunt quo tempore Accius, & Pacuuius vixere, aliter quo Cicero. Quis credat annis paulominus mille ab exitu ex Ægypto ad Sedeciæ Regis tempora, Hebræos inter tot mutationes Reipublicæ, & captiuitates, interque tot aduenas, quibus mixti erant, eâdem lingua vsos? Altera ratio est ipsorum Hebræorum auctoritas. Nam ex ijs quidam primarij docent linguam Chananæorum fuisse Hebraicam. Aben Ezra in illud Isaiæ: *In die illa erunt quinque Urbes in Terra Ægypti loquentes lingua Chanaan*. Scribit, hinc apertè colligi Chananæos olim locutos lingua sanctâ. Quoniam vero constat He-

Hebræos egressos ex Ægypto linguam Chananæorum ignorasse: *Dum exiret de Terra Ægypti, linguam, quam non nouerat audiuit*, hinc fieri linguam sanctam ijs tum fuisse peregrinam; ac proindè non eâ linguâ, tùm locutum esse illis Mosem, sed posteaquam in Chananæam venerint, & eam linguam didicerint, legem versam in eam linguam. Alij ex Hebræis docent legem traditam esse linguis LXX., qua de re longa, & anceps disputatio est apud illos in Lutz cap. VII. pag. 33., & in Berachoth cap. II. apertè dicitur in Thosephoth: *Omni lingua data est Lex in Sinai: Quia singula Præcepta audiebantur septuaginta linguis.* Alterum verò de Abraham multo difficilius est. Nam quis credat eadem lingua Abrahamum locutum, qua Hebræos in Exitu. Certè enim Abraham ea lingua loquebatur, cuius consuetudo apud Chaldæos vigebat, vndè venerat. Atqui eam linguam semper apud eius posteros permansisse absque vlla immutatione vix credi potest. Diuturna enim Abrahami peregrinatio, & deindè Isaaci, & Jacobi; postea verò Israelitarum seruitus in Ægypto tam longa, non patitur facile credi eiusdem linguæ vsum perseuerare potuisse. R. Moses Bar Nachmani, commentatio in illud Geneseos XLV. cum Josephus ad fratres ait: *Vos videtis, quia os meum loquitur ad vos*, scribit Josephum, cum hæc diceret locutum esse cum fratribus Chananæorum lingua. Aut igitur ea erat lingua sancta, aut non erat. Si erat, vt Ramban putat, profectò lingua sancta Abrahami lingua non erat. Si Chananæus sermo non erat lingua sancta, vel hinc agnoscimus aliam fuisse linguam filijs Jacob familiarem, quam hæc sit, quam sanctam vocamus. Præterea si Abraham, & Jacob hac lingua locuti sunt, quæ causa fuit cur non omnes filij Abrahami eandem linguam retinuerint. Nam constat Chetura, & Agar filios alia lingua vsos, ex quibus Ismaelitæ, aliæque gentes ortæ sunt. Certe Lacedæmonij gloriantur se filios Abrahami, nec tamen Hebraicè constat vnquam locutos. Postremo incredibile videtur hanc eandem linguam ante Abraham viguisse non modo à Noe vsurpatam, sed etiam ab Adamo, vt sæculis ante diluuium nulla alia lingua hominum fuerit quam hæc. Nam eius rei nullum certum argumentum afferri potest. Contra vero est quod scimus in Turri Babel omnes linguas esse permix-

tas,

tas, & Sacræ literæ non adnotant prius omnes locutos esse Hebraicè, sed tantum eandem omnium fuisse linguam. Addo quod lingua hæc tum insuauis, tum inops, tum incommoda est rebus enunciandis, vt minimè credi possit etiam in Paradiso nullius alterius melioris linguæ copiam homini factam. Hæc sunt quæ obstant, ne lingua Hebraica putetur ante omnes cum ipso Adamo condita.

CAP. IV.

Linguam Hebraicam institutam esse à Deo in Adamo duobus argumentis ostenditur.

HEbræorum tamen commune dogma est Hebraicam linguam à Deo in Adamo institutam esse, & ante diluuium vsque ad Babylonicæ Turris extructionem solam, atque immutatam perseuerasse; deinde alijs familijs, alias linguas repentè suscipientibus, solam familiam Heber veterem linguam retinuisse; quæ per Abrahamum ad Israelitas deriuata sit. Id primo apud eos veterum traditione probatur. Nam quod spectat ad captiuitatem Ægyptiacam, tùm nihil eos de veteris linguæ vsu immutasse apud ipsos pro certo statuitur. In capitibus R. Eliezer in fine cap. LVIII. Melchita, in sect. *ingredere.* Tanchuma in lect. Balac, Scir Hascirim Rabba, & alij veterum habent hanc sententiam גם במצרים לו שם את לשונם *Etiam in Ægypto non mutauit suam linguam.* Insignis inter eos Theologus Cuzan adnotat, cæteras linguas esse hominum inuenta, hanc vnam esse Dei opus, & vnà cum Adamo creatam. Adducens in id verba illa è Genesi: *Et factus est homo in animam viuentem*, vbi Onchelos reddit *in animam loquentem*. Et ita quodammodo cognitam, & concreatam volunt homini linguam hanc. Verum hoc quibus argumentis ostendatur accuratiùs percipiendum est.

Primum huiusmodi est. Ea lingua initio mundi fuit, qua Lex data est; atqui Lex data est hac eâdem Hebraicâ linguâ, quæ nunc extat; hæc igitur lingua initio mundi fuit. Propositio maior inde probatur, quia

quia nomina multa primorum hominum dicuntur ex his, vel illis verbis deducta. Ut *Adam*, quia de terra sumptus est; quæ Hebraicè *Adama* dicitur. *Chaua*, quia Mater viuentium, viuere enim est Chaia. *Cain* quia possedi hominem. Possidere enim est *Cana*, & plura eiusmodi. Item Mulier dicta est: Iscia אשה, quia de viro sumpta est, qui vocatur: Isc איש quo argumento vtuntur in Berescith Rabba sect. XVIII. *Et vocabitur mulier. Hinc habes quod Lex data sit linguâ sanctâ. R. Phinees, & R. Chelchias in ore R. Simeonis dixerunt, si verum est Deum dedisse Legem linguâ sanctâ, ergo mundus quoque factus est linguâ sanctâ. Audistine vmquam, quod Græcè, à* γυνὴ *sit* γύνιος *vel ab* ἄνθρωπος, ἀνθρωπία *vel Syriacè à Gabra sit Gabratha, sicut est Hebraicè ab Isc Iscia*; Licet enim coacti sint etiam interpretes illud imitari, vt Græcè ἀνδρίδα ἀπὸ ἀνδρὸς, & Latinè Viraginem à Viro dicerent, & Germanicè Männer à Mann, tamen hoc imitatione factum est præter linguæ consuetudinem. Græcè enim γυνὴ non ἀνδρὶς, Latinè Mulier, non Virago, Germanicè Weib non Männer dici solet. Responderi posset huic argumento, Mosem vertisse Hebraicè conuenientibus verbis nomina, seruata origine, atque Etymologia, quam in primigenia lingua habebant. Ut si noster Interpres in Euangelio Nomen Jesu, Latinè vertens Saluatorem dixisset; hoc modo. *Et vocabis nomen eius Saluatorem, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Non proindè quis benè argumentaretur Euangelium Latinè scriptum esse, aut Angelum Latinè locutum. Sed quamuis hoc modo fatear eludi posse vim argumenti, tamen non puto quemquam fore, qui audeat negare Adamum reuera Adam, hoc est his ipsis syllabis vocatum, & ita Chauam, & Cain, & Abelem. Nomina enim propria Sacræ literæ non mutant, & barbara suis syllabis exprimunt, nec vertunt Hebraicè. Quod si tantum concedatur Adamum; ac reliquos his ipsis nominibus vocatos, res videtur omnino certissima Hebraica lingua eos locutos. Assumptio quoque eodem argumento probatur, nam constat eas radices, à quibus Adami, Euæ, Caini, Abelis nomina deriuantur, esse huius linguæ, qua lex data est, & qua nunc scripta habetur. Alterum opportunè adnotat Berescith Rabba sect. xxxI.

Mo-

Mosis quando dixit illi Deus, fac tibi serpentem, & non explicauit, dixit apud se, si ego ex auro fecero, non conueniet linguæ nostræ. Nec si ex argento. Sed si fecero æneum congruet. Hinc scriptum est, & fecit Moses נחש נחושת *Nachas Nechoscetb, idest serpentem æneum. Hinc disce legem datam esse lingua sancta R. Phinees, R. Ezechias, R. Simcha dixerunt, si Deus dedit legem linguâ sanctâ, factus est mundus linguâ sanctâ.*

Alterum argumentum id esse potest. Illa lingua ab initio mundi fuit, quæ Deum sui prodit auctorem, atqui hæc lingua Hebraica Deum sui prodit auctorem, ergo ea potissimum ab initio mundi fuit. Maior propositio certa est. Nusquam enim constat Deum vllam linguam instituisse, postquam hominem condidit. Itaque si qua lingua ostenderit se à Deo institutam, ea profecto cum homine ipso nata, & condita est. Aut ostendant, qui hoc negant, quando Deus linguam vllam condiderit. Minor ostendenda est, quod sic aggredior. Constat Hebraicam linguam multis rebus, & conditionibus esse iure admirabilem, & prodigij plenam. Primo quod nulla lingua aptius Dei arcana simul explicet, atque inuoluat, ita vt sententiam vnam Hebraicè apertissimè sonantem, septies Græcè, aut Latinè reddere possis, & numquam vim illius assequaris. Quod ostendunt infinitæ propemodum versiones. Secunda, quòd nulla sit lingua, cuius & literæ, & formæ verborum, & modi tot habeant obseruationes, tot varia in ijs latentia secreta; quæ non vacat exequi, quia nec in re nota necesse est. Ut iure vocari possit hæc Theologiæ ipsius lingua, quæ nihil habeat in quo Sapientiæ diuinioris arcana non lateant. Verba quæ motum, & actionem significant pleraque defectiua sunt, quia motus est actus entis in potentia quatenùs in potentia. Præsenti caret, quia nullum tempus vocari potest præsens. Futurum addito, Vau, vertit in præteritum, & præteritum eodem modo in futurum. Ideo quod Vau significet rerum conuersionem, nexum, ac periodum, ac vicissitudinem, qua futura prætereunt, & præterita reuertuntur. Denique in Kabbala apparet, quàm admirabilis structura, & versatilis aptitudo sit vocum huius linguæ in qui-

bus ille plus quod miretur reperit, qui & diligentiùs & perspicaciùs intuetur. Tertio linguæ huic sicut propria est simplex veritas, non enim patitur ambages, & ambitus illos Græcanicæ loquacitatis, nec verborum inanem seriem ex longinquo pendentem, sed breui aperit mentem loquentis, nec periodum habet nisi bimembrem, aut vno potius versu constantem. Ita eiusdem propria est singularis verecundia, ac modestia, quia nihil turpe, & obscœnum admittit, aut patitur. Ob quam causam dicta est sancta, vt quidam putant. Postremo perfectio admirabilis huius linguæ se prodit, tum in breuitate, nulla enim breuior eorum, quæ comparari possunt; tum quia sola omnem habet pronunciationem. Rectè enim adnotat Abraham de Balmis in suo Mikne Abram, nullam esse humanam pronunciationem exteriorem litera, Vau, quæ extremis labijs pronunciatur, nullam interiorem litera, Aleph, quæ pronunciatur quodammodo in pectore. E quatuor enim adspirationibus, He, in palato, Chet, in faucibus, Ain, in gutture, Aleph, pronunciatur in pectore. Quicquid est autem à pectore ad extrema labia diuersis literarum pronunciationibus aptatur. Et quamuis aliquæ sint pronunciationes apud alias gentes, quas Hebraica lingua ignorat, vt Ce, & Ge Latinum apud Italos Romanos, & Arabicum Gim, & Gallicas diphtongos, ac triphtongos, tamen id non obstat quin pronunciatio illa perfecta sit, quæ omnia loquutionis instrumenta moderato vsu exercet. Hæc igitur lingua, de cuius admirandis numquam satis à quoquam dictum est, neque casu, neque humana industria adinuenta credi potest: sed vt solent perfectissima quæque ad Deum auctorem est iure referenda. Procul ergo abest, vt quis sibi persuadere possit hanc linguam in Turri Babylonica ex permixtione, ac Dei vindictâ natam, & pœnæ loco homini inflictam potius, quam loco muneris ei concessam.

CAP.

C A P. V.

Tertium argumentum ex eo quod Mater sit omnium linguarum.

TErtium argumentum id esse potest. Ea lingua ab initio mundi fuit, quam constat fuisse ante omnes, quæ ab hominum memoria notæ habentur, atqui Hebræa eiusmodi est. Ea igitur ab initio mundi fuit. Maior videtur assensu digna. Nam si qua lingua sit, quam constet ex nulla alia verba vsurpare, ex illa verò alias omnes linguas prima vocum Themata magna ex parte duxisse, constabit etiam eam linguam aliquando fuisse communem omnibus, ac proindè ante linguarum permixtionem quando vnum labium erat omnium, & vnus sermo. Minorem autem probare prolixum esset per omnes linguas euntibus, cum neque ex ijs vllam callere nos profiteamur, & valdè paucas vtcumque scire. Sed compendio rem tractantibus sat erit dicere, Syriacam, Chaldaicam, Phæniciam, Punicam, Arabicam omnium eruditiorum Iudicio Hebraicæ linguæ soboles, ac propagines esse. Apud cæteras verò passim infinita verba occurrere Hebraicæ originis; id quod à nobis nunc raptim, vt memoriâ valebimus, in Græcis, Latinis, & alijs aliquot vocibus adnotabitur. E paucis radicibus literæ א, אביב *Auiu* Hebræi dicunt germen, viuificam vim arboris, ac pullulantem Aprili mense terræ feracitatem. Quis non videt hinc latinè dici: *Viuo*, & *Viuus*, Italicè: *Auuiuare.*

אבה *Aua*, est ipsum Latinum *Aueo*, significat etiam libidinem, vndè pars corporis generationi seruiens ὠὰ Græcè dicta; Hebraicè *Euiona:* אביונה Ex hoc verbo Jouem dictum putant, & quidem *Ioue* Hebraicè est *Volet* Deut. xxix. u. 20. *Non volet Dominus parcere* לא יאבה *Lo Ioue*; quia igitur is Deus putabatur cuius numen, ac voluntas omnia regeret, ideo *Iouem* vocarunt. Vndè illud Homeri Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή *Iouis est expleta voluntas* אב *Au* Pater; nemo dubitat hinc *Auum* Latinis dici. *Abba*, & conuersis literis *Babba* quod Italis in vsu est *Babbo*, & tenui in mediam versa, *Papa.*

אבל

אבל *Eual* Eiulatus אבל *Aual*, *Vallis*. Ita Dauid Kimchi.
Eadem vox est particula significans fere idem, quod Latinè *Vel*.

אביר *Auir Vir*, seu fortis, & sæpe Aleph in pronunciatione eliditur.

אגורדה *Agura* ἀγορὰ collectio Populi, ac cœtus.

אברנים *Abranim* carnis frusta semissa. *Brani*. Hinc *Sbranare*. Italicum.

אדון *Adon Dominus*, qui & vulgò olim Latinè *Donnus*, & Hispanicè *Don*, & antiquissimum Idolum, vt Diodorus Siculus testatur ἄδωνις *Adonis Dominus*.

אהבה *Ababa* Charitas Agapa.

אוב *Ob*, Latinè *Obba* Vasis vinarij genus.

אודה *Ocba* auis genus: quidni hinc Italis Anseres *Ocbe*?

אויל *Euil*, *Vilis*, *stultus*, nullius momenti homo. Eliso Aleph; & retento ἄζαλος ἄχρι Hesychio.

און *Auan*, *Vanum mendax*. Eliso etiam Aleph. אום *Om* Gens humana *Homo*.

אור *Or* Lumen, hinc *Orior*, & Græcè ὥρα Hora, & Ægyptiacè *Orus* Sol, & *Orum* à luce quod *Aurum* etiam vocamus, sed antiqui Orum dicebant, vnde *Oricbalcbum*, *Orana*. Itali *Oro*. און *On* Hon, & Onus.

אור *Vr* ignis, inde Uro, & Græcè Uranos οὐρανὸς Cœlum quod Igneum; quare Ungaris eadem voce dicitur, Cœlum, & Ignis *Eg*.

אויר Ex radice est *Aer* האויר Illuminans, vel id quod lucem recipit.
Et ἥρα Juno dicta, Aeris præses. Nec non Iris luminis lusus quidam.

אזוב Ezob *Hyssopus*.

אחרון *Acbaron* Extremus. Hinc forte Acheron, & Charon dictus extremæ humanæ vitæ fabula. Et quid ni etiam extremum sidus errans hinc dictum *Cronos* κρόνος.

אחלי *Ocbale*, Utinam, Hispani *Oxalà*, sed hoc Arabum est.

אִיד *Aid*, perditio, Græcè Ἀίδης Infernus, dicitur, & aliter Hebraicè perditio *Abbaddon* אבדון; vnde Itali habemus *Abbandono*.

איש *Is* vir, Græcè vſitatum apud Homerum *Is* pro viro, aut Virtute viri, & Latinè hinc dicta *Vis*.

אוכיל *Ocbil* Cibus. Hinc fortè *Chylus* χυλὸς dicitur, & *Achil* אכיל vorax, vnde Aquilam, & Achillem dictum ſuſpiceris.

אכר *Acher* Ager. Occare quoque hinc eſt, & Germanicum *Acker*.

אל *El* Deus profectò Sol, quia primus habitus.

אלהים *Elohim Filij Elohim*, Gigantes. In fabulis ſunt τοὺς ἀλωΐας.

אלן *Aln*, genus arboris. *Alnut*.

אלף *Eleph* Bos, Ἔλεφας *Elephas*. Bos Luca. Et *Aleph*, *Alpha* ſiuè dux; vndè Italis *Alfiere*.

אם *Em* producte *Amma*, *Mamma*. Radix eſt אמה *Ama* profectò *Amandi* verbum nemo, aliundè meliùs, quàm à Matre deriuet.

אמל *Amal* debile, cui deeſt boni vis, ac perfectio. *Malum*, eliſo aleph.

אניה *Ania* Græcè ἀνία mœror animi.

אף *Aph*, Græcè αὖ *rurſus*. Et *Ap* facies: Unde Græcum, πρόσωπον.

אפה *Apha*. Coquere, vndè Græcis ἀπτεῖν.

אפרה *Ephra* cinis τέφρα.

ארורה *Arura* ſic vocata eſt à Deo terra Geneſis 111. u. 17. cum Adam damnatus eſt agriculturæ. Remanſit apud Græcos nomen ἄρουρα.

ארגנה *Aragna* à texendo, quod dicitur: *Arag*. Græcè Arachne ἀράχνη.

ארי *Ari* Leo, hinc Mars dictus *Aris*, Ἄρης & particula Ἀρι Græcè vim, ac robur addit verbis quibus additur ὀρειδὴς. Hinc *Aries* Latinis à fortitudine.

ארן

ארון *Aron* arca. Arnie Italis arcæ ligneæ apum alucaria.

ארץ *Eretz* Germanicè Erdt. Syris ארעה Eraha, Græcis antiquis *Era* ἔρα, Latinis Terra, & *Ara*, vndè *Ara* in mari dictæ, & altare de Terra Ara, & aræ, & Aretium vrbs Italiæ.

אש *Es*, Ignis. Hinc Vesta Ἑστία.

ארגז *Argaz*, *Arca*.

Hæc in specimen adnotasse hoc loco sit satis.

CAP. VI.

Alia argumenta, & obiectorum solutio.

QUarto ea lingua prima est, qua nomina Angelis sunt imposita. Atque hoc vnius est Hebraicæ, illa igitur vna prima est. Nomina Angelorum sunt Sacris literis ex Hebraica lingua: Michaël, Gabriël, Raphaël. Atqui Angeli ab initio mundi fuere. Lingua igitur etiam inde ab initio fuit qua sic vocatos legimus. Nisi forte quis velit aut varia pro diuersitate linguarum Angelis esse nomina, quod putandum non est. Alioqui Lucas Græcè scribens Græcum Gabrielis nomen vsurpasset; aut certè putet Gabrielem post Hebraicæ linguæ initia sic vocari cœpisse, quod temerè fingitur.

Quinto ea lingua prima est qua Dœmones ipsi vtuntur. Atqui eos constat Hebraicis vocibus gaudere, quare, & in magicis eas vnas adhiberi iubent, & eius vi se cogi, & obstringi præse ferunt, vt non modo ex recentiorum, vt Agrippæ Commentarijs apparet, sed etiam è Magorum antiquorum libris obseruari notat Origenes Lib. 1. contra Celsum. In quorum incantationibus Hebraica verba mixta deprehendi adnotat. Id non facerent mali Dœmones, neque hunc honorem Sacræ linguæ deferrent, nisi ea esset prima omnium, & princeps lingua, vt ideo aliam dedignarentur. Hinc bonos, malosque Angelos nulla alia vti lingua Hebræi dicunt, & hanc ipsius naturæ linguam esse (ex quo etiam illi quædam arcana vis ad mira opera efficienda sit) scribant. Ultimam ex Euangelio rationem addimus pro Hebraicæ linguæ primatu. Nam titulo Crucis has tres lin-

linguas consecratas, scimus: Hebraicam, Græcam, & Latinam Quod verisimile est ideo factum; quia tribus his linguis homines fere omnes aliquando vsi sunt, Hebraicâ ante diluuium, Græcâ deinde, quæ toto fere Orbe communis humano generi lingua est habita, postremo Latinâ, quæ vna cum Imperio totum terrarum Orbem occupauit.

Quæ vero obijciebantur facile solui possunt. Hebraicam linguam ab exitu ex Ægypto, ad tempora Sedeciæ Regis integram permansisse, mirum non est; cum Populus Hebræus in ijsdem sedibus, etsi non eorumdem Imperio, nec eadem Reipublicæ forma vixerit. In libro quoque Eldad Danitæ de decem Tribubus dicitur, eas adhuc seruare purum Hebraismum, impermixtum, quod minimè ijs negandum esset, nisi tota illa Historia aliundè fabulosa deprehenderetur. In Ægypto quoque mirum non est eos linguam eandem retinuisse, cum & sedibus, & religione, & omnibus rebus ab Ægyptijs distinguerentur. Nec de tempore, quo Abraham, Isaac, Iacob, peregrinati sunt, difficile erit credere, eos quoque familiarem sibi linguam eò diligentiùs seruasse, quò eam sciebant esse tam singulare Dei munus sibi, ac suis posteris reseruatum. De Abrahamo difficilior quæstio videri potest, cum is habuerit plures filios, qui aliâ, quam Hebraicâ linguâ sunt locuti; & ex Patria fuerit, vbi aliter quàm Hebraicè loquebantur. Respondit Cuzari lib. 2. Abrahamum duas linguas habuisse vulgarem alteram Syriacam, siuè Chaldaicam, qua cum exteris vtebatur, & quam ex Patriæ vsu didicerat; alteram peculiarem, & Sacram, quam non ex Patriæ vsu, sed ex Patris traditione hauserat, & qua cum filijs vtebatur. Hanc fuisse Hebraicam; Eam putant vna cum Hereditate, ac Sacerdotio, nemini alteri quam Isaaco traditam à Patre; quod licet eam omnes nossent, qui in eius familia versabantur, tamen alij ius non haberent instituendi familias, in quibus ea lingua vsui esset. Hoc enim erat ius Primogeniti. Seu nisi hoc placeat, puta alios quoque hac lingua Domi suæ vsos; sed qua leuitate à religione Abrahami, & recta morum, ac legum institutione, ad vulgarem Syriæ consuetudinem deflexerunt, eâdem eos à linguâ deflexisse. De Turri autem, & labio vno quo prius

homines vtebantur duplex Hebræorum sententia est. Quidam existimant omnes linguas eo tempore ante extructionem Turris fuisse, sic tamen, vt singuli omnes callerent: & omnibus pro opportunitate loquerentur. In Thalmud Hierosolymitano Meghilla cap. 1. *Erat terra labij vnius R. Eliezar, & R. Ionathas dixerunt, loquebantur septuaginta linguis. Quod autem dicitur in Turris extructione confudisse Deus linguas eorum*, id intelligendum de obliuione linguarum LXIX, singuli enim familiarum Principes singulas linguas memoriâ retinentes, cæteras repentè obliti sunt. Sed hæc opinio profectò à loci illius sensu abhorret. Ait enim Deus: *Venite confundamus linguas eorum.* Atqui confundere non esset diuidere, & singulas singulis partiri. Quamquam hinc etiam confusio orta sit. Neque confirmatur hæc sententia illis verbis, quibus eam fulcire nituntur. *Erat terra labij vnius, & sermonum eorumdam*, quasi plures essent linguæ, sed instar vnius ab omnibus vsurparentur. Nec verum, quod adnotant de LXX. filijs, seù nepotibus Noe ànte diuisionem linguarum dictum esse, ab ijs propagatas esse gentes, *Vnusquisque secundum linguam suam.* Licet enim hoc narretur prius, non tamen narratur prius accidisse, sed quod postea accidit, per ante occupationem indicatur, alioqui verisimile non est tam breui tempore per filios Noe vnius familiæ alumnos potuisse in tot linguas diuidi, quot numero ipsi erant. Nec fieri potuit absque prodigio, vt vel cum in arca erant Noe, atque eius familia septuaginta linguis loquerentur, nam plerumque linguarum varietas ex diuersitate regionum, & Cœli vario aspectu oritur. Altera igitur, vt communior, ita verior sententia est. Vnam Hebraicam linguam eo tempore sermonibus vsui fuisse. Id tamen omnino denegandum non est huius linguæ, qua ante diluuium homines vtebantur, exiguas reliquias in Hebraico sermone superesse; nam certè vna Heber familia totam linguam seruare non potuit, vel quòd non omnes eius voces, & elegantias teneret, vel quod etiam, quæ sciret, non facile omnia posteris tradere posset, cum literarum exiguus esset vsus; præsertim vero singularium rerum nomina, & quæ ad scientias pertinent abstrusiores prima perierunt

runt. Atque in eo iactura irreparabilis facta est, quod cum nomina perierint, vel à Deo ipso, vel à sapientissimis hominum ad rerum naturam, & artium vim explicandam accomodata, simul ipsa rerum cognitio perierit. Ex ea verò particulâ linguæ, quam Heber ex illo naufragio seruauit, haud dubium etiam plurimum in Ægyptiaca seruitute perijsse. Et proinde mirum non sit, Hebraicam linguam inopem videri, nam quota pars illius antiquæ, tempore Mosis, & Prophetarum superest? Sed futurum speramus aliquando, vt Deus restituat hominibus labium electum; & vbi nos à mortuis excitarit, & beatos reddiderit illius quoque primæ linguæ vsu redonet. Opinionem autem, quæ putat omnes simul linguas fuisse vsui ante Turrim Babylonicam reperimus apud Philastrium, ab eo confirmatum capit. 56. *habentes*, inquit, *Angelicam gratiam, & cunctarum linguarum scientiam, non agnoscebant datorem tantæ sapientiæ Dominum. Contraque eam conantes progredi, perdiderunt gratiam, quam sine vllo labore diuinitus habuerant. Et quod sine studio ante donatum fuerat à Domino naturaliter omnibus, vt Dei imagini, postea per studium atque doctrinam, obliuione immissâ à Domino, vix ediscere preualebant non omnes, nec multas, sed vix paucas linguas: ita vt tres quis, vel quatuor valeret ediscere.* Hæc Philastrius. Additur Apostolis, & Fidelibus initio Ecclesiæ id fuisse collatum à Spiritu Sancto, quod ante illam Turrim ædificatam cuncti mortales habebant. Sed vti diximus illa sententia minus probatur.

CAP. VII.

Quæ sit germana, ac propria scriptura linguæ sanctæ. Varia Alphabetha proponuntur.

POst linguæ Traditionem sequitur Alphabethi, ac scripturæ Traditio. Quæritur autem apud Hebræos, quæ sit linguæ sanctæ propria, ac genuina scriptura. Et quidem ex ijs, quæ auctores tradunt, implicatissima redditur ea quæstio. Nam cum, Adam, Feth, Sem, Abraham, Moses, Esdras, alijque dicantur adinuenisse literas, & alphabetha, quis facile diiudicet, cuius sit hoc Hebraicum, quo nunc vtimur, vel quodnam ex ijs aptius, ac magis proprium sit linguæ sanctæ? Maximè autem in controuersiam vocari possunt hæc Alphabetha, Angelicum, Cœleste, Transitus fluuij, Chaldaicum vetus, Chaldaicum recentius, Syriacum Abrahami, Phenicium Cadmi, Ægyptium Mosis, Ægyptium Mercurij, Ægyptium Judæ, Ægyptium Thouth, Assyrium Samaritanum, Lebanæum, Nistauanicum, Hebræum. Horum omnium apud veteres mentio est, & figuræ etiam visuntur aliquorum, nec desunt argumenta pro singulis, vt eorum aliquo dicamus scriptam esse legem.

Alphabethum Cœleste.




Alpha-


Alphabethum Angelicum.



Alphabethum Transitus-Fluuij apud R. Azariam.



Alphabethum Transitus-Fluuij apud R. Abraham de Balmis.



Ex his duobus Alphabetis priorem quo pacto inuenerit, ita narrat R. Azarias in Maor Anaim cap. LVI. *Vidi in antiquo M. S. Codice, quem vir fidelis è terra Israel manu sua scripserat R. Patachiæ Iudæ Spoletino, cum eum doceret Arabicè, ostenditque illud mihi R. Moses Medicus eius filius Ferrariæ. Rursum Mantuæ R. Samuel Arelatensis ostendit mihi aliud M. S. Itinerarium R. Moses Basola in Palestinam, in quo idem erat scriptum; nec non ibidem Mantuæ R. Ruben Perusinus ostendit mihi idem ex Christiani cuiusdam docti exemplari, qui id ex libris antiquorum exscripserat.* R. Abraham de Balmis haud minus commendat suum alphabethum, aitque se illud ex antiquis M.M. S.S. habere, cui testis accedit Agrippa, qui eosdem characteres depingit lib. I I I. occultæ Phil. c. xxx. Idem & priora duo Alphabetha describit, hæc addens verba: *Est apud Hebræos scriptura, quam vocant cœlestem, quia inter Sydera collocatam, & figuratam ostendunt, non secus atque cæteri Astrologi signorum imagines, & stellarum lineamentis educunt. Est & quam vocant scripturam Malachim, vel Melachim, hoc est Angelorum, siue Regalem.* Hæc ille, sed nullum hactenus Hebræum reperi, aut legi, qui huiusmodi alphabetha pro veris agnosceret. Quin R. Abraham Rophe in libro *Sciltè Gbibburim* disertè ait, Agrippam de suo capite ista commentum. Idem ergo iudicium esto de Alphabetho Mosis, de quo initio capitis ita scribit: *Apud Hebræos plures characterum inuenio modos, quorum vnus est antiquissimus, scriptura videlicet antiqua, qua vsi sunt Moses, & Prophetæ, cuius forma nemini temerè reuelanda est.* Mirum vnde eiusmodi Alphabethum Agrippa discere potuerit, quod Hebræis omninò inauditum est, nisi forte id acceperit à genio familiari patre mendacij. Caldaica Alphabetha, quibus Hebraicam linguam vsam olim credibile est, duplicis sunt ordinis, ac generis: Antiqua, & Recentia. Et Recentia quidem sunt, quibus nunc Syri vtuntur, Alphabetha duo, minus, & maius, quæ videntur ex Hebræo Manasse. Vetera autem partim Syriaca vocantur, partim Assyriaca, partim Chaldaica, partim Magica.

Magi-

Magicum Alphabethum Honorij Thebani.

A B C D E F G H I K L M

N O P Q R S T V X Y Z Ω.

Apparet hoc Alphabethum à recentioribus Magis esse confectum, quod & hoc studio descripsi, quo, si quid eo charactere scriptum inueniatur facile deprehendi possit fraus Magica. A vetere autem Chaldaica lingua prorsus abhorret, cum Latinis literis respondeat. Chaldaica vero alphabetha, quorum formæ ad manus non sunt, duo describemus ex R. Abraham Rophe, solis literarum nominibus adnotatis.

Alphabethum Chaldaicum primum.

Hik Tho Vu Zik Ut Zab Dab Gab Bath Elpha,

אילפא באת גאב דאב זאב אוט זיק וו תוא היק

An Sam Puso Fu Pu Netha Lichdin Hadar Kakkar

קאקקאר הדר ליכדין ניתא פו פו פוסו כם אן

Ten Siui Dab Kal Vagaiom.

ואגיאום קל דב סוי טין

Alphabethum Chaldaicum secundum.

Kaamin Kaami Pethin Etimi Dein Ghim Bem Alin

אלין בים גים דיאין איטימי פיתין קאמי קאמין

Vi Tot Scit Rofi Kiuinin Fifai Lascim

לאשים פיפאי קוינין רופי שיט טוט וי

Olipb Mikoin Moin Zit Hin Ghesit.

נסיט הין זיט מואין מיקואין אוליף

Præ-

Præter hæc sunt Syriaca duo Alphabetha; quorum alterum Cadmo tribuitur auctori, & Phænicium vocatur; alterum putatur Abrahami, quo scilicet ille scriberet prophana; seù communia. Vtriusque literæ XXII. nec forma absimilis Hebræis, nec nomina diuersa, vt proinde operæ prætium non sit ea hùc transcribere. Assyriaca verò scriptura hæc est, qua vtimur nunc in Hebraicis scribendis, quadrata litera.

Alphabethum Assyriacum.

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת דםןףץ

Ægyptiaca verò Alphabetha plurima fuisse nemo nescit. Nam triplex apud eos scribendi ratio erat, Vulgaris siue Epistolica: Sacerdotalis, siue Sacra: Hieroglyphica, siue Ænygmatica. Et quidem vulgarem longa ætas nobis inuidit. Hieroglyphicam adhuc saxa, & pyramides ostentant. Sacra non vnius auctoris fuit, sed fertur Alphabethum Mercurij, quod à sinistris legitur literarum XXIII, & Isidis literarum totidem, quod item à sinistris Latino more legitur. Et tertium ἀδέσποτον quod literis constat XXIV. Quartum verò quod à dextris legitur, literis XXIV. constans, huiusmodi nominum.

Alphabethum Aegyptiacum.

Stiletha Gomor Fin Ani Dinais Kinoth Biaithin Atomus

אתומוס ביויתין קינות דינאיס אני פין גומור שתיליתא

Fhilon Vbelaith Nain Mithe Luzamin Kaaioba Iokuus

יוקתס קאאיונא לוזאמין מיתי נאין אובלאיט פילון

Ghesiron Vt Tela Siken Idon Keuin

קוין אידון סיקין טלא אוט גסירון

Præter hæc memorat idem Abraham Rophe, seù Medicus, Alphabethum Mosis XXII. literarum, quarum figuræ longè diuersæ sunt ab ijs, quæ nunc Hebraicè vocantur. Celebrantur & Alphabetha Samaritanum, Nistauon, Libanæum, aliaque plura. Quorum quod proprium sit Hebraicæ linguæ quæritur.

CAP.

CAP. VIII.

De duplici Scriptura Assyriaca, & Transfluuiana, & qui hanc illi præponant.

PRimùm hoc statuo, illud Alphabethum esse proprium linguæ sanctæ, quo Deus Tabulas scripsit, & Moses Legem. Hoc nemini dubium esse potest, nec video à quoquam negari. Nam nec Deus alio genere Scripturæ vsus esset, quam quod proprium erat eius linguæ, nec Moses à Dei exemplo recessisset. Aut certè si quod antea fuisset aliud Alphabethum Hebræis familiarius, nos illud omnibus anteponimus, quo Deus vsus est. Tota igitur quæstio est, an Moses illis eisdem literis scripserit legem, quibus nunc scribitur; an vero ille alio genere literarum vsus sit, has verò adinuenerit, vt aiunt, Esdras? Diximus antea quid in ea quæstione Agrippa senserit, nescio quod arcanum Scripturæ genus fuisse, quo Moses, & Prophetæ vsi fuerint, quod in arcanis habeatur. Id falsò excogitatum esse tam facilè dicimus, quàm temerè nullo indicio producto affirmatur. Prophetas autem non vsurpasse diuersum scribendi genus ab eo, quod apud omnes in vsu esset, ex eorum scriptis deprehenditur, in quibus nihil est vnde hoc discrimen argui possit, imò quoties ipsi se scripsisse indicant, sic loquuntur, vt appareat vsitato more scribendi vsos. Alij dicunt peculiare alphabethum à Mose excogitatum ad scribendam Legem; de qua opinione sic censet Abraham Ropher: *Non est credendum huiusmodi literas à Mose traditas Israeli ante legem promulgatam in Egypto, nam habebant illi hæreditate acceptam à Iacob linguam, & scripturam, qua postea Lex illis data est, de qua Rabbini nostri dixerunt: Nec linguam, nec vestem mutatam. Ergò si quod tale Alphabethum inuenit Moses, credibile est, id ab eo esse inuentum, vt traderetur Egyptijs seruis Pharaonis, vt eo vterentur. Neque obijceris mihi scripturam Egyptiacam solitam à sinistris legi, cum hæc legatur à dextris, nam est apud me aliud Alphabethum Egyptiacum, quod à dex-*

 tris.

tris legitur. Et probabile est Ægyptios imperantes pluribus Nationibus, quæ variâ linguâ, & scripturâ vtebantur, vtriusque moris scribendi gnaros fuisse. Hæc ille. Reliquis igitur omissis de duplici tantùm alphabetho mihi erit quęstio, eo nimirum, quo nunc vtimur, & quod in veteribus Numismatis notatur, atque ex manuscriptis libris eruitur. Nam nihil certiùs quàm tempore primi Templi celeberrimum fuisse id genus scripturę, quod in antiquis Numismatis etiam nunc visitur. Numismatum autem huiusmodi frequens apud auctores memoria est. R. Moses Nachmanides ita scribit in fine commentarij in legem: *Deus eousque mihi propitius fuit, vt venerim Acconem, ibique inuenerim in manu seniorum Terræ nummum argenteum cusum, in cuius altera facie erat velut ramusculus amygdalinus, in altera vas, & literæ circumcirca. Ostensa est Samaritanis scriptura, & illi eam statim legerunt, quòd ea sit scriptura Hebręa illis relicta, vt legitur in tractatu Sanhedrin, & legerunt ex altera facie: Siclus Siclorum; ex altera verò: Hierusalem sancta. Et aiunt eas formas significare, alteram quidem Aaronis virgam florentem, alteram verò vas, in quo Man seruabatur.* At R. Azarias in Maor Anaim addit: *Benedictus Deus. Ego quoque vnum ex huiusmodi Siclis vidi in manu viduę Isaac Aghin Hispani, qui habitauerat Ferrariæ, & inde Hierosolymâ fuerat profectus.* Corrigit verò Ramban, quòd ille dicat, se legisse scriptum in suo nummo: *Siclum Siclorum.* Id verò ipse putat erratum. Omnino enim scriptum fuisse *Siclum Israel.* Quod fortè non adeo certum est; fieri enim potest, vt genus aliquod præstantioris monetæ diceretur Siclus Siclorum. Eiusdem generis Siclos similibus inscriptos literis se vidisse testantur è nostris scriptoribus, Arias Montanus in Apparatu cap. de Siclo. Antonius Aug. Dial. 2. de Numismatis num. 11. Andreas Masius in Iosuæ c. VI. Villalpandus in Apparatu Templi part. II. c. XXI. quò & Stanislai Rescij, Lælij Pasqualini, Fuluij Ursini, Illefonsi Craconij similes Siclos memorat; quales nos quoque tum Florentiæ, tùm Viennæ vidimus. Ex his nummis tamen haud paulò diuersam eiusdem alphabethi formam colligit Villalpandus ab ea, quam exhibent R. Azarias, R. Abraham de Balmis, & Bibliotheca Vaticana, vt hæc docet comparatio.

Vati-

Vaticanum.
R. Azariæ
R. Abrahami
Numismatum
ז ו ה ד ג ב א Commune

Vaticanum.
R. Azariæ
R. Abraham
Numismatum
ס נ מ ל כ י ט ח Commune

Vaticanum.
R. Azariæ
R. Abrahami
Numismatum
ת ש ר ק צ פ ע Commune

Ex his vides Alphabethum Transitus fluuij ferè triplex esse. Nam quod à R. Abraham, & ab Agrippa describitur, omnino diuersum est à reliquis. Tria verò, quæ supersunt, si conferantur, & misceantur, duplex alphabethum omnino etiam diuersum facient. Quod mirum esse non debet, cum hoc etiam tempore latina alphabetha vi-

deamus adeò diuersa; aliud enim quadratum maius; aliud minus alia forma; aliud Italicum, vt vocant, in quibus forma literarum longè diuersæ sunt; cum tamen eadem scriptura censeatur. Et ne discedamus à gente, ac lingua, de qua agimus, Hebraica scriptura hoc tempore valdè diuerso charactère vsurpatur apud Hebræos in manuscriptis præsertim codicibus.

His ita explicatis, & duplici Hebraicâ scripturâ propositâ, sunt, qui dicant, scripturam transitus Fluuij propriè Hebraicam fuisse, alteram verò, qua nunc vtimur ab Esdra inuentam. Quæ sententia plurimum auctoritatis, & firmamenti habet in verbis sancti Hieronymi in prologo Galeato: *Certum est*, inquit, *Esdram Scribam, legisque Doctorem post captam Hierosolymam, & instaurationem Templi sub Zorobabele alias literas reperisse, quibus nunc vtimur, cum ad illud vsque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint.* Et post pauca. *Nomen Dei tetragrammaton*, inquit, *in quibusdam Græcis voluminibus vsque hodie antiquis expressum literis inuenimus.* Quia tamen nihil addidit, nec descripsit formam earum literarum scire non possumus, quò ex descriptis alphabethis in eo nomine describendo vterentur. Nam pro varia eorum forma, sic variè formari posset.

ex Vaticano

ex R. Azariæ

ex R. Abraham

ex Numismatis

Hieronymum plerique omnes veterum, ac recentiorum sequuntur. Atque adeò ex ipsis Hebræis non pauci, imò ipsi auctores Thalmudici. Operæ prætium est ipsa eorum Hebraica verba adscribere ex tractatu Sanhedrin cap. 11. seù Cohen Gadol.

אמר מר זוטרא ואיתימא מרעוכבה בתחלה
ביתנה תורה לישראל בכתב עברי ולשון הקדש
חזרה וניתנה להם בימי עזרא בכתב אשורית
ולשון ארמי בררו להן ישראל כתב אשורית ולשון
הקדש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית
מאו הדיוטות אמר רחסדא כותאי מאי כתב
עברית אמר רחסדא כתב ליבונאה׃

Dixit Marzutra, siue, vt aiunt, Mar Hucba, initio data est Lex Israeli scriptura Hebrea, & lingua sancta, rursum data est ipsis diebus Esdræ scriptura Asyria, & lingua Syriaca. Explicuerunt ipsis Israel scripturam Assyriam, & linguam sanctam, & posuerunt pro Idiotis scripturam Hebræam, & linguam Syriacam. Quid sunt Idiotæ? dixit R. Chesda: sunt Samaritani. Quid est scriptura Hebræa? dixit R. Chesda: scriptura Libanea.

Huius loci, quantùm iterata Lectione, & Commentariorum inspectione assequi potui, sensus hic est: Initio quidem datam Legem linguá sanctâ, quam nunc Hebræam vocamus; & scripturâ Hebræâ, idest Transitus Fluuij; nam non modò R. Salomom, sed omnes veteres, recentioresque conueniunt illud עבלי positura esse per עבל הנהר trans fluuium. Rursum verò per Esdram datam esse Legem alteram, & scripturâ, & linguâ. Scripturâ nimirum Assyriâ, & linguâ Syriacâ. Hoc est eandem Legem à Mose traditam, Esdram Syriacè vertisse, vt Populus intelligeret, qui iam veteris linguæ oblitus Hebraicè nesciebat. Demum permixtis linguâ, & scripturâ, factum esse, vt Lex Hebraicâ, seù Sanctâ linguâ,

& scripturâ Assyriâ remaneret apud Hebræos. Samaritani verò eadem Lege vterentur literis quidem Hebraicis, ideſt Tranſitus Fluuij; linguâ autem Syriacâ. Pergit Ghemara in hæc verba: *R. Ioſe dixit; dignus erat Eſdra, vt traderetur Lex per manus eius. Quòd ſi dicas; Nonne prior Moſes? Et hic ſimilis Moſi. De Moſe dictum eſt Exodi* XIX. *& aſcendit Moſes ad Deum. Et de Eſdra* I. *Eſd.* VII *& aſcendit Eſdras de Babylone. Illic tendit dictum ad Legem promulgandam, & hic dictum tendit ad legem promulgandam. De Moſe dictum eſt Deuteronomij* IV. *mihi præcepit Dominus tempore illo, vt docerem vos Mandatum, & Iudicium. Et de Eſdra dictum eſt* I. *Eſd.* VII. *Præparauit Eſdras cor ſuum ad indagandam legem Domini, & ad faciendum, ac docendum Iſraelem Mandatum, & Iudicium, & licèt non ſit data Lex per manus eius, mutata eſt tamen per manus eius ſcriptura, quia dictum eſt,* וכתב הושתמן *& ſcriptura Niſtauon, & interpretatio eius Syriaca, ac paulò poſt. Quare vocata eſt Aſſurit? quia exiuit cum illis de Aſſyria. Ribi dixit, hac ſcriptura data eſt Lex Iſraeli, quando peccauerunt. Egerunt pœnitentiam, & conuerſa eſt illis. Iuxta illud conuertimini ad munitionem vincti ſpei. Hodie quoque annuncians ſecundò reddam tibi. Quare vocata eſt ſcriptura Aſſurith? quia in ſcribendo eſt recta.* מאושרת *R. Simeon dixit ex ore R. Eliezer Ben Parce, qui hoc habebat à R. Eliezer Modai: ſcriptura hæc non eſt innouata quoad radicem. Nam ſcriptum eſt Exodi* XXII *capita columnarum cum Cœlaturis ſuis argentea. Hebraicè eſt* ווי (Videtur Vau litera columnam ſimul, & capitellum indicare) *ſicut in columnis nihil innouatum eſt, ita, & in ſcriptura nihil innouatum eſt; & Eſther* VIII. *dicitur: ſcriptum eſſe ad Iudæos, iuxta ſcripturam eorum, & linguam eorum. Quemadmodum lingua eorum non eſt immutata, ita nec ſcriptura eorum.* Hactenus Ghemara, in qua ſuo more diſſentientes Hebræorum primarij in contrarias videntur abire ſententias. Ex his ergo, qui dicunt ſcripturam, quæ nunc Hebræis vſui eſt, ab Eſdra eſſe adinuentam, huiuſmodi argumenta colligunt. Primò ſcripturam hanc vocari Aſſyriam, illam verò, quæ Samaritanorum eſt, propriè Hebræam, ex quo apertè colligi; hanc, non illam

esse linguæ huius propriam. Assyria enim lingua Chaldaica est, ex qua videtur elementa mutuatus Esdras. Secundò nomen huic scripturæ fuit Nistauon, idest, vt explicat R. Iose נשתנה *Nistane* innouata, ex quo apparet fuisse inuentum recens. Tertiò, vt notat Ramban, & ex eo Arias Montanus in Apparatu cap. de Siclo, cum Hebræi, ex Palestina in exilium pulsi, Sacrarum literarum custodiam Samaritanis reliquissent (ex quo Somerim, idest Custodes dicti) in reditu eos turpissimis erroribus infectos cum reperissent, depositum recipere noluerunt, & præstabilius putarunt nouis vti literis, quàm fœdatas contagione sacrilega, rursus ad sacros vsus admittere, vt, vel hoc discrimine literarum agnoscerentur, & Religionis diuortia. Quartò ideo Esdras dictus est secundus Moses, quod quemadmodum ille auctor legis ferendæ, ita hic scribendæ fuerit, & ille ideo Legislator cognomine vocatur; hic Scriba.

C A P. IX.

Assyriacam Scripturam antiquiorem fuisse, & primam.

VErùm altera sententia longè probabilior est, quæ docet has ipsas, quæ nunc præ manibus habentur Hebræorum literas fuisse, quibus Lex à Mose, ac Tabulæ à Deo scriptæ fuerint. Cui sententiæ non obstat auctoritas Hieronymi, & aliorum, qui has literas ab Esdra inuentas dicunt. Fatentur enim huius sententiæ propugnatores: Esdram inuenisse hos charactêres iam longa obliuione deperditos, & sepultos. Itaque & Esdràs eorum inuentor iure dici potest, & tamen illæ possunt fuisse olim, quibus Moses Legem scripserit. Redditur hæc sententia probabilior, primò antiquissimis traditionibus Hebręorum, quibus in re tam domestica profectò aliquà debetur fides. Non me fugit esse inter eos quoque scientiarum discrimen. Nam in Tosphta, siue additione, cap. 11. Sanhedrin, & cap. 1. Meghilla, & cap. 11. Sanhedrin §. ריילן quæstio est, & rixa inter Tanaim. R. Iose, & R. Nathan dicunt, Legem datam esse scripturâ trans fluuium, siue Hebræa. R. Simeon Ben

Elie-

Eliezer, R. Eliezer Ben Parta, R. Eliezer Modai, & R. Juda Hakkados Columna scholæ Hebraicæ dicunt fuisse scripturam Assyriam, siuè quæ nunc vsui est. His accedit R. Leui in Hierosolymitano Tract. Meghilla c. 1. dicens: *Assyriaca scriptura data est Lex, vt ostendit prodigium literæ Samech*: alluditur ad textum Tract. Sciabath cap. הבוכרה vbi dicitur, *Mem, & Samech in Tabulis miraculo subsistebant*. Cuius loci intelligentia pendet ex cognitione interpretationis, quam Hebræi scriptores dant verbis illis, quibus dicuntur Tabulę insculptę מזרה ומזרה *hinc, & hinc*. Explicant enim ipsi διαμπερὲς Italicè, *da banda à banda*; ita vt pœnitus perforatæ literis essent Tabulæ, & peruiæ oculis literarum lineæ, ac tractus; quod cum esset, literæ duæ Mem finale, & Samech, quæ omnino clausæ sunt, non poterant sine prodigio subsistere. Medium enim literæ non habebat, quo sustineretur, sed pendebat ex omni parte liberum. Hoc dum dicerent veteres illi, profectò minimè dubium putabant: hanc ipsam scripturam fuisse, qua Lex data esset, ac tabulæ scriptæ. Nam alioqui tota traditio hæc cecidisset. In altero enim alphabetho Hebraico, neque *Mem*, neque *Lamech* huiusmodi sunt; licèt in characteribus R. Abraham del Balmis *Mem* sit, sed R. Laui memor alterius opinionis, quæ putat Legem datam literis Samaritanis dixit, תעשה כסים אשורה כחכרה חורה טתך : עשה : כסיר ברעצ כיהכרה חורה : עין *In Contritione* (Verbum hoc aptatur scripturæ Trans Fluuium) *data est Lex? prodigium literę Ain Assyriâ scripturâ data est Lex? prodigium literæ Samech.* Nam si literis Samaritanis data esset Lex, prodigium fuisset in Ain, quod est clausum in omni parte, non in Samech. Vocatur autem scriptura illa רעצ à conterendo, quod profectò non dicitur in laudem, sed quòd pœnæ loco datum sit Israeli, vt ea vti deberet. Atque hoc primum argumentum est, quo probant Hebræi, scripturam Tabularum fuisse hanc ipsam, quæ nunc vsui est. Secundum argumentum sumunt à litera Vau, quæ indicatur Exodi XXII. similis columnæ, & capitello, quod omnino est proprium Assyriaci, abest verò longissimè à Vau alterius Alphabethi. Tertium

pecu-

peculiariter sumi potest à Mem. Nam nos Christiani non leuiter vrgemus Hebræos Mysterio Mem literæ clausæ in dictione לם רבה Isaiæ ix. v. 7. *Multiplicabitur eius Imperium*, vbi cum de Christo agatur, & præter omnem consuetudinem à Propheta positum sit in medio dictionis *Mem* clausum pro aperto, proculdubio indicatur illa litera Maria Christi Mater, ac Virgo. Quod argumentum à viris doctis vsurpatum, irritum caderet, nisi eo charactere scripsisset Isaias. Quartum à Jod, de quo illud est Christi *Iota vnum*, *vel vnus apex non præteribit à Lege.* Ex quo loco duplex argumentum sumi potest. Primò. Indicat Christus etiam in literis, & in apicibus literarum, quibus scripta Lex est, esse mysteria, & arcana non negligenda. Quod si ita est, cur Esdras ea mysteria negligens veterem scripturam, qua Lex data est, abrogauit, & nouam induxit? Secundò. Indicat Christus, vt Hieronymus, alijque adnotant, ex omnibus literis, quibus scripta Lex est, ne minimam quidem irritam futuram, quin peculiaris eius significatio expleatur. Hoc indicant verba, *Iota vnum*, *aut vnus apex.* Nam Jod interdum est litera, interdum est apex, & pars alterius literæ. Litera est minima cum seorsim scribitur; apex est in *mem*, & in *aleph*, quibus Jod adscribitur. Atqui hæc locum non habent in scriptura Transitus Fluuij. Nec probabile est, Christum, cum hæc dixit, non locutum esse de vera, ac propria scriptura, qua Lex tradita est. Quintum argumentum sumi potest à nominibus literarum ipsarum. Nam constat hæc nomina Aleph, Beth, &c. fuisse ante Esdram. Cadmus siquidem antiquior fuit Esdra, qui ex ijs nominibus Græcum alphabethum denominauit. Atqui aliqua ex ijs nominibus indicant figuram literarum, quæ non ita benè congruit cum Samaritanis, sed cum Asyrijs optimè, vt *Beth*, quæ domum significat, scilicet quòd hæc litera solum parietes, ac tectum, & portam habeat instar Domus. Nec non *Ghimel*, quòd Cameli formam imitetur; & *Vau* quòd Capitellum Columnæ, & *Zain*, quod genus armorum, puta securim. Sextum ducitur ex Historia, quam in libro Archæ Noem recitant R. Azarias, & Zemuch Dauid: in Africa nimirum inuentum esse Tumulum Ducis cuiuf-

dam, quem eò misisset Amasias Rex Juda, & inscriptionem tumuli Assyrijs literis, quo probatur Assyrias literas fuisse Esdrâ priores.

His omnibus longè efficacius est apud me argumentum, ipsa rei grauitas. Nam non adeò leue est veterem scripturam prorsus immutare, & nouam videre, eâque transcribere sacros libros. Primùm quis facile credat Esdram ausum immutare, & reijcere eam scripturam, qui sciret à Deo ipso electam, & qua Deus ipse dedignatus non esset quaternas tabulas digito suo inscribere: Qua deinde Moses vsus esset: qua reliqui Prophetæ? Deinde quis putet, Esdra iubente, morem antiquum immutatum in omnibus inscriptionibus, vt in scriptura nominis Dei, in tiara Sacerdotis, & duodecim Tribuum in Rationali, & cœterorum, quæ in Templo inscripta legebantur? Quis vnquam sibi persuadeat, hæc aliter scripta esse in secundo Templo, quàm in primo scripta fuerant? Tertio cum Esdras totus in eo fuerit, vt librum Legis Domini in antiquam, ac veram lectionem restitueret, distingueret, elucidaret; atque in eo summè laborarit, vt prauas nouitates amoliretur, & omnia in antiquum statum redigeret, cui videbitur probabile, eum simul innouandæ scripturæ auctorem esse potuisse? præsertim cum rudi populo, & ex captiuitate rerum diuinarum ignaro facilè ea mutatio charactêrum, & offensioni esse posset, & falsam opinionem ingerere, Esdram nouæ legis auctorem esse? Denique si Esdras nouos charactêres inuenit, aut hos ex Assyriorum vulgari scriptura descripsit, vt quidam dicunt; quis hoc sibi persuadeat: prophanam scripturam à viro sancto veteri, ac sacræ esse prælatam? aut quam veri speciem habet id, quod dicunt, eo studio id ab eo factum, ne viderentur literis communicare cum Samaritanis, cum certè multò esset turpius, literas mutuari ab Ethnicis, quàm suas à Samaritanis repetere? Præsertim quod Schisma Samaritanorum, ac Templum in Garizim erectum post Esdræ tempora est. Hebræi quidem docent, non modò non licuisse vlli Prophetarum totam scribendi rationem à Mose traditam immutare, sed ne minimum quidem apicem; quod significant etiam illa Christi verba: *Iota vnum,*

aut vnus apex, quibus ostendit, ne se quidem, qui auctor esset legis, ac Dominus, velle vnum apicem à lege erasum, aut immutatum. Quare assentior R. Abrahamo Rophe, qui hac in re grauiter indignatur illi R. Iose, quòd dixerit: perinde Esdram à Deo constitutum Legis scriptorem, ac Mosem Legislatorem. Nam certè non videtur è dignitate diuinæ immutabilitatis putare, cum prius quidem dedisse Legem Mosi literis Transitus Fluuij, deindè iussisse Esdram alijs eandem literis tradere. Quanta verò esset apud veteres religio in literis, ostendit grauis quæstio de quinque finalibus literis ך ם ן ף ץ *Chamnapbez*. Masseckerh Meghilla. C. Meghilla Nikrath. Nam, quia R. Jeremias, siuè vt alij volunt R. Chaia dixit, has quinque literas esse inuentum Zophim, idest Propherarum, grauiter contra arguunt Ameraim, dici non posse Prophetas addidisse Legi nouam figuram literarum. Ac tandem statuitur, cum in obliuionem deuenisset recta scribendi ratio, & passim promiscuè scriberentur literæ finales in medio, & contra; Zophim auctores fuisse huius erroris corrigendi. Adnotat Reitbaz hoc accidisse postquam Arca, & liber Legis, vnde hæc facilè discere possent, ante oculos non erant. Libet igitur claudere caput hoc, velut iam satis comperto: scripturam, quam vocamus Assyriam, eam ipsam esse, qua Lex data est à Mose. Quare inquit R. Azarias: *Conatus R. Ioseph Albo libro Ikkarim, sermone III. cap. XXV. vt ostenderet Legem datam esse literis Transitus Fluuij, est inanis, ac vanus; Nam obtinet, at superat sententia sapientum, docentium datam esse literis Assyrijs.*

G. A. P. X.

Transfluuiana, seu Samaritana, quæ & Hebræa scriptio vilior, & vulgaris.

NE tamen mirum cuiquam videatur, id nos dicere, Legem conditam esse literis Assyriacis; cum constet, inde ab ætate Salomonis nummos, qui nunc habentur, insculptos literis Samaritanis, siue Transitus Fluuij, sciendum est: inde à primordijs Gentis Hebraicæ fuisse illi duo Alphabetha, geminam scripturam, sacram, & prophanam, siue vulgarem. Nam hoc Gentibus ferè omnibus, quæ sapientiæ laude florerent, commune fuit, vt sacram, & arcanam scripturam à vulgari, & promiscua diuersam haberent. Quod in Ægyptijs quidem peruulgatum est, in cæteris verò Gentibus celebrioribus si vacaret, non difficile esset ostendere. At Hebræa Gens, vti ante dixi, duplicem quoque linguam ab initio habuit; sacram, & promiscuam; quò minus illi deesse potuit duplex etiam scriptura. Vides apud Homerum quoque mentionem fieri duplicis linguæ Deorum, atque hominum, dum ait fluuium eundem, Xanthum à Dijs vocari, ab hominibus verò Scamandrum. Alphabethum igitur, quod nunc Hebraicum vocamus, & olim Assyrium vocatum est, antiquum, & sacrum Israelis imò altiùs Abrahamo, eiusque maioribus fuisse, credibile est. Alterum verò, quod Samaritanum, vel transitus Fluuij dicitur, eisdem ad promiscuos vsus familiare fuit. Eadem prorsus ratione, qua nunc Hebræi sacras literas charactere quadrato scribunt, & alia soluta literarum forma, additis accentibus, punctisque, at cætera sinè his, & literis non parùm diuersis pro Gentium consuetudine scribunt. Vel vt aptiore vtar exemplo: quemadmodum pro vulgaris vtriusque linguæ, præsertim Germanicæ scribendæ, vsu Alphabethum habent peculiare, quod minimè intelliget etiam qui cæteras eorum scripturas callet, ita, vel tum habebant pro vulgari, & quotidiano vsu literas à sacris diuersas. Quod igitur in Numismatis inueniantur literæ aliæ à sacris mirum non est,

cum

cùm numismata res sacræ non essent. Quare & Græcè sub Græcis principibus inscripta fuisse Hebræorum numismata constat; qualem nummum scribit, se vidisse R. Moses Abseeker libro Quæstionum, & Respons. Cap. lxxiv. sic scribens: *Venerunt in meas manus ex eiusmodi nummis plures diuersarum formarum, quorum erat pondus dimidij sicli; Et in eorum quibusdam scriptum est, anno tali consolationis Sion* לנחמת ציון *vel anno talis Regis. In vno vidi palmæ thermitem collectum, & à latere erat Citrium. Et dixit mihi Iudæus quidam peritus eiusmodi scriptionis ex altero latere scriptum esse Græcè, & addita Insignia Regis Græci, qui tum imperabat, ex altero verò latere Hebraicè scriptum esse. Erat enim tum id tempus, quo Macedones regnabant.* Vides scripturam transitus fluuij etiam ad Græca verba scribenda vsui fuisse Hebræis. At qui non solent sacrâ, & præcipuâ Scripturâ vti, cùm verba linguæ alicuius exteræ scribunt, sed vulgari, & promiscuâ. Infinitos enim propè libros videbis Germanicos, Polonicos, Italicos, Hebraicis characteribus editos, nullum tamen charactere quadrato, & sacro. Quod verò sub Græcis accidit, id accidisse sub Romanis principibus procul omni dubio est. Nummos scilicet ab ijs fuisse cusos, in quibus latinum Cæsaris nomen Hebraicis literis esset insculptum. Nam ideò Christus oblato sibi denario interrogat, cuius esset inscriptio, quòd latina esset, & ipse nollet, se tum omnium linguarum scientissimum ostendere. Denique illud ex hoc nummo R. Mosis etiam colligo apertissimum, non benè colligi ex eo, quòd nummi omnes Samaritanis literis sculpti videantur, nullam aliam ante Esdram fuisse scripturam. Nam etiam temporibus Regum Macedonum, longè post Esdram nummi iisdem literis inscribebantur, cùm eo tempore nemo neget, hanc scripturam, quæ nunc præ manibus est, in sacris vsui fuisse: atque adeò certò tenemus, tempore secundi Templi duas scripturas Hebræis familiares fuisse, Samaritanam in prophanis, Asyriam in sacris. Quis autem credat, Esdram hoc instituisse, & miscuisse, vt dicitur, Sacra prophanis, cùm ante eius tempora Samaritana esset Sacra, Asyria prophana?

Al-

Alterum non leuius argumentum sumi potest ex varia forma scripturæ Samaritanæ, quam, vt vidimus, quadruplicem afferunt, & fortè si plura vetustatis monumenta superessent, liceret, ex ijs diuersas quoque formas literarum eruere. Credibile est autem: sacras literas easdem semper apud Hebræos fuisse, summa Religione seruatas, nec quotidie ad vulgi arbitrium alias, & alias formas induisse; habebant enim in vestibus Sacerdotis, habebant in inscriptionibus Templi, habebant vsque ad Josiæ Regis tempora in ipso Mosis Autographo exemplaria literarum Sacrarum. Hæc igitur scriptura, quæ tam varia deprehenditur, Sacra non erat. Nec probat fuisse Sacram, quòd eâ scripta essent in quibusdam Græcis exemplaribus Dei nomina, quia hoc pro nobis fuit; in exteras enim linguas, aut libros Religioni sibi ducebant sacras literas transferre. Si licet hoc etiam addere, forma ipsa literarum Transitus fluuij fortuita videtur, & ex festinatione calami in varias figuras detorta; nihil habet graue, compositum, sacrum. At forma huius quadratæ scripturæ tam omni ex parte perfecta, & absoluta est, vt nullus sit apex, quin certam habeat scripturarum mensuram, ac formam, & eius quoquè rationem, & causam, quod fortè alibi latiùs aperiemus.

C A P. XI.

Respondetur obiectis, & idem confirmatur.

AGe verò nunc obiecta initio quæstionis amoliamur. Auctoritas quidem Hieronymi, multò magis quàm eius, qui capite Cohen Gadol citatur siue Mar Sutra, siue Mar Hurba, magni est ponderis: Sed vt dixi, Hieronymus nil aliud videtur velle; quàm Esdram harum literarum inuentorem fuisse; inueniuntur autem perdita. Quare hoc ipsum nos admonet veritatis. Dederat olim Deus legem his literis, & tabulas scripserat; quandiù legis studium viguit ignorari non poterat id scripturæ genus. Sed quia, vti diximus, paulatim Lex in obliuionem venit, adeò vt

Hel-

Helciæ Sacerdotis tempore pro miraculo fuerit liber Legis inuentus, mirum non est, etiam sacros charactêres obliuioni datos. Adde quòd sub tempore captiuitatis Babylonicæ iam cœperat vsus linguæ Syriacæ inter Hebræos, Syriacas autem versiones, compendia, explanationes Legis vulgari charactêre, ac lingua scriptas habentes, legem ipsam non requirebant. Quin odio seueræ illius disciplinæ, quam lex imperabat, ipsæ sacræ literæ odio erant. Hoc mihi videor colligere ex illis verbis Isaiæ VIII. u. 1. *Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis; accelera spolia diripere, festina prædari.* Quid sit, quod iubetur scribere stylo hominis, explicant ferè omnes eiusmodi scripturâ, quam omnes, quam denique vulgus intelligat. Jonathas vertit רמב מפורש *Scripturam claram, explicatam, vulgarem.* R. Salomon dixit hoc loco hominem (*Enos*) vocari indoctos, vulgus, & quos Hebræi vocant עם הארץ *Populum Terræ.* Quid ergo est, quod iubetur Propheta scribere Scripturâ, & charactêre vulgari? nisi quòd altera erat Sacra quæ vulgo ignota erat, & fortè etiam ingrata, vt minùs libenter legerent, quicquid eâ Scripturâ viderent; quòd literis sacris, aut legis mandata, aut Prophetarum obiurgationes continerentur? Quod indicatur eiusdem libri capite XXIX. dum alij ne librum Isaiæ legant, causantur esse obsignatum, & clausum; alij dicunt se ignorare literas, non quascumque, sed sacras איני יודע ספר *Ego nescio librum*; ac si librum Legis ignorare se dicant, & eius scripturam. Quod noster vertit: *Nescio literas.* Dauid quoquè ait ex eorum persona, qui simpliciores quidem, sed sanctiores sunt. *Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum, quoniam non cognoui literaturam.* Hoc est, & si imperitus sim Sacræ literaturæ, nec legis arcanam scripturam norim; tamen haud minùs sedulus ero in tuis laudibus cantandis, neque ideò me studium pietatis deseret, quòd scribarum ars mihi ignota sit. Literatura Græcè est γραμματείας, hebraicè ספרות locus autem, è Tract. Sanchedrin cap. Cohen Gadol allatus, explicat, quo pacto huius sacræ Scripturæ obliti fuerint,

rint, eamque rursus per Esdram recuperauerint ex traditione R. Judæ Hakkados, quem nullo addito Rab, ideſt Magiſtrum Talmudici vocant, ſacræ nimirum Scripturæ memoriam ob ſcelera populi deperijſſe. Cum verò rurſus pœnitentiam egiſſent in captiuitate, & in reditu redditam illis fuiſse per Eſdram veterem illam ſcribendi rationem; quo ſenſu explicant verba illa Zachariæ VIII. *conuertimini ad munitionem vincti ſpei.* Munitionem autem vocari pœnitentiam; in quam qui ſe recipiunt ab omni hoſtium inſultu ſecuri, ac tuti ſunt. Sequitur: *Hodie quoque annuncians iteratò reddam tibi.* משנה אשיבלך Hoc eſt: reddam tibi legem eâ ipsâ ſcripturâ, & formâ, quâ per Moſem dedi. Quod qua celebritate factum ſit, & quibus ceremonijs explicatur II. Eſdræ VIII. Obijcebantur aliqua, ad quæ facilis reſponſio erit. Primùm Scripturam Samaritanam vocari ab antiquis Hebræam: hanc verò non Hebræam, ſed Aſsyriam; verum eſt; ſed hinc rei veritas clariùs apparet. Sciendum eſt: Hebræos ipſos nuſquam ſe Hebræos vocare, neque olim vocaſſe; Sed cum de ſeipſis agunt, vel olim agebant, alijs nominibus vti ſolere, qualia ſunt: Iſrael, Filij Abraham, Populus Sanctus, vel nullo addito, Populus. Hebræos autem primò vocarunt Aſsyrij; eò quòd trans fluuium degerent, quare, & Paleſtina omnis in libris Eſdræ, & Nehemiæ, in Epiſtolis Regum Perſarum, & Aſſyriorum, ſemper vocatur Regio Trans fluuium עבר הנהר Abrahamus primus, cum tranſmiſſo fluuio in Paleſtina habitare cœpiſſet, vocatus eſt à ſuis עברי ideſt Trans Euphratanus, vt ſic loquar. Hoc autem nomen ipſi adeò non magnifaciunt, vt libentiùs ſe Iudæos vocent, quàm Hebræos; imò hoc fortè nunquam hac ætate. Fortaſſe quod Nomen illud עברים prorſus affine, atque in pronunciatione idem ſit cum nomine עררים quod cæcos ſignificat. Itaquè cum ſcriptura illa, quam diximus fuiſſe vulgarem, ac prophanam, vocatur בניעבר הנהר Filiorum Transfluuium, nihil ſpecioſi, aut magni eo nomine illi tribuitur, ſed potiùs illi datur nomen, quod apud eos minimo in prætio erat. Cum interim altera Scriptura vocaretur Sancta.

Nam

Nam cum nomen hoc Hebræi non haberent nisi ab exteris, habebatur veluti pro appellatione extera, & profana. Quemadmodum enim Germani in Italia Ultramontani vocantur, & Asiaticos, & Africanos olim Transmarinos appellabant, cum tamen ipsi se non vocent his nominibus, nisi vt sequantur vsum iam inuectum, & vt facilius intelligantur, ita Assyrij Abraham, & eius posteros vocant Hebræos, quasi Trans Euphratanos, quod illis nomen exterum erat. Vulgariore ergo nomine vulgaris scriptura appellabatur. Eadem quoque dicitur vocata לבונאה quidam vertunt Libanitidem, Tanquam à præcipua Syriæ parte denominatam. Nam & nunc Libani montis incolæ Maronitæ præ cæteris Syriæ populis celebres habentur. Sed potior habetur aliorum sententia, qui eam Scripturam sic vocatam putant a לבנה *Lebana* Luna; siue quod plenas Lunulas haberet in extremis apicibus; siue, quod magis affirmarim, quod secundaria Scriptura esset. Ita vt prior Sacra, & Solaris, hæc secunda, Lunaris vocaretur, quam & instar Lunæ mutationibus subditam ostendimus.

C A P. XII.

Cur vetus Scriptura vocetur Assyria.

SEd quia nomen Assyriæ, siuè Assurith, quod huic scripturæ tribuitur; fecit, vt quidam putarent Esdram Assyriorum Scripturâ vsum: maxime quod in veterum Hebræorum libris dicatur, ideo vocata esse Assyriæ Scriptura, quod vna cum ipsis exiuerit de Assyria, hoc est, vt ipsis videtur, ex captiuitate, atque exilio Babylonico, id quoque explicandum est. Nam Hebræi non consentiunt in explicatione nominis Assurith, alij vertunt *Rectam* quod hæc Scriptura quadrata, & velut ad normam exacta, atque legitima sit à voce *Iasciar.* ישר alij *beatam*, quod

beata præ cæteris scripturis vocari merito posit, quâ Deus ipse dignatus est Tabulas legis exarare à voce אשרי alij *Scripturam Principum, siue Principalem* à שררה alij denique à loco Assyriam vocari putant; nec desunt, qui ab auctore *Assur*, qui filius fuit *Sem.* Vtrumque nomen explicare placuerit: constat non ideo vocatam esse Scripturam Assyriam, quod eam Esdras ab Assyria retulerit; sed quod vna cum Abraham de Assyria exiuerit. Ac proinde pulchrè conueniunt duo hæc nomina Assyria, & Hebræa, duabus scripturis tributa. Nam antiquior & quam Abrahamus ex parentibus hausit in Assyria, vocata est Assyria: recentior verò, quam fortè Abrahamus ipse excogitauit, postquam Euphratem transijt, Trans Euphratana dicta est. Licet enim graues auctores putent, Mosem fuisse primum huius sacræ Scripturæ auctorem, qui etiam fertur characteres, & vsum scribendi primus omnium inuenisse, vt apud Eusebium lib. IX. de Præp. c. IV. Artapanus, & Eupolenus sentiunt; Tamen aut alias literas Moses inuenit, aut has ideo dictus est inuenisse, quia primus insigniter excoluit, ac fecit æternas. Quare S. Augustinus lib. XVIII. de Ciu. cap. XXXIX. *Non est credendum, inquit, Hebræam tantum linguam per illum, qui vocabatur Heber, vnde Hebræorum vocabulum est, fuisse seruatam; atque inde peruenisse ad Abraham; Hebræas autem literas à Lege cæpisse, quæ data est per Moysem; sed potius per illam successionem Patrum memoratam linguam cum suis literis custoditam.* Addam, & Irenæi testimonium, qui sic ait lib. II. cap. XLI. *Per omnia autem Hebræorum literæ non conueniunt numero Græcorum, quæ maximè deberent antiquiores, & firmiores existentes saluare supputationem nominum. Ipsæ enim antiquæ, & primæ Hebræorum literæ, & Sacerdotales nuncupatæ decem quidem sunt numero, scribuntur autem quæque per quindecim, nouissima litera copulata primæ.* Dum ait literas Hebræorum esse priores Græcorum literis, fatetur eas non esse ab Esdra, qui fuit Cadmo literarum Græcarum inuentore posterior. Dum *antiquas, & primas, & sacerdotales* nominat, manifestè eas distinguit à recentioribus,

&

& profanis. Quales verò dicat, *antiquas*, *&* *primas*, *&* *sacerdotales*, apparet ex eo, quod paulò ante dixerat, *Iesus secundum propriam Hebreorum linguam literarum est duarum, & dimidiae*. Quibus verbis indicat nomen hoc ישו in quo *Iod* pulcrè ab eo vocatur dimidia litera, quod dimidium sit vnius *Vau*. Iam verò quod sequitur: *Sicut periti eorum dicunt, significans Dominum eum, qui continet cœlum, & terram.* Hoc verò visum est quibusdam valde alienum à vero. Quid enim tale significat Hebraicè nomen *Iesu*? magis verò mira visa est notatio, quæ additur. *Quia Iesus secundum antiquam Hebreorum linguam Cœlum est*, terra autem *iterum Sura Usser dicitur*, sed hæc verba credibile est errore aliquo, vel ex glossemate ad marginem adscripto, vel ex interpretis infelicissimi, & imperitissimi lapsu in textum Irenæi irrepsisse. Nam credi non potest virum cordatissimum Irenæum talem nominis Jesu originem reddere potuisse, vt ideo nomen hoc significaret Dominum Cœli, & Terræ, quia *Iesus* Cœlum significat, & Sura Usser Terram. Ergo hac explicatione sepofita, dicimus originem illam ab Irenæo ex virorum doctorum sententia traditam esse certissimam. Nam nomen hoc ישו per *Rasche Theuòth* est שמים וארץ יהוה *Dominus Cœli, & Terræ*. Verùm id quod additur, literas Hebraicas esse *Decem* quis facile explicet? nisi velis erratum in numero, vt pro XXII. scriptum sit X. & item quod additur scribi per *quindecim*, corrigendum, *per vndecim*. Nam prima extremæ coniungitur per eam Kabbalæ Regulam, quæ vocatur *Ath Basc*, את בש & ita fiunt vndecim binarij, sed ad institutum redeo. Scripturam Hebraicam, quæ modo habetur, Assyriam Hebræi vocant, quibus consentiens Philo eandem Chaldaicam nuncupat. Quod igitur ille ait lib. II. de Vita Mosis Legum initio Chaldaicis literis scriptam fuisse, non bene quidam illud initium ad Esdræ tempora referunt. Chaldæos enim vocat Philo Assyrios; Eodemque nomine Hebræos quoque inuoluit; Ut cum ait Ptolemæum curasse transferri Legem è Chaldæorum lingua in Græcam; sed de Philone quæstio est, an in eo errauerit,

putans linguam Hebraicam ipsam esse Chaldaicam, & nullum inter has discrimen agnoscens, quod in Philone discussimus, cùm de scriptoribus Hebraicis egimus. Claudam caput hoc si prius ex Thalmud Hierosolymitano locum Massecheth Meghilla cap. 1. explicauero, quo sic dicitur: אשורי יש לו כתב ואין לו לשון ועברי יש לו לשון ואין לוכתב *Assyria est scriptura, cui deest lingua. Hebræa est lingua, cui deest scriptura.* Hic locus videtur indicare scripturam, quæ vocatur Assyria, non esse propriam linguæ Hebraicæ. Sensus autem hic est. Duæ erant linguæ, & duæ scripturæ apud Hebræos, Sacra, & Profana; sed Sacra lingua vocabatur Hebræa, scriptura vocabatur Assyria. Contra verò Profana scriptura vocabatur Hebræa; lingua verò Profana, seù vulgaris Syra, vel Assyria. Ita inter se mutauerant vices, vt Assyrium nomen diceretur de scriptura sancta, non de lingua. Hebræorum de lingua non de scriptura.

CAP. XIII.

Quid sibi velit scriptura Nistauon.

QUod verò aiunt scripturam Assyriam vocatam *Nistauon*, id nunc expendendum est. R. Jose exponit *Nistauon*, idest *Nistane* נשתנה innouatam a שנה innouare. Aiunt Assyriacam illam scripturam veterem olim populo traditam ab Angelo, qui Balthassari necem, & exitum prædixit innouatam. Mota enim quæstione cap. Cohen Gadol. *Cur, dicit, non poterant legere scripturam?* Dan. 11. *dixit Rab scriptum erat per Gematria*, (idest literæ literis substitutæ eiusdem numeri); Alij dixere: scriptum erat per *Athbasc*, *idest vt cuique literæ substitueretur illa, quæ ei respondet, si vltima primæ, penultima secundæ substituatur, quomodo pro* מנא *fiet* יט״ן *Samuel dixit: ita fuisse confusas literas, vt ex singulis dictionibus pri-*

mæ ordine collocatæ fuerint, & postea secundæ, tum tertiæ (vt si scripturus: *Verefabis satio*, scribus *Usfeaarbt eÿso*) *R. Iochanan dixit in singulis dictionibus ordinem literarum fuisse mutatum*, vt ex מנא *fieret* אמנ R. Ase dixit aliter id factum nempè transpositis primis duabus literis ex מנא נמא R. Samuel in Chazon le Moed (Comm. in Dan.) hos omnes refellens, ait: scriptum fuisse coniunctis literis absque vlla distinctione; quam vnam fuisse causam, cur intelligi nequiuerit. Sed quia has omnes vanissimas diuinationes ipsimet, vt reor, auctores irridebant, in id faciliùs consentiunt, ab Angelo hæc verba scripta esse Hebraicè, quod & sententiæ ipsorum aptius est, cum dicant nullam aliam linguam Angelos vsurpare, præter hanc vnam. Cur autem è Chaldæorum sapientibus nemo eam scripturam intellexerit; causam hanc afferunt nonnulli, quod Chaldæi Hebraicè nescirent. Sed quia difficile credat quis in tanti Regis aula tam finitimæ linguæ tantam ignorationem esse potuisse, ideo meliùs disputant, Angelum vetere Assyria scriptura vsum, quæ iam in desuetudinem abiuerat, noua apud omnes vigente, quam Hebræam vocauimus. Ergo neque Chaldæi, neque Hebræi hoc genus scripturæ intelligebant. Primus Daniel diuinitus edoctus antiquæ scripturæ Characterum vim, & pronunciationem assecutus est. Ea sententia est putantium scripturam hanc vocatam esse Nistauon, eo quod innouata fuerit ab Angelo. Verum hæc sententia falsa deprehenditur, vel ab eo, quod non Daniel, sed Esdras huius scripturæ innouator asseritur. Atqui, si hoc verum esset, quod aiunt, illa Danieli tribuenda erat. Deinde tota quæstio de nihilo mouetur. Ubi enim scriptura hæc vocata est Nistauon, aut à quo? Tota erroris occasio ex duobus locis Esdræ IV, & VII, in quibus hoc nomen auditur. Sed vide quam prorsus alieno sensu: priore loco sic habes: Cum de Epistola ageretur, quam scripserunt hostes Judæorum Syri ad Artaxerxem, dicitur. כתב חשתון כתוב ארמית ומתורגם ארמית quod noster vertit: *Epistola accusationis*

nis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro. Et si verbum verbo reddas, dici potest: *Scriptura Nistauon scriptum Syriacè, & interpretatum Syriacè.* Græcè autem est: Ἔγραψεν ὁ φορολόγος τὴν γραφὴν συριστὶ καὶ ἑρμηνευομένην. *scripsit Tabellarius scripturam Syriacè, & interpretatam.* In posteriore autem loco, dum ageretur de epistola Artaxerxis ipsius, dicitur: וזה פרשגן הנשתון אשר נתן המלך Noster Interpres sic vertit: *Hoc est autem exemplar Epistolæ Edicti, quod dedit Rex.* Et si verbum verbo reddas verti potest: *Hæc est Epistola Nistauon, quam dedit Rex.* Græcè est vt Latinè: ἀντίγραφον διατάγματος. Primum igitur nihil certius, quam *Nistauon* hoc loco non significare scripturam hanc Sacram, quam vocamus Assyriam. Siquidem hæc solum peritioribus Hebræis tum nota erat, quippe tum recens ab Esdra innouata, atque in vsum reuocata, quis credat autem Regem Artaxerxem, aut, quod absurdius est, Syros illos hostes Hebræorum hoc genus scripturę vsurpare voluisse? Quid autem sibi velit hoc loco *Nistauon*; varij varia afferunt. Ego duorum è recentioribus verba describam, qui plurium sententias conferunt. Alter est sæpè memoratus R. Abraham Rophe in libro *Scilte Gbibburim*, qui explicationem illam priorem R. Jose confutans addit: *At R. Salomon, qui nunquam discessit à maiorum sensu, ac traditione, docuit, verbum illud Nistauon significare Epistolicum genus scripturæ. Et Radak in radicibus ait, ex R. Iona Nistauon esse genus Scripturæ explicatioris, aut melius conformatæ, non Hebraicum tamen, sed Syriacum. Aben Ezra verò ait: Nistauon esse formam quandam literarum, quæ vocantur Testimoniales. Et forte Aben Ezra putauit, has literas esse ita obsignatas, vt possent aperiri priusquam in manu Artaxerxis peruenirent; atque Artaxerxem similiter obsignatas literas reddidisse, quod genus Italicè vocamus: Patenti.* R. Samuel Arcauoltus, in libro *Amgath Aabboscem*, initio explicat, quid de Scriptura *Nistauon*, ac de tota quæstione Sacræ huius scriptio-

nis sentiat, ijs accedens, qui ab Angelo primum ostentam putant hanc scribendi rationem. Verba eius aliquantò liberaliùs adscribam: *Adam in Vniuersitate rerum summo loco est collocatus, à summo opifice, & oculos eius illustrauit, vt esset instar Angeli, atque lingua singulari vteretur, quæ mundo ipsi propria, & peculiaris est, in cuius verbis vis est efficiendi, vt appareat cœleste lumen in terris; & cum hoc porrò Adam ille primus cœlum Solis vestigio premebat. Sed cum in bonore esset non permansit: nam miser mutauit vestem è luce in vestem è pelle* (Eleganter Hebraicè dicitur mutasse Adam כתנת אור לכתנת עור *cuius filij ad iram prouocant eum, à quo conditi fuerant, donec diluuij aquis periere. Et Noe inuenit gratiam, & eius progenies latè propagata est. Verum hi quoque proceres, ac primi Heroes, cum insanam gloriæ cupiditatem concepissent, linguarum confusione puniti sunt. Ex illa lingua sancta relicta est apud eos, qui soli iustitiam, ac pietatem retinuerunt. Atque hi nunquam in omnibus suis aduersis linguam immutarunt, donec eâ meruerunt legem accipere in Sinai per Mosem, & cum lege Scripturam: Scripturam Diuinam, quæ potens est seruare ab omni malo custodientes testamentum eius, ac testimonia eius. Ac neforte Israelitæ in eo errarent, vt Scripturam hanc diuinam in profanis rebus vsurparent, initio sic factum est. Lex in vulgus data, ac distributa est Scriptura Transitus Fluuij, quæ etiam Lebanæa dicitur, & lingua sancta. Verum Scriptura hæc recta* (מאשרת) *adbibita est solum in libro Legis, ac Tabulis, quæ in arca seruabantur; quousque tum arca, tum quæ in ea erant sub Rege Iosia occultata sunt. Quò factum est, vt longiturnitate temporis in obliuionem abiret, nec nisi in procerum quorumdam memoriâ remaneret Scriptura sancta, qui cum Babylonem in exilium abirent, hanc secum ferentes, Samaritanis, quos in terra Israel reliquerunt, seruandam dederant solum Scripturam Transitus Fluuij, cuius forma collata Sancta est, sicut si homini Simia compararetur. Hac Scriptura Transitus Fluuij*

iij usi sunt hostes Iudæorum in scribendis contra eos accusationibus ad Artaxerxem. Ideoque dictum est 1. *Esdræ* 4. *Et Scriptura Nistauon; quia Nistauon est Portus in Prouincijs Trans Fluuium. Quemadmodum iuxta hæc scribens testatur insignis ille Medicus in libro, quem inscripsit de Bellis Persarum. Et Epistolæ, quæ scribebantur eius scripturæ forma, vocabantur Nistauonæ, vt in Esdra vides. Erat autem ea Scriptura in magno pretio apud viros illarum Prouinciarum, eo quod illâ Reges vterentur; atque adeo in literis illis accusationum scriptura erat Nistauon, & lingua Syriaca; Sed ita vt explicatione egeret. Scriptura est enim, scriptum Syriacè, & interpretatum Syriacè. Scriptura vero Hebraica olim pene deperdita sic reuocata est in vsum. Cum Rex impius voluisset in suum conuiuium induci vasa Templi, excitata est sanctitas (Diuinitas) vt per manus Angeli iuberet ante ora plurimorum (inter quos Hebræi quoque multi erant) scribere formam literarum Hebraicarum, & scripsit scriptura sancta mane mane tekel pharesin. Ex illo succus, ac vigor Scripturæ sanctæ reuixit, ac flores suos, & fructus edere cæpit in populo nostro. Et cæperunt rursus dignitatem eius extollere. Et quia tum sancta Scriptura renouata est per manus Angeli, maiores nostri pro huius rei Symbolo sumpserunt illa verba, & Scriptura Nistauon, ob affinitatem vocum Nistauon, & Nistane. Eandem verò Scripturam vocarunt Assyriam, seu Assurith, eo quod recta esset. Hinc illud quæsitum. Quare dicta est Assyria? quia cum ipsis de Assyria egressa est. Apparet manifestè eos non locutos esse de Scriptura propria Assyriorum, sed de Sancta. Nam de propria Assyriorum Scriptura stultum fuisset quærere: cur vocaretur Assyria. Porro Esdras statuit, vt ad obliuionem Scripturæ huius sanctæ in posterum euitandam, liceret eâ scribere omnes libros Legis, & ideo dictum est Sanhedrin. c.* 11. *Rursum data est Lex diebus Esdræ Scripturâ Assyriâ. Post Esdram pij omnes scripserunt libros sanctos Scripturâ sanctâ ad confirmandum eius vsum; non tamen, ita vt in reliquis eam vsurparent. Nam præ Sanctitate, & Religio-*

gione eius non licuit vnquam in communibus Scripturis ea vti, atque ita fert vsus Iudaorum in omnibus Prouincijs, vt Scripturam sanctam immutent, eamque diuersis omnino formis literarum adhibeant ad profana. Ita nec Sacra scribunt profanâ Scripturâ, nec vicissim in profanis adhibent sacram. Placet scriptoris huius sententiam de Sacra scriptura paucis colligere.

Scripturam Hebraicam dicit esse duplicem: sanctam, & profanam: profanam, quæ Transitus Fluuij dicitur, antiquiorem. Sanctam vero, quâ nunc vtimur, datam à Deo Mosi vna cum Lege. (prioris scripturæ auctorem nonnulli faciunt Joctan filium Heber). Mosem instituisse, vt solæ Tabulæ, & Liber Legis vnus, quem in arca seruabant, his literis Sacris scripta essent. Cæteri libri Legis scriptura vulgari, & profana consignati vulgo haberentur. Hinc factum, vt sancta scriptura paucis nota esset, & libro Legis ac Tabulis de perditis (vel vt Judæi dicunt absconditis) omnino obliuioni traderetur. Verum cum Angelus eius memoriam excitasset scriptis verbis contra Balthasarem; hinc cæpisse eius vsum renouari. Esdram quoque timentem, ne rursus antiqua obliuio literarum sacrarum irreperet, statuisse, vt omnes libri Legis ita scriberentur. Et postea etiam omnes sacros libros, ac demum etiam Textum Thalmudicum non aliter scribunt. In cæteris alio Charactere vtuntur.

CAP. XIV.

Quibus indicijs appareat linguam, & literas Hebraicas fuiſſe totius Humani generis initio proprias, & omnibus communes.

Eſt igitur Hebraica lingua, & ſcriptio, quia nunc vtuntur, antiquiſsima omnium, illaque ipſa, quam primi homines vſurpabant; id quod de literis quidem apparet ex earum nominibus; quæ apud Græcos ſunt ex Hebræorum vocibus deductæ. Aleph enim Alpha dicunt. Beth verò Betha. Ghimel Gamma. Daleth Deltha. He vero dicunt, E tenue, ſiue Pſilòn. Vau per OU deſcribunt. Zain, ſiue Zaith, vt fortè olim dicebatur, ipſi pronunciant Zetha. Cheth verò Chi. Tet vero Theta. Jod Jota. Caph Cappa. Lamed Lambda, Mem My. Nun Ny. Samech dicunt Sigma cum Simcha dixiſse debuerint. Pro Ayn videtur Y Pythagoricum eſse poſitum. Phe, & Pe, vna Hebræis litera eſt, Græcis duæ, ſed eiſdem nominibus Pi, & Phi. Zadik ideſt Juſtitiam Græcia non agnouit. Koph etiam non recepit, cuius in Latinis locum accepit Qu. Res, ſiue Ros Ro appellatum eſt. Scin verò Xi vocatum eſt, Thau ſuo ſono & vetere figura permanſit. Atque ex hac vna litera cuius formam Crucis eſse inſtar antiqui prodiderunt quam Græci retinent cœterarum literarum etiam ex Hebraicis delineationem eſse deſumptam, non difficilè colligimus. Quod vero ad linguam ipſam attinet haud eſt ambigendum illam fuiſse communem toti Terrarum Orbi, ac proindè non Hebraicam, ſed Humanam propriè appellandam. Antiquorum enim hominum ex hac ferè vna deprehenditur origo manaſse. Indicio nobis ſint nomina Heroum, quæ magna ex parte è Græca lingua interpretari nulla ratio poteſt. Cadmum, quis Græcè interpretetur? atqui Hebraicè antiquum ſignificat. Polyſthenes, & Pliſthenes conformata ſunt è nomine Peliſtin, quod Paleſtinos ſignificat. Phincas dictus eſt Phœnix. Cilix dictus eſt כאלכם quaſi Deus abſconditus. Romulus à רום Rem, Al-

Altus, & hinc dictus Altellus. Dicamus autem, & quam multis nominibus soliti essent Heroum sapientiam prædicare. Explicare res sacras dicunt Hebræi verbo פרש: huius verbi varia inflexione factum est, vt alius diceretur Paris, vnde & Parisij Galli, & Græcè Παῤῥησία, alius Perseus, alius Parrhasius, alius Phryxus, alius Priscus. Nam ש per X, per SC exprimitur. Rursum eadem ex voce dicta est Perutia Urbs Academia vetus, Persæ Populi antiqua sapientia celebres, Prusias Regis, atque Urbis Regiæ in Bithynia nomen. Mos etiam fuit addito מ ex hoc verbo nomina conformare; Hinc Mephres, Amphrysus, Amphiaraus, Amphiamares, versis, & mixtis literis, qui Hebraicè Hammephares dicitur. Porsena quoque Hetruscorum Rex hinc appellatur, & Prisci Latini. Priscum enim פריש inde dixerunt; quod Senes soleant esse sapientes. Jam verbum דרש quod est Concionari, atque explicare res sacras primum Drusos, ac Drusios cognominauit, quorum illud fuit Claudiæ gentis hoc verò Galliæ sapientum. D. verò in T., ac Th. commutata; dicta est Tarsos, quæ priùs Andrasos dicebatur Perseo auctore fundata. Thyrsum dixerunt id quod nunc Dors דורש dicunt, explanationem rerum Sacrarum, quæ allegoricis plerumque sensis vera celaret, velut frondibus cuspidem. Hinc Dares vocatus, ac Mithras, Deus ille Persarum, qui nihil aliud, quam Arcanam Dei expositionem nomine designabat. Hoc quippe Midras vocatur. Adrastea Jouis nutrix, & Adrastus à Syriaca huius verbi inflexione dicuntur. A *Patar* quod idem significat, Patareus Apollo; à Teraphim, seu Thelaphim Delphicus, & Tarpeij Jouis Sacrum iugum. Ciuitatum antiquissimæ ex Hebraica lingua habent nomina. Aretium à Tera, Ameria ab Omer è filijs Esaù, & à loquendo siue eloquentia; Luna Hospitium; Spina Nauis. Secana Tentoriu[m], Coritus, Sancta, siue eorum, qui sanciendis fœderibus operam darent, sedes; Sutrium Scribarum sedes, Ardea Mons scientię, atque aliæ; Tum cætera Italiæ loca. Appeninus idest Acutus, & Tiberis ab Oraculo, vti & Tibur, estque idem quod Dibur, Vaticanus. Siculi ab intelligendo, Platiæ, seu Phlegyæ à Phales siue à diuisione; Cumari seu Cymerij à Sacris abditis, Brutij à sanciendis fœderibus,

bus, Thuscon sapientiam significat. Est etiam Romanarum Familiarum origo ex huius linguæ nominibus accersenda. Cornelij idest Cornua Dei. Furij à Sorte dicuntur, Junij à Columba, & à Jauan, Valesij, seu Valerij ab Elisia, siue Aleso, vnde Elysia, Alesia, Valeriaque Roma ipsa est appellata. Marius dominum sonat, Sempronius Samaritanum. Nam Semron dicitur Samaria. Fabij olim Fatij ab Epapho, quod nomen Hebraicum est Aphaph. Clausij postea Claudij à pulchritudine sic vocantur, Virgilij fine pedibus, Horatij, Curiatij, & Curetij, & Quirites, atque Curetes dicuntur ijdem, qui in Sacris literis Cerethi, idest Milites strenui bella, & fœdera sancientes, sicut & Phelethi, quorum mentio est in Sacris literis, Palatini dicti. Caberorum Mysteria, quæ in cuiusdam sepulturæ fabula versabantur ex nomine sunt Kabar, idest sepeliendi. Telchines, Salchin, Salij idem sunt Sacrarum rerum missi Interpretes. Thalassio idest Tertius, seù Nuptiarum Proxeneta dictus est. Achæi idest Fratres, Danai, idest Thanaim, sapientes. Graij idest Peregrini, Dores idest Progenies, Græci, quasi Gre Achim Peregrini Fratres dicebantur. Jam quot illi habent nomina ex Palat, & Malat verbis deducta, quæ significant pericula euadere. Imprimis Pluto, & Plutus, & Platon, qui apud Hebræos Aphlaton dicitur. Dein Miletus Apollinis filius, ex quo Urbs quoque dicta est, & Melite, atque Amalthea, & Molotti, qui Molossi dicebantur, quorum & Pluto Rex ferebatur. Chalcidenses in Sicilia Urbem condidere, quam Naxon vocarunt. Quia idem est Nachs, vel Nachos Hebræis, & Chalcis Græcis, nempè æs. Casij quasi occulti, Cadusij quasi sancti; Caspij quasi argentei, Sabini quasi aurei nominantur. Solymorum nomen in ipsis ortum Hierosolymis Lyciam, & vicina Phrygiæ loca tenuit, in quibus Chimæra idest Sacerdos prophani ritus fuit, quam vicit Bellerophon, cuius nomen Magistrum Medicinæ significat, est enim Bel Magister, Rophe autem Medicus. Caucaseus Mons à Stellis, quas inde contemplari licebat nomen accepit, illæ autem Cauca, & Cocau dicuntur; Et Montis Amani nomen ex Fide ductum est, vt Sinai è spinis, Libani, ex alba niue. Parnassi è pascuis. Rodope Mons dicebatur sequi Or-


pheum,


pheum; nam & Rodoph sequi significat. E Sacris literis Hebræorum, Ethnicarum fabularum orta primordia. In Paradiso serpens, & Elysiorum nomen, ac pro Lucifero Ate, ac Vulcanus è Cœlo deiecti, proque Eua Pandora, & pro Verbo hominis Conditore Prometheus. Sciendi cupiditas in Adamo Japeti fabula designata ignem è Cœlo subripientis. Seth in Ægypto dictus est Typho, & asini forma cultus, vt Epiphanius memorat. Ideo forte, quod si aliter scribatur, eadem tamen pronuntiatione, onus ferre significet. Et credibile est Ægyptios Chami Nepotes, qui Caini hæres, atque imitator fuit, eius partes secutos Setho aduersatos fuisse. Diluuium nulli fere Ethnicorum ignorauere. Turris insanam molitionem, bellum Gigantum appellarunt. Quæ sequuntur historiæ & si minus, non tamen omnino fabulis non vsurpatæ. Unam scimus celeberrimam Thermuthin filiam, seù neptem Amenophis, quæ ob Mosem ex aqua extractum inter Deas ab Ægypto habita est, & altera Isis existimata. Thermuthis autem aliud nomen est, ac Pharmuthis: videtur autem eiusdem esse vtrumque. Pharmuthis erat Mensis secundi apud Ægyptios nomen, qui Hebræis Ijar, & Zio, Latinis Aprilis dicitur. Cum autem hoc sit Veris tempus, quo cuncta iuuenescunt mirum non est summo cultu fuisse à veteribus dedicatum, qui omnia ad naturæ ordinem aptabant. Itaque Græcis hinc Ἔαρ dictum, & Ἔαρ Hebraica voce seruata, deinde Ver à Latinis. Atqui Pharmuthis symbolum quoddam fuit Isiacæ superstitionis, quod antiquissimis Ethnicorum vertit in nomen, vt literis commutatis, & Prometheus, & Pharmundus, & Bermudus nomina hinc deducta videantur. Dicebatur autem, & Pharmasi vt solent Hebræi S. in T. ac vicissim permutare. *Hyc* arcana Ægyptiorum lingua sonabat Regem, vt Josephus Hebræus est auctor, atqui hoc Hebraicum est חק hinc autem, & Chocani, qui Abarum Principes erant, & Cycni dicti, & Cocali quoque, immutata litera, ex quorum vno Vulcani filio Cœcilia gens ortum ducebat. Prisci Reges Latinorum Myrrhani dicebantur, quod Hebræo Syriacum est, & idem sonat quod Dominus noster. Pœni Suphetes habebant, idest Judices Hebraice.


cè. Hetruscis erant Medices dicti, quasi Mezdices à iustitia curanda. Sedicini Hebraicè Populi vocabantur, qui Latinè Æqui. Nugas, Mensuram, aliaque nonnulla è Latinis nomina Hebraica esse S. Hieronymus adnotauit; Fauni, & Satyri, quorum in latio antiquissima est memoria, dicente Virgilio, Euandri verbis:

Hæc nemora indigenæ Satyri Faunique tenebant.

nihil fuere aliud quam viri sapientię opinione præstantes, qui dum latent Satyri à Satar, dum apparent Fauni, & Panes, à Phana dicebantur. Ita vndique se indicia dant, linguam hanc non vnius Populi propriam, sed totius humani generis fuisse natiuam.







Titulus Primus.

DEVS OPT. MAX.

1. 

Uemadmodum vnus Deus, ita vnus est Dei liber annis fere bis mille conscriptus, quot inter Mosis, et Jobi, & postremam Joannis ætatem intercesserunt. Eius aliqua pars à Deo scripta est, reliquum à Prophetis; à Deo Decalogus in Tabulis binis, idque bis. Quæ sanè suprema est Lingua Hebraicæ, nec non Hebraicarum dignitas literarum. Dum ille Rerum Opifex, post Cælos opera digitorum suorum, vario siderum charactere, descriptos, tabulas binas bis digito suo, hoc est virtute diuina, verbis, ac notis Hebraicis exarare dignatus est. Reliqua à Prophetis scripta sunt, Hebræis omnibus, aut Proselytis, qualis Abdias fuit, & à quibusdam putatur, & Lucas; qui liber etsi non, Hebraica lingua totus, Hebraico tamen stylo totus descriptus est; Nam & in Chaldaicis Danielis, & in Latinis Marci, & in Græcis Lucæ, Pauli, Joannis Hebraicum loquentis apparet idioma. Libri nomen Hebraicè Berith ברית, Græcè διαθήκη, Latinè Testamentum. Primò ob certam Fidem, id enim nobis Dei volun-

lun-

luntatem, dispositionemque testatur. Secundò ob immutabilem firmitatem; in hominibus enim mors facit, vt quæ vltima sunt voluntate sancita mutari nequeant: in Deo autem id efficit expers vicissitudinis, & successionis æternitas. Ipse enim est semper idem, & id ipsum quod loquitur ipse est. Clemens Alexandrinus ipsum Deum vocari Testamentum adnotauit libro primo Stromatum, *Moses*, inquit, *videtur Deum appellare* διαθήκην *hoc est pactum, seu Testamentum. Ecce ego, dicens, pactum meum tecum. Nam prius quoque dixit: Pactum ipsum non esse quærendum in scriptura; est enim pactum Deus ipse, qui statuit, qui est auctor vniuersi, Deus autem Græce dictus* θεὸς, ἀπὸ τὴν θέσιν *In Petri autem prædicatione inueneris Dominum vocari Legem, & Rationem.* Hactenus Clemens, & sanè θεὸς quasi θεσμὸς, Lex Sacra. Liceat mihi Hebræorum quoque minutias, & ineptas sæpe obseruationes referre, Nomen hoc Berith, Hebræi dicunt numerum continere sex centorum duodecim præceptorum. Nam tria dicunt esse nomina, quæ numerum Dei mandatorum explicent. Primum תורה *Thora* Lex, quod continet DCXI. Secundum ברית *Berith* Fœdus, quod continet DCXII. Tertium כתר *Cheter* Corona, quod continet DCXX. Præcepta, quæ Moses protulit aiunt esse sexcenta vndecim, & vocari *Thora*, quibus si addatur Oraculum, quod Deus ipse promulgans protulit in Sinaj. *Ego sum Dominus Deus tuus*: fieri sexcenta duodecim, & vocari *Berith*, si addantur his octo mandata Synagogę magnę fieri DCXX, & vocari *Cheter*. Ita semper in numeris Illi suis, & literis argutantur. Addamus aliud pro ijs, qui has minutias Hebræorum amant. Prima dictio Sacrarum literarum בראשית (qua voce rerum omnium opificium ipsi vocare consueuerunt) triplici binario constat בר אש ירת quę Latinè explicantur (vt solent Hebræi verba aliter, atque aliter ijsdem literis distinctis in diuersas voces formare, quod in Sacra lingua, dummodo moderatè fiat, interdum licet) his verbis

bis: *Filius*, *Ignis*, *Deus Benedictus* Hypostaseon aperta contestatione, quemadmodum: & primus ternio eiusdem nominis ברא e singulis literis efficiendo singulas dictiones sic explicatur: בר רוח אב *Filius*, *Spiritus*, *Pater*; Ex Patris autem, & Filij syllabis simul iunctis fit ברית *Testamentum*, quod, quia duplex est; ideo Patris, & Filij vocatur: Antiquum Patris, Nouum Filij; nec proinde אש *Ignis*, idest Spiritus Sanctus excluditur; sed in medio ponitur vtrique communis, ex vtraque aptus & ipse nexus vtriusque. Alij vocem בראשית explicant, ברית אש *pactum igneum*; quod Moses *Igneam Legem* vocauit, quam Deus cum in Synai veniret præ manibus fertur habuisse Deuter. XXXIII. *Et in manu eius Ignea Lex.* Hùc verò etiã locum Jeremiæ XXXIII. trahunt אם לא בריתי יומם ולילה חקות שמים וארץ לא שמתי Quæ verba sic intelligunt: *si non esset (Berith) Testamentum meum, Diem, ac Noctem, Leges Cœli, & Terræ non posuissem.* A qua explicatione non longè abeunt LXX. Ἐὰν μὴ οὖν ἡ διαθήκη μου, τῇ ἡμέρᾳ, καὶ τῇ νυκτί. καὶ νόμους τοῦ οὐρανοῦ. καὶ τῆς γῆς μὴ ἐθέμην. Tanquam condendi Orbis causa fuerit liber hic; neque aliam ob causam Deus Leges rerum posuerit; quam vt posset aliquando Legem quoque hanc hominibus scripto promulgare. Sic illi. Verum vti Sacras illas literas à Deo ipsis olim creditas summa cum veneratione suscipimus, ita minutas hasce, ac leues adnotatiunculas nunquam magni fieri oportet, sæpè reprehendi.

Libri quos Allegoria Deo tribuit.

ספר תאלהות 1. Liber Diuinitatis
ספר הטבע 2. Liber Naturæ
ספר השכינה 3. Liber Gratiæ
ספר המלאכים 4. Liber Angelicus
ספר השמים 5. Liber Cœlestis
ספר היסודות 6. Liber Elementaris
ספר האדם 7. Liber Humanus.

Quia non modo hi, quos stylo, aut calamo perscribimus, libri sunt, sed ampliore quadam acceptione, liber est quicquid certis, ac fixis notis, ac signis plurium rerum ingerit notionem, iure septem hos libros Deo tribuit Allegoria. Quinque sunt enim rerum naturæ, quarum suo quæque modo totius Vniuersi complexa rationem libri instar est contemplanti, *Deus*, *Angelus*, *Cœlum*, *Orbis Elementaris*, *Homo*: Horum singulis inest quodammodo collecta totius Uniuersi explicatio, ac summa. Respondent autem sibi proportione quadam, vt superior Natura concinnius, & explicatius quamquam breuius, vniuersa contineat, quam inferior. Ac Deus sicut Hypostasi triplex est, ita iure dicetur triplex liber. Qui enim Deum vident, & ipsum, & in ipso omnia vident. Hoc est tum ea, quę ad Ordinem spectant naturę, tum ea, quę ad Ordinem Gratiæ. Est namque Gratia medium quiddam quod Deo Naturam, vt ita dicamus, aptat, & iungit, quę ex sese actum nullum posset elicere, quo Deo actui puro iungeretur. Triplex itaque in Deo est perfectio: *Diuina*, quæ formalis, vt loquimur, & primaria est; *Naturalis*, & *supernaturalis* Creatæ, quæ in Deo sunt eminenter. Hinc dicimus in eo esse Triplicem librum *Diuinitatis*, *Natu-*

ræ,

ra; & Gratiæ. Quia Deo viso, & ipsa Diuinitas videtur, & Creata Natura, & Gratia. Et hos tres libros Tribus Personis congruere iudicamus proportione quadam. *Liber Diuinitatis* est præpotentis illius Numinis ipsa Natura, & vt vocamus, Essentia; Quæ simul res est, simul species, & species quidem sui, ac rerum omnium; hic dici potest *Liber Patris*, qui à Theologis Fons vocatur, & origo Deitatis. De hoc libro quidam illud accipiunt Psalmi xxxix. n. 8. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Falso enim Hebræi (vt apud R. Elscik in Commentario videre est) locum hunc Dauidi aptari conati, *Caput libri* intelligunt libri Geneseos quadragesimum nonum Caput, quo sub Iudæ nomine, vt aiunt, Laudes Dauidis ex eo nasciturì canuntur. Aut certè librum Ruth, qui de Dauidis Prosapia loquitur. Fauente vsu nominis *Meghilla*, (quod noster hic vertit: *Caput*) qua voce librum Ruth vulgo placet Hebræis nuncupare. Nos Pauli Apostoli ad Hebræos scribentis Cap. x. auctoritate; nec non loci serie, ac textu docemur, hic agi de Christo. Vero simile est autem nullum Sacrorum librorum hic indicari, cum difficile sit ita de loco aliquo, hæc accipere, vt non alia supersint, quę nihilominus de Christo loquantur. Et sanè non tam caput aliquod Sacrorum librorum de Christo agit, quam vniuersum factum opus. Quare aptius alij *Caput libri* intelligunt Patrem. Nam Pater in Diuinis vocatur Caput. *Caput enim Christi Deus.* Et quia Filius est in Patre, ideo iure inscriptus libri huius capiti dicetur, vt Beda, Rabanus, Thomas, Lyranus, exponunt. Quod fortè innuauit Interpres Symmachus, ita hunc reddens locum: ἐν τῷ τεύχει τοῦ ὁρισμοῦ σοῦ: *In libro definitionis tuæ*, idest in Patris mente.

II. *Liber Naturæ* est illa ipsa in Deo vis, & ratio, qua cuncta sunt condita. Atque hæc Verbum est; Verbo enim Deus cuncta in Sacris literis dicitur, & cognoscenda fecisse, & cognouisse facienda. Quicquid est, hoc libro descriptum continetur, vt sit. Viuunt, quæ huic libro inscripta sunt, quæ delentur intereunt. Ex hoc ergò se libro deleri Moses optat, nisi suo-

rum crimini parceretur. Aut *parce*, aiebat, Exodi xxxII. v. 31. *aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Atque hìc rursus absurdi sunt Hebræi quidam, qui librum hunc Pentateuchum ipsum putant. Id enim rogasse Mosem: vt si parcere reis nollet, insonti sibi parceret; neue se posteris ob illius expeditionis infelicem exitum deridendum propinaret. Sed nomen Mosis ex eo libro deleret, quem scilicet iam dudum Deus ei scriptum ostendisset. Hoc R. Bachar; Hoc R. Isaac Harmea, in *Akedath Isaac*, & alij interpretes arbitrantur. At qui stupor est non videre quod pueri animaduerterent? Nam si Moses Pentateuchum, vt fabulantur, scriptum à Deo acceperat, profectò in eo viderat, quem exitum ea Populi labes, ac Dei indignatio esset habitura; nec tantoperè solicitus fuisset, vt nomen suum eraderetur ex Legis historia (ne seductor, ac vanus à posteris crederetur) cum sciret hæc omnia commodissimè demum, Deo po-populi sceleribus indulgente, casura. Nec possum id irreprehensum sinere, quod Mosem faciunt non de suorum salute, sed de sua vnius fama, & æstimatione solicitum: Quippe qui neque parci Populo, nisi suæ famæ studio cuperet: neque, si famæ ipsius ratio haberetur, quicquam præterea intercederet, quò minùs vnà omnes perirent. Illud quoque difficile adducor vt credam; Mosem postulasse deleri è libro Vitæ, ac Prædestinationis æternæ. Primum enim sciebat id fieri non posse, cum Deus eiusmodi decreta non mutet; Deindè non ignorabat exitium precibus non dari; Postremo neque id charitate, neque spe suadente potuisset vnquam petere; Nam spes quidem, cuius est opus oratio, tota in Beatæ Vitæ cupiditatem tendit, ac quæcumque optat, hùc dirigit; quo pacto igitur posset æternam eius vitæ iacturam postulare? Charitas verò nunquam vt alteri homini succurrat, aut sibi quemquam nocere cogit, aut à Deo suadet auelli. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Hoc igitur petebat his verbis, quod deinde Numerorum xi. v. 15. petijt, *Obsecro, vt interficias me*; vitam insuauem ducens, nisi suis parceretur, cum ijs interire malebat, quam vel ad maiora seruari. Hic erat *Liber Vitæ*, ex quo se deleri postulabat; ipsa, quam viuimus, vita mortalis. Ille idem liber, de quo dixit Isaias cap. 4. v. 3. *Omnis,*

qui

qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem Sanctus vocabitur: Omnis, qui scriptus fuerit in libro Vitæ in Hierusalem.

III. *Liber Gratiæ vocatur* à nobis: Hebraicè vocari potest שְׁכִינָה Nam *Sechina habitatio* eam Numinis præsentiam significat, qua præter Naturæ Leges adest, & aliquid arcani, ac secretioris operatur. Neque enim quævis in rebus Dei præsentia *Sechina* vocatur Hebraicè, sed quam Gratuitam, & supernaturalem, vocamus. Hinc illi in *Bereschith Rabba*, sect. XIX. fusè narrant ob septem scelera *Sechinam* discessisse à terris, & ob totidem postea Iustos fuisse reuocatam. Estque ipsis idem *Sechina*, *& Ruach Hakkades* Spiritus Sanctus. Sed quocumque demum nomine Hebræis vocetur, à nobis vocabitur liber, ac series Prouidentiæ supernaturalis, & Gratiæ. Quem librum in sacris litteris reperio duplicem: Prior est Prædestinationis ad vitam æternam, de quo Apocalypseos XVII. v. 14., *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*. Et Philippensium IV. v. 3. *quorum nomina sunt in libro vitæ*. Ex hoc libro nunquam semel scripta delentur. Nam vt rectè S. Augustinus Psalmi locum explicans mox citandum: *Si homo dixit: quod scripsi, scripsi: Deus quemquam scribit, ac delet?* Est alter liber deinde Mediorum ad finem, seu Dei auxiliorum ad finem, seu meritorum, quæ inde nascuntur. Hîc scribitur quicquid aut nobis Deus largitur, aut nos Deo rependimus, & velut quotidiana refertur accepti, & expensi ratio; & hic videtur esse delebilis, & παλίμψηστος; de hoc enim dictum videtur Psalmo LXVIII. v. 19. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Ex meritis enim hoc ijs precatur. Hi demum libri sunt, quos aperiendos Daniel mundi fine testatur, quos ipse extrema præueniens, apertos se vidisse memorauit. Cap. VII. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Hic est liber, quo Malachias omnia præscribi dixit Cap. III. v. 16. *Attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monumenti coram eo.* Nec aliud scribi sanctus Iob videtur optasse, cum dixit Cap. XXXI. v. 35. *Desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat.* Neque

enim

enim vt perperam hoc loco meo iudicio explicat Aben Ezra, librum ab aduersarijs de se scriptum significat, sed à Deo scribendum, vt ea, quæ sequuntur, ostendunt.

IV. *Liber Angelicus* ad tres diuinos accedit; Angelos enim θεοειδεῖς *Dei formes* Theologi vocant. Quod inter res creatas proximè ad eius exemplar accedant. Quod breui, & arcano sermone sub Tyrij Regis effigie supremum Angelum describens capite XXVIII. versu duodecimo dixisse videtur Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia.* Signaculum septuaginta hoc loco non reddunt σφραγῖδα, quod exemplar, ac Typum denotat; sed ἀποσφράγισμα, quod similitudinem è Typo, aut exemplari expressam. Quod retinens Tertullianus lib. II. contra Marcionem, Latinè reddidit, *Resignaculum.* Ergo Angelus ita est *Mens*: vt supremæ illius, ac summæ sit Mentis expressio quædam, & similitudo; vt liber ex libro descriptus. Et tamen pro suo modulo *plenus sapientia vocatur.* Eo enim scriptum continetur, quicquid à Deo factum est: breuis Naturæ Commentarius, breuis Creationis historia, omnium enim rerum conditarum species à Deo inditas habet. Hinc Augustinus rerum Creationis historiam solùm in Angelorum mente distinguit lib. XI. de Ciu. c. VII., ac sæpe alibi.

V. *Liber Cœlestis* hic ille est oculis quoque conspicuus. Liber, quo rerum omnium, vt quidam aiunt, notæ inscriptæ continentur. Ex hoc libro Abraham de Deo multa didicisse aiunt Hebræi in *Beresith Rabba*, & Suidas, & in Recognitionibus Clemens Romanus, vt suo loco dicemus. Ex hoc libro Iacob quoque plurima cognouisse dictus est, vt refert ex Apocrypha *Oratione Iosephi* tum Origenes lib. II. contra Celsum, tum ex eo mutuatus Eusebius lib. VI. de Præp. Cap. IX. Verba Patriarchæ quædam ad filios recitant: *Legi in tabulis Cœli omnia, quæ euentura sunt vobis.* Sed hæc profectò eorum sunt, qui plus Cœlo arrogant, quam deceret; quibus nimium fauentes Hebræi ea de Cœli libro scribunt, quæ iure grauiores Veri Iudices non probant; adscribam: quæ in eo genere, modestiùs tamen, quam cæteri, scribit R. Bachai primarius Kabbalista in illud: *Aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. Liber Dei vocatur syderum dispositio, nam quemadmodum liber*

inscribitur, ac notatur literis, ita Cœlum syderibus, & quemadmodum scientiæ, ac disciplinæ literis indicantur, ita syderibus notantur humana omnia; & numerus dierum vitæ, haud minùs accuratè, quam si perscriptum esset in libro. Hoc erat quod aiebat David: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia scribentur. Nam homo, qui superiùs descriptus est, fundamentum est hominis, qui est inferiùs; & inde vis omnis inde corruptio, & interitus. Proinde orabat Moses, vt si Deus sceleri suorum nollet ignoscere, quicquid in syderum dispositione, quod pro eo faceret, scripsisset, aboleret. Nam, qui hæc ipse fecisset, facile poterat ipse delere. Hæc ille. Hoc quidem piè, ac sobriè, quod omnia Dei potestati subijcit; sed non idem omnes sapiunt, siuè vt verbo vtar aptiore, desipiunt. Sunt enim, qui necessitatem Deo ex ijs, quæ Cœlo inscripta sunt haud minùs imperitè, quam impiè, & impudenter imponant. Et quoniam inter fabulosa versamur, quid de hoc libro somniarit ille Arabum impius fabulator ex Alphurkano exscribemus. Sic enim ille: *Tabulam Deus fecit, in qua scriptum est quicquid fuit, est, erit in Cœlo, & in terra. Calamum etiam fecit de luce clarissima; Longitudo calami itineris* D. *annorum, latitudo* LXXX. *annorum; Tabula de smaragdo viridissima; Verba eius de Margaritis, dorsum de pietate, Trecenties, sexagies Deus in hanc Tabulam inspicit, ponit quem vult, & delet quem vult.* Hæc ille fanaticè, vt solet, quæ de Cœlo dicta nonnulli putant; sed satis fabularum. Ad seria, & vera veniamus. Quid est, quod in illud Isaiæ xxxiv. *complicabuntur sicut liber Cœli, scribens diuus Hieronymus ait, & hoc considerandum, quia non dicit interire Cœlos; sed complicari, quasi librum, vt postquam omnia peccata aperta fuerint, & relecta complicentur, qui prius aperti fuerant, vt nequaquam vltra scribantur in eis peccata multorum.* Quo pacto peccata hominum scribuntur in Cœlo? An quia perpetui illi Vigiles Angeli rebus humanis à Deo præpositi, qui è Cœli specula, per syderum velut ostiola nos speculantes; excubias agunt, quidquid à nobis perperam fit, ita memoria retinent, vt Cœlo ipsi id insculpsisse videantur? Quo sensu in Cœlum peccare nos dicimus; *Pater peccaui in Cœlum, & con*

ram

ramte. Sane si scelera Cœlo inscripta ferrentur, fateri oporteret, inscriptos esse Cœlo, quos Græci fabulantur, Jouem, Herculem, Ganymedem, Antinoum, ac cæteros, quorum scelera Cœlo inscripsit antiquitas.

VI. *Liber Elementaris*, extremus est inter Dei libros, sed primus nobis. Prima nimirum, ac pœne puerilis institutio est sapientiam Dei vestigare cupientibus, hic Orbis, hoc rerum volumen, quo prima quatuor continentur Elementa. Ex hoc libro se multa de Deo Magnus Antonius aiebat, ac pulchra didicisse. Bernardus quoque Academiam suam vocabat Syluas. Nec Dauid singulas res cieret ad rerum apificem communi Oratione celebrandum, nisi sciret in singulis apparere, quo Deus posset iure laudari; nec filius eius Salomon, vel formicam iuberet nos adire disciplinæ, ac sapientiæ causâ; neque ipse tam sedulo *vsque ad hyssopum, quæ repit ad parietem* de rebus omnibus disputasset, nisi ex omnibus, quæ diuina, & magna numeraret, habuisset. Sed liber hic, si cum cæteris conferatur, est, vti dicebamus paulo ante, puerilis. Atque ideo forte Apostolus Paulus eam institutionem qua primum homines imbuit Moses, vocat ex Elementis mundi huius; tota enim in his infimis versabatur. Hinc pecudum, & Victimarum vngulis, & ruminatione discreti Greges, inde discrimen ciborum, & expiationes, lustrationesque, & balnea, de quibus ille quarto ad Galatas. *Cum essemus paruuli sub elementis mundi huius eramus seruientes, at cum cognoueritis Deum, quomodo conuertimini rursus ad infirma, & egena elementa? Et ad Coloss.* 2. *videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum Traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.*

VII. Homo postremus hic ponitur, non quod inter Dei libros sit loco, ac dignitate postremus; sed quia Dei librorum est Epilogus, & breue compendium. In eo enim apparet Angelicus liber, Cœlestis apparet, Elementaris apparet. Quin Triplex ille diuinus liber aliquod in homine sui expressit exemplar. Ac veteres quidem Philosophi, Chaldæi præsertim, in eo toti fuere, vt quid in homine cuique superiorum, vt solebant vocare mundorum responde-

ret

ret, accerſerent. Et quot in homine partes, membra, vires, operationes, tot ex aduerſo in Elementari, tot in Cœleſti, tot in Angelico, tot in Orbe dicebant eſſe Diuino. Kabbaliſtæ verò, qui Dei nominibus arbitrantur ſe cuncta perficere, hominem quoque Dei nominibus portentosè, ac ridiculè conſtruunt. Ita vt quot ſint in eo membra, tot nomina. Hinc Baſilidianis illa fingebantur amuleta, quæ homunciones haberent à vertice ad calcem nominibus inſcriptos, qualis amethyſtus ab Annalium celeberrimo ſcriptore profertur Anno Chriſti CXX, & ſimul ex Epiphanio adnotatur, trecentas ſexaginta quinque virtutes ſecundum anni dies, totidem membris inſcribi debuiſſe, ſi fieri poſſet. At cæteri vulgò Hebræi docent: membra hominis, & artus ſingulos ſingulis Dei reſpondere mandatis, quod fusè explicat Libellus *Abkaob Rochel.*

TITVLVS II.

Liber Vitæ.

ספר החיים

Nomen hoc Hebraicè ſonat hæc tria: Liber Vitæ, Vitarum, Viuentium.

1. Primùm eſt Liber viuentium mortali Vita. Sic Exodi XXXI. v. 32. Iſaiæ IV. v. 3. *Omnis qui ſcriptus eſt in libro Vitæ in Hieruſalem.*

2. Secundò liber *Vitalis* ζωοφόρος, qui vitam legenti affert. Hoc ſenſu ſacræ litteræ vocantur *liber Vitæ*. Eccleſiaſtici XXI V. v. 32. *Hæc omnia liber Vitæ, & Teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis.*

3. Tertiò liber Juſtitiæ, ſeu quo benefacta continentur alicuius, ob quæ Vitam meretur. Hoc ſenſu intelligendum eſt illud Pſalmi LXVII. v. 9. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Et illud Apocalypſeos XX. v. 12. *Vidi mortuos, & magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni. Et libri aperti*

sunt, & alius liber apertus est, qui est Vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum.

4. Quartò demum est liber Prædestinationis; quo sensu intelligi solet illud Pauli ad Philip. IV. v. 3. *Quorum nomina sunt in libro Vitæ.* Ut pluribus in antiquitatum Theologicarum libris disputatum est.

TITVLVS III.

Apocrypha, quæ Deo tribuunt Hebræi.

אלפביתא	1. Alphabethum
כתב	2. Scriptura
תורה אש	3. Lex ignea
שלשה ספרים שבראש השנה	4. Tres libri, qui aperiuntur initio anni.

1. **A***lphabethum* Hebræi suum tanti faciunt, vt eorum tota ferè sapientia in literis hærere videatur. Ut reliqua omittam, quæ multa, & abstrusa de literis Kabbalistæ, quod instituto satis est, hoc dicam: eos putare nullam esse originem literarum, sed eas inde ab æternitate D. O. M. Coronæ semper insculptas fuisse. Plauderet huic sententiæ Plinius, qui literas alicubi vocauit æternas. Qui verò eos tuentur, dicunt, id Allegoria quadam apud eos inuolui. Nam Deum neque Corpus, neque similitudinem corporis habere, est apud eos inter articulos, siuè Radices XIII. Hidei, quas in Synagoga pronuntiant. Quoniam verò Allegoriam hic explicare non vacat, narrationem, quæ apud R. Akibam antiquissi-

quisimum scriptorem in libello de literis continetur, huc afferam: Dixit R. Akiba: *Hæ sunt* XXII. *literæ, quibus tota lex scripta est, quæ sunt insculptæ calamo flammeo in Corona Creatoris. Quo tempore mundus erat creandus descenderunt hæ literæ è diademate, & steterunt ante Deum. Singulæ autem rogabant, vt ex ipsis initium creationis fieret. Prima omnium Thau venit, & dixit; Domine mundi, placeat tibi, oro, vt ex me initium fiat. Quandoquidem legis appellatio (Thora) ex me ducit Exordium. Respondit Deus: Nequaquam; Tu enim destinata es, vt sis signum in fronte virorum lugentium. His auditis Thau discessit tremens. Successit autem Scin, post quam, & aliæ omnes literæ secutæ. Quibus Ordine repulsis, venit Beth, & ait: Domine mundi, placeat tibi, oro, vt ex me initium fiat, ex me enim Benedictionis appellatio incipit (Baracha) quæ tibi perpetuo persoluitur. Respondit: Placet. Et continuò per Beth creatus est mundus. Hinc dictum est: Beresit (in principio.) quod vt vidit Aleph, secessit ad latus mœsta; Cui Deus: Quid vero Aleph adeo tristis, ac tacita istic stas? Tunc Aleph: Domine mundi, inquit, ego sum omnium minima, proinde mihi non est loquendi auctoritas. Reliquę literę aliquem numerum habent: Beth duo, Gbimel tria, Daleth quatuor. Ego vna sum, nullo numero. Cui Deus: Noli, inquit, affligi. Tu enim omnium Dux es, & Regina: Nec numerum cures: Tu vna, Ego vnus: Quin ego ex te Decalogum incipiam, quem manu mea scribam.* (scilicet hoc initio אנכי.) Hactenus R. Akiba: plura his tamen affinia habet Zohar initio Geneseos. Videntur hoc Apologo significare voluisse: Deum suæ laudis, & gloriæ tantum causâ mundum creare. Ideo enim dixit, mundum creatum esse per *Beracha*, idest *Benedictionem*.

II. *Scriptura.* Vetus Apologus est inter Hebræos, qui in capitibus Patrum refertur his verbis:

עשרה דברים נבראו ערב שבת בין השמשות
ואלו הן פי הארץ ופי הבאר ופי האתון והקשת והמן
והמטה והשמיר והכתב והמכתב והלוחות

Decem res createę sunt Vespere Sabbathi in Crepusculo. Hæ sunt

hæc: Os terræ, os putei, os Asinæ, Arcus, Man, Virga, Vermiculus, scriptura, scriptio, Tabulæ. Quod & si præstat irridere, quàm quid sibi velit, quærere; tamen quia Vetus, vt dixi, ea traditio est; addam quid R. Moses Maymonides ingeniosissimus Judæorum suæ, & consequentis ætatis, ea de re scribat in Commentario. *Veteres non putabant quicquam prodigij à Deo fieri de nouo; sed aiebant initio creationis rerum positum esse in cuiusque natura; vt ex ipsis fieret hoc, vel illud. Et quidem ea, quæ continuò fierent, dici naturalia. Quæ verò certis temporibus, vt fierent, destinabantur, ea prodigia, & miracula vocari. Iddirco dixerunt: Die sexto Hebdomadæ creationis, Deus dedit terræ, vt aperiret aliquando os suum, & deglutiret Core, & eius socios; & puteo (fonti) vt aquæ inde manarent, & asinæ, vt loqueretur, & sic ceteris rebus indita est vis ea, quæ postea sunt facta, faciendi.* Et postea, *Dices tamen fortè: si de omnibus prodigijs statuitur in ipsa rerum natura positam fuisse vim, qua hæc fierent; idque in Hebdomada creationis; quid est quod singulariter hæc decem recenset? Scito non ideo ista numerari quasi nulla essent alia prodigia, quibus efficiendis eo tempore naturæ vim, ac potestatem accepisset: sed notari hæc decem quasi sexto die sub crepusculum facta. Nam reliqua prodigia simul creata sunt cum rebus, è quibus futurum erat, vt fierent. Exempli gratia in creatione aquarum secundo die, datum est illis, vt in mari rubro diuiderentur Mosi, & in Iordane Iosuæ, & Eliæ, & Elisæo. Et quarto die cum factus est sol, datum est illi, vt tali tempore sisteret ad Iosuæ Imperium. Hæc verò decem velut seorsim ceteris ad diei sextæ crepusculum referuntur.* Hæc Maymonides. Et quod ad sententiam attinet: negare Deum noua quædam, & supra naturę Leges sæpè fecisse, ac facere, est profectò contra omnem Sacrarum literarum fidem. Fatemur autem Potentiam, quam obedientialem vocamus, inditam rebus à Deo inde à principio, quo cuncta sunt condita. Sed hæc non habet, vt seipsa posit edere prodigia, nisi accedat Conditoris Imperium. Falsum quoque, & absurdum ad vnum, aut alterum peculiarem effectum potentiam hanc rebus fuisse inditam, vt videntur

He-

Hebræi dicere. Sed vt ad ea, quæ sunt huius argumenti propria; idest, ad scripta veniamus; inter eos non leuis quæstio est, quid sibi velit, quod ait hæc traditio, *Scripturam*, *Scriptionem*, & *Tabulas*; & quo pacto hæc distinguantur? R. Salomo putat in Commentario in Tract. *Pesachim*, per *Chetbab* כתב significari literas, quę tabulis insculptę fuere; per *Machteb* מִכְתָּב (sic enim legit) stylum, quo scripta sunt; per *Luchoth* לוחות ipsas demum tabulas priores; nam posteriores non fuere opus Dei, sed Moses eas excidit. R. Abarbinel in Commentario in Aboth aliter explicat. Qui facillimè, ita rem videntur explicare. Voluisse huius Traditionis auctorem tria prodigia, quæ acciderunt in Tabularum Traditione distinguere, quandoquidem cæperat omnium prodigiorum originem referre ad Hebdomadam creationis. Tria vero ipsi putant in Tabulis accidisse prodigia. Primum quod Tabulę priores diuinitus factę sint, & Mosi traditę; deindè quod tùm priores, tum posteriores scriptę sint digito Dei. Tertium addunt, quod ipsę literę prodigio non carebant. Nam quia non tantum scriptę, vel incisę in Tabulis erant, sed perforatis Tabulis penitus transmissę, vt ipsi putant, ideo in duabus litteris ם, & ס, quę vndique clausę sunt, necesse erat id quod in medio est, non hærere lateribus, sed pendere suspensum, ac libratum virtute diuina. Sed vt initio dixi præstat hæc contemnere, quam solicitum esse de sensu Scriptorum, quibus nulla est fides. Verum antiquitati dedimus hunc laborem, vt in alijs quoque hoc libro non pigebit interdum facere.

111. *Lex ignea*, quam ferens manibus Deus in Sinai Montem venisse, à Mose describitur, apud Hebræos putatur ipsa Lex Mosis à Deo multo ante igni inscripta. Sic enim scribunt in Pesachim קודם בריאת העולם היתה תורה כתובה באש שחורה על גבי אש לבנה *Ante mundi conditionem fuit Lex scripta igne nigro super ignem album.* Et quanto ante? Nongentis septuaginta quatuor generationibus, sic ipsi fabulantur, & fabulę conantur afferre rationem.

nem. Quia Psalmo CIV. dicitur : *Verbi quod mandauit millesime generationi*, (sic ipsi legunt) ætas Mosis à mundi conditione erat vigesima sexta Generatio, eadem erat millesima a scriptione Legis, ergo Lex fuerat scripta DCCCCLXXIV. generationibus ante Orbem conditum. In Tractatu *Sciabath*, Capite IX. *Dixit R. Iosue Ben Leui : quo tempore Moses ascendit in Montem ad accipiendam Legem, dixerunt Angeli Ministerij : Domine Mundi, ergone Thesaurum absconditum ante mundi constitutionem generationibus nongentis septuaginta quatuor tu dabis Carni, & Sanguini ?* Totum enim Pentateuchum in Synai Mosi traditum credunt. Atque adeò Lex reponitur inter illa septem, quæ ab ipsis ante conditum Orbem facta dicuntur, de quibus sic in Tractatu Pesachim. *Septem res creatæ sunt antequam crearetur mundus : Lex, Pœnitentia, Paradisus, Gehenna, Domus Sanctuarij, Nomen Messiæ.* Quæ repetit R. Eliezer in Capitibus, & singulorum conatur afferre rationes. Hanc quoque absurditatem ita quidam excusaret. Voluisse huius narrationis auctores adnotare septem loca scripturæ, quibus agitur de rebus creatis, perinde ac si fuissent ante opus sex dierum, vt : *Ante solem permanet nomen eius*, exempli gratia : Hic videtur Messiæ nomen antiquius dici sole. Non quò reuera putent hæc ante Cœlum, ac Terram creata esse (quamquam non desunt, qui hoc etiam putant;) sed hæc ideo dicta esse, quòd his septem Deus id honoris tribuerit, vt propter hæc mundum crearit. Id autem, propter quod fit aliquid, eo est antiquius, vt Finis, & Causa; Legem autem peculiariter Hebræi dicunt præfuisse Constitutioni Orbis, velut exemplar, ac normam, ad quam esset hoc opus exigendum. Hinc Vetus Auctor Tanchuma initio sui Commentarij scribit. *Cum Deus vellet mundum condere consuluit Legem.* Sed fortè Legis Nomine sapientiam intellexit, atque in ea certam creandi cuncta rationem. Nam si de Mosis Libro diceret, quid hac sententia esset absurdius ?

IV. *Tres Libri initio anni* à Deo pro Tribunali sedente aperiuntur, vt Iudæi scribunt, & magno consensu credunt.

Quo-

Quorum primus ſcriptos habet eos, qui ſunt צדיקים גמורים *Iuſti perfectè.* Secundus eos, qui ſunt רשעים גמורים *Impÿ perfectè.* Tertius eos, qui ſunt אמצעים *Medÿ* qua de re dicitur Tractatu *Roſſaſciena*, ideſt de Capite Anni C. I. *Tres Libri aperiuntur coram Deo anni principio. Primus perfectè iuſtorum, de quibus ſcriptum, & ſignatum eſt, eos debere vitam ingredi. Secundus perfectè improborum, de quibus ſcriptum, & ſignatum eſt, eos eſſe morti adiudicandos. Tertius eorum, qui in medio verſantur.* Occaſio errandi ex verbis quæſita Danielis C. VII. u. 10. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Cum enim illic non liber, nec numero duali dicantur libri, ſed plurali ספרים minus tribus eſſe non poſſunt. Verum errant in eadem re bis. Primum quod eos libros eorum plerique reuera libros, mole conſtantes, & literis exaratos arbitrantur, vt ſunt adipalia, & craſſa plerumque populi huius ingenia. Deinde quod trium librorum ratio conſtare non poteſt. Nam vel huiuſmodi libri ſunt Prædeſtinationis, ac Definitionis Diuinæ; atque in his nulli ſunt *Medÿ*, ac *dubÿ*; aut ſunt Prouidentiæ, & Status præſentis, quo viuimus; atque hic omnes ſumus *Medÿ*. Omnes enim, & Beatam Vitam conſequi poſſumus, & ea excidere. Hæc igitur fabula videri poſſet è duplici contrario errore conflata. Altero agnoſcentium Fatum, ac Neceſſitatem, quà quidam Morti, alij vitæ deſtinentur; Altero Deum incertum, ac dubium de quorundam exitu ſtatuentium.

TITVLVS IV.

Angeli

מלאכים.

ANgelos quoque Scriptoribus Hebraicis adnumerare oportebit, quos Hebræi olim velut sibi cognatos, & peculiari aliqua Reipublicæ Societate iunctos existimabant. Hinc quod xxxii. Deuteronomij v. 8. Moses dixit: *Iuxta numerum Filiorum Israel*: Septuaginta verterunt: Ἀγγέλων Θεοῦ: *Angelorum Dei.* Tanquam idem esset *Angelos* dicere, & *Filios Israelis.* Hinc Angelos ipsi certo putant non alio vti sermone, quam Hebraico. Adeo vt etiam scribere audeant, ne Syriacè quidem intelligere, quæ tamen lingua cognata esset affinis Hebraicæ; Tractatu *Suta* Cap. viii. dixit. R. Juda: *nunquam petat homo ea, quibus indiget, lingua Syriaca. Dixit R. Iochanan: qui hoc facit, Angeli ministerij nihil illum iuuant, non enim intelligere Syriacè;* & cum de celeberrima apud eos precatione agunt, quæ incipit קדיש *Sanctus* quærunt, cur hæc oratio Syriacè pronuncietur? ac respondent: id fieri, ne forte si Hebraicè diceretur, Angeli indignarentur ab hominibus vsurpari suum Carmen *Sanctus.* Verum id falsum est, & inter eos quoque prudentiores id irrident. Quia verba illa Dei, cum aduersus insanæ Turris ædificatores motus iracundia dixit: *Venite confundamus linguas eorum*, ipsi explicant ad Angelos dicta fuisse. Quo pacto igitur illi ignorarent eas linguas, quarum artifices fuissent? Aiunt etiam singulos Angelos singularum linguarum esse custodes. Præterea quædam eorum Vetus Traditio habet Josephum LXXII. linguas ab Angelis edoctum. Præceteris autem gaudere Hebraica lingua Angelos putant, præsertim quia illâ maximè Deus locutus est: illâ loquebantur Patriarchæ, & Prophetæ, quorum ipsi orationes ad Deum deferebant: illâ cum ijsdem ipsi sæpè ser-

mo-

monem habebant, ipsos instruentes, ac de rebus diuinis edocentes: illa denique nomina ipsis fuisse constat imposita: Michaël, Gabriël, Raphaël, quæ tam propria sunt trium Angelorum, quàm Abraham, Isaac, Iacob trium Patriarcharum. Atque ideo sæpe Angelos scribentes Hebraicè in sacris literis animaduertas; vt cum dicitur: *Signa Thau super frontem virorum dolentium*; & cum sententia contra Balthassarem Regem à Deo lata Hebraicè ab Angelo, ipso vidente, in aduerso pariete consignatur. Hinc Deus ipse, cum se Angelicorum exercituum Ducem appellat, Zebaoth vocatur: idest Hebraica voce exprimit id, quod Angelicum designat exercitum: quæ vox etiam in Græca, & Latina interpretatione seruatur. In nouo quoque Testamento Angelus Abyssi vocatur Abbadon, & mali quoque Dæmones gaudent Hebraicis vocibus, ac nominibus inuocari à Magis, idque non modò nunc fit, sed etiam apud Ethnicos fieri solitum scribit Origenes contra Celsum lib. 1. Hinc nonnulli putant Paulum cum ait. *Si linguas hominum loquar, & Angelorum*, linguam Angelorum vocasse Hebraicam; quam eodem sensu linguam Deorum appellatam alij arbitrantur; consueuisse enim veteres dicere, aliter vnamquamque rem apud Deos, aliter apud homines appellari, vt in Alexandri, & Paridis, nec non in Xanthi, & Scamandri nominibus Homerus ait; Hebræos autem veteres Deos appellabant, vt Sibylla testatur, & ipse Dominus, dicens: *Deos dixit, ad quos sermo Dei factus est.* Angelorum denique hic sermo est, quia nullus breuior, nullus, qui paucioribus plura exprimat, & plura aptus sit celare mysteria. Quosdam è sacris libris ab Angelis scriptos nonnulli putarunt; Malachiam enim Angelum putauit Origenes, quem & Magister eius Clemens vocat Angelum lib. 1 Strom.; sed error ex nomine est, quod Hebraicè Angelum sonat. Lex ipsa Moysi data est per Angelos; sed huius legis Deus auctor erat, scriptor verò Moyses. Ergo id, quod est in sacris literis Angelorum, maximè est duplex Carmen.

1. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,*
2. *Gloria in Excelsis Deo.*

Quorum illud veteris Testamenti fuit, hoc noui. Id autem, quod Græca quotidie, Latina quotannis vsurpat Ecclesia: *Sanctus Deus*,

Sanctus Fortis; *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*, quod Græci Trisagium appellant, constat è duplici Carmine esse compositum; ex eo, quod audiuit Isaias: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Atque ex eo, quod cecinit Regius Vates Dauid Psalmo XLI. v. 3. *Sitiuit anima mea ad Deum*, *Fortem*, *Viuum*. Nam tria hæc Dei nomina iungentes totidem iterationibus vocis illius *Sanctus*, hoc dicimus canere: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*. Est enim hîc Immortalis, idem quod ibi *Viuus*; id quod in Cælo etiam cani auditum est sub Theodosio Imperatore, & Pulcheria Augusta, vt Nicephorus narrat lib. XIV. cap. 46. Vox *Kados* קדש, qua Angeli Diuinitatis præstantiam honorant numerum habet CCCCIV, qui constantem indicat firmitatem, Græci exprimunt per vocem Ἅγιος, quæ idem est, ac si diceretur expers terræ. Terræ autem nomen materiam significat, vt proinde Agios idem esse videtur, quod *Actus purus*. Latini dicunt Sanctus à sanciendo, quod Dei nomine omnis veritas sanciatur; Ita Hebræis quoque Deus Elohim vocatur à verbo, quod Iurare significat. Triplex autem Sanctus vnius naturam, triplicem Hypostasim designat. Pater Sanctus Deus dicitur; quia Fons est Deitatis: Filius, Sanctus Fortis; quia omnipotentia sua omnia condidit: Spiritus Sanctus denique Sanctus Immortalis, seu Viuus; quia Vita gratiæ omnia pro singulorum capacitate viuificat; sed de hoc Cantico, vt refert Cap. VI. testis oculatus, & auritus Isaias, non pigebit hic Hebræorum opinationes referre, vt pilos quoque caprarum olidarum Dei tabernaculo forte vsui futuros non reijciamus. Sic igitur R. Salomo Molcho apud R. Ioseph Cohen Historicum.

הנה אנכי מגלה על זה סוד גול רעז כי המלאכים האומרים שירה לפני המקום קולם בכנפים ועל זה כתיב ואשמע את קול כנפיהם ועשה הקב״ה שש כנפים לאחר וכהם ישבתוהו ימי השבוע בכל יום כנף אחד ׃ ואומרים איש אל אחיו שירו לייי שיר חדש כי נפלאות עשה ׃ שבכל יום במעשה בראשית הן פעולות חדשות ׃

En

En ego aperio vobis arcanum grande: Scitote Angelos, qui coram Deo canunt Carmen, ita canere, vt ex alis vox prodeat. Qua de re scriptum est: & audiuit vocem alarum eorum. Quare sex alas singulis fecit Deus, vt laudent eum diebus Hebdomadæ singulis diebus alâ vnâ. Et dicunt alter ad alterum: Cantate Domino Canticum nouum, quia mirabilia fecit. Singulis enim diebus primæ Hebdomadæ, qua Mundus est conditus noua opera fecit Deus. En arcana Judæorum grandia, grandes nugas. Nam sex alas Angelicas si mysticè volumus interpretari, possumus sex Angelicas intellectiones congruenter accipere, quas in opere sex dierum S. Augustinus, ac Theologi distinxerunt. At Judæi plerique de Hymnis Angelicis nimis humano more disserunt, dum eos partitis vicibus dicunt coram Deo canere, vt hic quoque totâ Hebdomadâ vices alarum distinguit; Sabbatho verò ait, solitos Angelos canere cum Synagoga coniunctim. Tractatu Cholin. cap. VII. sic scribitur. *Tres sunt Angelorum ordines, qui quotidie coram Deo Hymnum canunt. Primus dicit: Sanctus. Secundus dicit: Sanctus, Sanctus. Tertius dicit: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hæc illi, nisi temerè, vt multa dixerunt, Hierarchias fortè significare voluerunt, quarum vt quæque est altior, ita Deum, & meliùs intelligit, & laudat proinde prolixiùs. Tractatu Chaghiga, cap. II. dicunt verba illa Isaiæ: *Et non habebant requiem die, ac nocte clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Plena est omnis Terra gloria eius,* ita esse intelligenda, vt *Seraphim dicerent Sanctus, & Rotæ adderent, Plena; siquidem Spiritus vitæ erat in rotis*, quas ipsi vocant Ophanim אופנים & putant esse certum Ordinem Angelorum; & Seraphim quidem velut sublimes mentes, ac supremas Deum ipsum contemplantes dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Rotas autem super terram se circumuoluentes, quibus currus Diuinę Glorię fertur, & quæ totæ oculis plenæ narrantur, hoc est Angelos Diuinæ Prouidentiæ Administros, per quos omnia hìc geruntur, quæ Angelica operatione perficiuntur dicere: Plena est omnis Terra gloria eius. Ita vt illud sit Assistentium Carmen, hoc verò sit Ministrantium. Verùm hæc nos alibi pluribus exposuimus, vbi etiam de Hymnis Angelicis plura digessimus. Nunc quæ ipsis scripta tribuantur, enumeremus.

TITVLVS V.

Apocrypha Angelorum.

אלף בית	1.	Alphabethum
חכמות אלהיות ומובות	2.	Scientię Diuinę, atque vtiles
חכמות חצוניות ורעות	3.	Scientię Exotericę, ac malæ
קמיעים	4.	Phylacteria
פוקדנא דמלאכא	5.	Dispositiones Angelorum
צוואה	6.	Testamentum
ספרי ילדואות	7.	Libri Ialdabaoth
אלפורקן	8.	Alphurcan
רזיאל	9.	Raziel
ברכות	10.	Benedictiones
שירים שונים	11.	Cantica Varia
תהלת המלאכים	12.	Hymnus Angelicus.

1. Alphabethum quoddam peculiare Angelorum quidam fingunt, quo scriptum fuerit illud, *Mane*, *Thekel*, *Phares*. Et proinde non potuerit legi ab alio, quàm à Daniele, qui habebat spi-

ſpiritum *Deorum Sanctorum*, ideſt Angelorum. Et quidam noſtri æui Magorum Anteſignanus lib. III. damnatæ Philoſophiæ cap. XXVI., Alphabethum protulit *Malbachim*, ideſt Angelorum, quod tamen eſt ferè idem cum Samaritano, ſeu Degentium trans fluuium. Idem & characteres quoſdam execrandos prodidit Angelorum; At qui nemo ignorat in Eccleſia, quæ omnis eſt veritatis index, & Magiſtra, non fuiſſe moris vnquam, vt noua Angelorum nomina fingi permitterentur, qualia docet ipſe formare, vel characteribus peregrinis, & magicis inuolueretur ſimplicitas dogmatis Chriſtiani.

2. Scientiæ Diuinæ, atque vtiles, Angelorum magiſterio, à Viris Sanctis primùm adinuentæ iure optimo cenſentur. Nam ſicut in Euangelio Maria, Paſtores, Zacharias, Joſeph, Magi, Mulieres Chriſti ſectatrices, & ipſi Apoſtoli pluribus locis edocentur ab Angelis ea, quæ ignorabant; & in vetere Teſtamento, idem refertur de Abrahamo, Jacobo, Moyſe, Gedeone, Daniele, Abacuc, ita de alijs idem facilè intelligimus; Initia enim rerum ſicut plus habent difficultatis, ita ſpecialibus à Diuina Prouidentia iuuantur auxilijs. Proinde quemadmodum primi illi homines diuturniorem vitam habebant ad eum finem, vt poſsent excogitare artium, & ſcientiarum principia, ita ad eumdem finem Deus voluit eos cum Angelis Sanctis interdum colloqui. Quare etiam Chriſto iam nato, videtur Hieroſolymis fuiſſe non inauditum, vt quis Angelico frueretur alloquio; Vt cum toties viſiones Angelorum narrantur, & non videntur, velut res inauditæ narrari; & cum Phariſæus ille de Paulo dicebat Actorum XXII. *Quod ſi Spiritus locutus eſt ei, aut Angelus?* Ideo etiam Babylonij de Daniele dicebant, ipſum ſcientiam Deorum ſanctorum habere, ideſt Angelorum. Et apud Hebræos eadem voce dicuntur Angeli, & Scientiæ, ſiue Artes, ſicut etiam apud Græcos Angeli Intelligentiæ nominantur. Eupolemus apud Euſebium lib. IX. de Bap. c. IV. ſic de Mathuſale ſcribit: *Mathuſale diù vixit, & ab Angelis Dei multa cognouit, ac poſteros docuit.* Sed ita ſcientias vtiles ab Angelis aliqua ex parte acceptas non negamus, vt libros ab ijs ſcriptos de ijs ſcientijs nuſquam apud graues Auctores legerimus.

3. *Scien-*

3. *Scientia Exoterica, ac mala*, Magia, Chemia, Diuinatoriæ, ac similes humani ingenij lues variæ a rebellibus, ac nefarijs Angelis creduntur illatæ Orbi terrarum, consensu veterum scriptorum. Petrus apud Clementem lib. 4. Recogn. *Angeli quidam relicto proprij ordinis cursu hominum fauere vitijs cœperunt, & libidini eorum indignum quodammodo præbere ministerium. Quò illorum opera suis magis voluptatibus morem gererent. Quique ne sponte inclinati viderentur ad indigna ministeria docuerunt homines, quod dæmones artibus quibusdam audire mortalibus* (id est Magicis inuocationibus) *possint.* Multò luculentius id accuratiusque describitur in libris Henoch. Præcipuè lib. 1. Ἐγρηγόρων *Vigilum*, idest *Angelorum*, quem locum postea dabimus. Alius est item Antiqui scriptoris Hebræi locus, quo idem traditur de Angelis rebellibus Azael, & Samchazi, quem locum reddam, vbi de Esther agetur. Hic autem è Zosimi Panopolitæ libro de Chemia locum adscribam, à Photio relatum. Sic igitur Zosimus libro IX. Chemiæ, quam ipse Imuth vocat: Τοῦτο ἴσασιν ἀρχαῖαι, καὶ Θεῖαι γραφαὶ, ὅτι Ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ κατελθόντες ἐδίδαξαν αὐτὰς πάντα τὰ τῆς φύσεως ἔργα, ὧν χάριν προσκρούσαντες ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἔμειναν, ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ, καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τὴν ψυχὴν ἐδίδαξαν τοὺς ἀνθρώπους. ἐξ αὐτῶν φάσκουσιν αἱ αὐταὶ γραφαὶ, καὶ τοὺς γίγαντας γεγενῆσθαι. Ἐστιν οὖν αὐτῶν ἡ πρώτη παράδοσις: χημεῦ περὶ τούτων τῶν τεχνῶν, ἐκάλεσαν δὲ ταύτην τὴν Βίβλον χημεῦ, ἔνθεν ἡ τέχνη χημία καλεῖται. *Hoc dixerunt antiquæ, & Sacræ literæ, Angelos cum cupiditate mulierum exarsissent, è Cœlo descendisse, & omnia eas Naturæ opera docuisse. Ob quod erratum, exclusi sunt Cœlo. Quòd mala omnia, & quæ nihil iuuarent animas in hominum viam induxissent. Ex ipsis eædem Sacræ literæ dicunt genitos Gigantes. Prima igitur eorum traditio fuit; Chema de huiusmodi opificio* (nempe auri conficiendi) *vocarunt autem & eum librum: Chema. Vnde & ars ipsa Chemia dicta est.* Hæc Zosimus, qui etiam, vt probet, Angelos mulierum amore capi posse Hermetis in Physicis vtitur testimonio. Verùm ea verba: *Cum vidissent Filij Dei Filias Hominum*, longè aliu m habent sensum, licèt LXX. ibi Angelos intelligant, quos secuti sunt plerique Græco-

corum. Non enim *Angeli Filij Dei* vocantur hoc loco, sed viri Illustres, Principum, ac Judicum Filij, qui dicuntur Hebraicè *Elohim* אלהים Horum Filij filias hominum, & plurimas, & quod vero simile est, alienas, ac per vim sibi iunxisse eo loco notantur, ab his quoque vanas artes, & noxias excogitatas esse credibile est. An autem scripserint, postea quæremus, cum de his sermo erit.

4. *Phylacteria* sunt, quæ ad auertenda infortunia, aut sibi conciliandos Angelos rerum omnium Præsides ab ijs ipsis tradita finguntur amuleta ἀπὸ τοῦ φυλάττειν id est à seruando dicta. Cuiusmodi nimis multa quotidie à superstitiosis hominibus in pretio haberi videmus, aut numismata scilicet, Angelorum incisa nominibus, aut libellos, seu schedas iisdem inscriptas, aut anulos, gemmasue, aut quicquid denique eiusmodi est; sunt autem & alia, quæ vocantur Elementa, Græcè autem στοιχεῖα, quorum virtus in Literarum, signorumque dispositione constitui censebatur. Hebræi quoque in literis Diuini Nominis variè coniugatis, magnam vim inesse existimant. Arabes verò habent illa, quæ nomen ipsorum lingua obtinent: Talisman, & varijs Magorum architectationibus in figuris, anulis, & characteribus ad Cœlestium motionum formantur aspectus, haud dubiè omnia malorum Angelorum inducta commentis. De quibus ita decernit Gelasius in Concilio Rom. Et refertur dist. 15. *Phylacteria omnia, quæ non ab Angelis, vt Heretici confingunt, sed magis sunt à Dæmone conscripta, apocrypha sunt.* Et Gregorius Papa apud Burchardum lib. x. cap. 23. *Si quis Hariolos, Haruspices, vel Incantatores obseruauerit, aut Phylacterijs vsus fuerit, anathema sit.* Porrò hæc omnia feruntur inde conficta, quod Exodi XXIII. v. 20. dicatur. Ecce Ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, obserua eum: vbi Hebraicè bis est verbum custodiendi. Et custodiat te לשמרך (*vt custodiat te*). השמר מפניו Ac si diceret: Ille te custodiet, Tu custodi te coram illo. Ab hac duplici custodia ducta vox Græca est φυλακτήριον. Et quia addit: *Est nomen meum in illo.* Hinc tradunt Hebræi septuaginta nomina Angelorum, ferentium Nomen Dei Magnum explicatum. Inueniendis autem huius-

huſmodi nominibus, neſcio qua arte Judaica deſudet induſtria, quod ijs omnia fieri poſſe perſuaſum habeant. Tantam autem Judæi ſibi perſuadent, his nominibus ineſſe virtutem, vt non dubitent dicere, Angelum ſuo nomine vocatum, minimè defuturum vocanti, qua in re eſt fabuloſa narratio in Eche Rabti, id eſt Commentario in Threnos maiore, ſic dicens: Charnemelem quemdam fuiſſe, qu in priore Hieroſolymæ excidio, nominibus Angelorum inuocatis, hoſtem procul à mœnibus diſtineret; Deum autem, qui Hieroſolymam captam vellet, ſtatim Angelis nomina commutaſſe, quo factum ſit, vt illi non ſuis nominibus vocati, non adeſſent, tamquam vel in nominibus vlla vis eſſet, aut magni referret, quo quis Angelorum ſono vocaretur, dummodo ſe notari intelligeret, aut aliter Angelorum euocatio non potuiſſet Diuina virtute cohiberi, quàm nominibus commutatis. Nec illud figmento caret. Mechilta (vt adnotat Jalkut lectione Jethro ait) טבלא שעללב של כל מלאך ומלאך ושמו של הקב״ה משותף בשמו *Tabula eſt in corde cuiuſuis Angeli, & Nomen Dei O. M. incluſum vnà cum eius nomine.* Nam ſi per Tabulam hanc ſignificare voluerunt cognitionem, quam habet vnuſquiſque Angelus ſui, ac Dei, apertiùs, & ſinceriùs id explicare debebant.

5. *Diſpoſitiones Angelorum* Græcè διαταγαὶ Ἀγγέλων Actorum VIII. n. 53. Ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, ϗ οὐκ Ἐφυλάξατε. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non ſeruaſtis.* Hic quidem locus nil aliud ſignificat, quàm legem Moyſi datam per Angelos. At quidam putant præter legem, & *Conſtitutiones* aliquas Moyſi ab Angelis datas eſſe. Quas omnino Hebræi profitentur ſe à ſuis maioribus accepiſſe. Quoties enim aliquid in lege ſcriptum non eſt, & tamen ad Moyſen refertur, toties dicunt: הלכה למשה מסיני *Quæſtio, quæ Moyſi tradita eſt, vel quam didicit è Sinai.* Scribunt huiuſmodi quæſtiones eſſe מבירת המדרשל מעלה *ex Academia illa, quæ ſuperiùs eſt*, quæ ſcilicet conſtet ex Angelis. Illis enim quadraginta diebus, quibus lex Moyſi tradita eſt perpetuis diſputationibus inter Angelos

los tempus extractum esse, à quibus multa sint definita. Quæ Moyses discens, ea deinde posteris tradiderit: scilicet disputantes temerè fingunt Angelos, quorum nomen, Syllogismus; nec minus temerè se ab Angelis ea se habere dicunt; quæ fortè à stygijs Angelis habent.

6. Testamentum. Nihil veriùs quàm Testamentum vetus per Angelos constitutum esse, quod proximè nos docebat Stephanus, nec non Paulus ad Galatas III. à quo lex dicitur. *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Omnino vt scribit Dionysius lib. 4. de Cœli Hierarchia. Non Deus Moysi, sed Angelus apparuit. Quare & quod in Exodo cap. 3. v. 2. dicitur. *Apparuitque ei Dominus*, Hebraicè est מלאך יין *Angelus Domini?* Quicquid contra Philo conetur in vita Moysis. Itaque etiam Christus vocatus est: *Angelus noui Testamenti*, quo significatur, & vetus per Angelum esse traditum. At sicut illud Angelus Dei, ita hoc Deus ipse tradidit, Angeli ministerium per sese explens. Sed sunt nonnulla præterea Testamenta, quæ Deum per Angelos scripsisse, ac promulgasse Hebræi fabulantur. Huiusmodi est, quod in Bereschith Rabba lect. LXIII. dicitur, *Michaël, & Gabriël scripserunt Iacobo Ius Primogenituræ.* Atqui probabile non est Deum misisse Angelos, qui huius rei scripturas conficerent; Nam inter homines humanis opus fuisset Chirographis, non Angelicis; quod verò ad Deum spectabat, his opus non erat.

7. Libri Ialdabaoth. Notum nomen ignotæ, atque implexæ veterum hæreticorum fabulæ. Pertinet autem ad horum Archiuorum plenitudinem interdum Hæreticorum fabulas explicari. Triginta edidit Sæcula Valentinus (*totidem quos Æneia fœtus stropha generauit*; vti facetè ludit Hieronymus initio Commentarij in Galatas) quos ait: *Animalia* fuisse, nam & Angeli vocantur *Animalia.* Hebraicè עלמים Latinè: Mundi, aut sæcula *Spiritualia Nequitiæ*: Mentes à corporis contagione secretæ, sed non à contagione vitiorum; etsi Valentinus has optimas fingebat. Inter has supremam, *Ialdabauth*, quæ vox corruptè, ac vitiosè linguâ Syriacâ *generationes* significat; Ideo quod hanc putarent rerum

Generationi præesse. Epiphanius huius libros arcesit in Gnosticis; quantum verò colligere licet ex ijs, quæ in Seuerianis, & Ophitis de hac monstrosa catastrophe tradit, hæc erat Origo fictionis. Barbelonem Deum esse fingebant: quæ vox Filium Dei significat, sic tamen vt Bel Deus nomine profano vocaretur, huic Prunicum amoris, & voluptatis nomen in coniugium addebant, vt impio, ac turpi figmento duas Trinitatis personas inuoluerent. Ex his aiebant natum esse supremum Principem Ordinis Potestatum, cui nomen esse Jaldabaoth affirmabant. Id est Generationes, Exercitus, aut Potestates. Hæc aiebant, *venit ad infima, & fecit sibi septem filios, qui per seipsos fecerunt septem Cœlos, ipse vero conclusit ea, quę sunt supra ipsum, & occultauit, vt septem ab ipso editi filij non cognoscerent ea, quę sunt supra ipsum, cum sint ipso inferiores; sed ipsum solummodo. Et hic Ialdabaoth,* inquiunt, *est Deus Iudæorum.* Ab his verò septem spiritibus aiebant creatum esse corpus humanum, & ab ipso Jaldabaoth animam infusam. Cum autem is contemplatione se vltra septem Angelos erexisset, ac Deum ipsum Barbelonem agnouisset, inuidia tactum Jaldabaoth genuisse Serpentem, qui Diabolus vocetur. Quæ Gnosticorum stulta narratio de Platonis Timæo, & Homericis improuidè constructa figmentis nihil habet, quod refelli aliqua argumentatione mereatur. Est enim ab omni vera Philosophia alienum hæc de Intelligentijs, Anima, Creatione, ac de ipso Deo fingere. Solùmque apud imperitos hæc poterit fabulatio audientiam promereri. Idem in Gnosticis, *Ialdabaoth* inquit: *glorificant, dicuntque ipsum esse primum filium Barbelonis. Et ob id oportere ipsi deferre honorem, quia multa reuelauit. Unde & libros quosdam in nomine ipsius Ialdabaoth efformantes confingunt, & nomenclaturas infinitas Principum, & Potestatum in vnoquoque Cœlo aduersantium humanæ animæ.*

8. *Alphurkan*, siue *Alcoran* dignus est, qui inter has impias nugas minimè omittatur. Hunc etiam ceritus ille Machomethes Angelorum nobilissimo Gabriëli attribuit, & vocauit Alcoran à verbo *Kara*, quod est legere; imitatus Hebræos, qui legem ex eodem vocant *Mikra*, & *Alphurkan* à *Parak*, quod est liberare. Sed Gabriël

briel tantùm delator huius libri fingitur, auctor Deus. Vis originem libri nosse? respondet Azoara l. III. *Hic liber euidens à nobis Arabicè propositus, vt per ipsum sapientes efficiamini, apud Deum in matre librorum continetur.* Quod ait *de Matre librorum*: Proculdubio à Kabbalistis, vt plura impius Fabulator accepit. Illi enim dicunt esse apud Deum proprietatem, quæ vocetur *Sepher* liber, & librorum omnium origo sit. Audi fabulam: Azoar. l. XVII. *Iurat Machomethus Per locum occasus stellarum, quod magnum scientibus est sacramentum: Hic Alcoranus optimus à Rege Mundi compositus est.* Et hoc est disciplina Kabbalæ apud quos *Arabath* sive *Occasus* arcanum ingens ex illo: *Qui descendit super Occasum.* Quid plura? ex libro doctrinæ Machometh. *Alcorani descendit quidem in ictu oculi à summo vsque ad infimum Cœlum; deinde paulatim ad terram XV. diebus vsque ad diem XV. mensis Ramadan.* Quid hoc Fabulatore futidius?

9. *Raziel.* De hoc libro Magi multa. Liber *Toheleth Iacob* in Præfatione: *Ostensus est à Raziele Adamo liber, quo percepit arcana ad Mundum superiorem pertinentia, quæ Angeli Altissimi non perceperunt. Quando hic liber allatus est Adamo, Cœlites concurrebant, vt aliquid audirent ex ijs, quę in eo latebant. Donec Adarniel Angelus Adamo dixit: Adam solicitus esto de tui Creatoris honore, & signa verba, quia non est adhuc alteri concessum, præter vnum te, nosse pulchritudinem Regis, & erat apud illum absconditus, eoque vtebatur ad secreta Dei percipienda. Hinc ei apertæ sunt Arcana sublimia Formæ Currus Diuini, & fundamentum Cœlestium, eorumque munera, & sic didicit notitiam, ac pronunciationem linguarum omnium, & ingressus est notitiam Spirituum sanctorum, & Pollutorum, didicit quoque Astrorum scientiam, & tempora, & munera eorum, & verba necessaria ad eliciendos eorum influxus per Talismos; cultus quoque sacros, & profanos: &c.* Satis hæc sunt, vt intelligatur cuius farinæ hic liber sit; Magicus enim est, & Magicorum horrorum caput; si tamen vllius est, neque enim Hebræi se habere fatentur. Quidam ab ijs occulti se tegi, verentibus multam, & indignationem Principum, dicunt; vtcumque sit, noxius liber aboleri deberet.

10. *Benedictiones Duodeviginti*, quas Hebræi quotidie vsurpant, à quibusdam ex ea secta Angelis tribuuntur auctoribus, licèt alij velint earum auctores esse viros Magnæ Synagogæ. Prioris Sententiæ meminit R. Ioseph Karo in *Orach Chaym* Cap. CLXXII. Quod ego hic referam, non quò vlla sit fides huic narrationi, quam refert nullius fidei auctor, adhibenda, sed vt multa alia, in eum finem, quo gentis huius arcana penitus introspiciamus, quod ad eos ab errore deducendos, plurimùm proderit. Sic igitur R. Ioseph Karo. *Scriptum est in libris Sceuile Haleket, Inueni Agadam* (Apologum, Narrationem, cui nulla certa est fides) *quid est, quod dicunt Viros Magnæ Synagogæ ordinasse preces* XVIII. על סדר *secundum ordinem? intellige* על סדר עולם *iuxta seriem temporis. Nam constat his* XVIII. *Benedictiones, deindè ab initio ante ipsos sic fuisse ordinatas: Viri magnæ Synagogæ eas collegerunt, & legem tulerunt de ijs quotidie recitandis. Constituta sunt autem sic.*

I. *Quando liberatus est Abraham de Ur Chaldæorum, Angeli Ministerij composuerunt precationem: O Scutum Abrahami* מגן אברהם

II. *Quando Isaac ligatus est, composuerunt: O viuificans Mortuos* מחיה המתים

III. *Quando venit Iacob ad scalam, & obtinuit portas misericordiæ, & sanctificauit nomen Dei, dixerunt: Deus Sanctus* האל הקדוש

IV. *Quando Gabriel docuit Iosephum linguas* LXX. *dixerunt: O qui largiris scientiam* חונן הדעת

V. *Quando Ruben ob scelus in nouercam morte damnatus, actâ pœnitentiâ, absolutus est, dixerunt: O qui pœnitentiam amas* הרוצה בתשובה

VI. *Quando Iudas post latam sententiam in Thamar, suâ culpâ agnitâ, dixit: iustior me est, & condonatum est vtrique* de-

delictum, dixerunt: O misericors, qui multiplicas remissionem. חנון המרבה לסליחה

VII. *Quando Deus dixit Israeli in Ægypto: Redimam vos, dixerunt: O Redemptor Israelis.* גואל ישראל

VIII. *Quando Raphael medicam manum adhibuit curando Abrahamo ex circumcisione ægrotanti, dixerunt: O qui mederis infirmis* רופא חולים

IX. *Quando Israel, facta simente, retulit centum mensuras, dixerunt: O qui benedicis annis* מברך השנים

X. *Quando Iacob in Ægyptum profectus est, & Tribus congregatæ sunt ad Ioseph, dixerunt: O qui congregas dispersiones Populi tui* מקבץ נדחי עמך

XI. *Quando Deus dixit Moysi hæc sunt iudicia &c. dixerunt: O Rex, qui diligis iustitiam* אוהב צדקה

XII. *Quando mortui sunt Ægyptij in mari rubro, dixerunt: O qui conficis Inimicos.* שובי אויבים

XIII. *Quando Deus Iacobo dixit: Ioseph ponet manum suam super oculos tuos, dixerunt: O qui spem, ac fiduciam das* משען ומבטח

XIV. *Quando Dauid ædificauit Domum Sanctuarij, dixerunt: O qui ædificat Hierosolymam* בונה ירושלים

XV. *Quando Israel transiuit per mare rubrum, dixerunt: O qui facis, vt germinet Cornu Messiæ tui.* מעשיה קרן משיחו

XVI. *Quando Israelitæ gemuerunt, & clamarunt, & exauditi sunt, dixerunt: O qui audis Orationem* שומע תפילה

XVII. *Quando descendit in Tabernaculum Diuina Maiestas, dixerunt: Qui restituit Diuinam Maiestatem suam.* המחזיר כבודו

XVIII. *Quando Salomon induxit arcam in intimum Templi Sacrarium, & cum septendecim precationes pronunciasset, tandem decima octaua auditus est, Angeli quoque decimam octauam benedictionem dixerunt: quæ incipit. Bonum est Nomen tuum* טוב שמך

Hæc

Hæc Hebræi de suis precationibus octodecim. Hæ verò sunt apud omnes Hebræos cum Orientales, tum Occidentales eædem. Ac si eorum rituales libros diuersorum locorum, ac temporum inspexeris, inuenies præter has XVIII. precationes vix aliquid esse, quod omnibus, & locis, & temporibus in vsu fuerit. Cetera enim variant. Vero similius est, eas post excidium Hierosolymitanum esse compositas, sed tamen si quis antiquiores velit adstruere, non repugnabo. Addam hic autem quantâ has preces diligentiâ, & pro gentis ingenio superstitione recitent. Primùm, vt eorum liber *Orach Chaym*, & Rituales, id est, *Mirihaghim* docent, bis quotidie eas in Synagoga pronunciat eorum Chazin, siue Præcentor, quem omnes sequuntur. Secundùm, omnibus eo tempore standum est, & quidem iunctis pedibus, ita vt alter non plusquàm alter insistat terræ, idque se dicunt facere exemplo Angelorum, quorum sint hæ preces: De Angelis enim dicitur. *Pedes eorum pedes recti.* Ezechielis 1. v. 7. de qua statione multa prolixè disputant Rab. Alphes c. I. Tertiò, quando in precibus deuenitur ad illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum,* quiuis Judæus iubetur ter in altum è Terra subsilire; quo se putant, velut Aligeros fieri, aut certè proprius ad Angelos accedere, à quibus hæc in Cœlo canantur: Aiunt quoque cum apud Isaiam scriptum sit; Angelis canentibus *Sanctus, Sanctus, Sanctus mota esse super liminaria cardinum à voce clamantium*; multò æquius esse homines moueri, & exilire. Quartò addunt, si quis dum hæ preces octodecim canuntur, vel vno verbo preces interturbarit; ei paratum esse supplicium in alterâ vitâ, vt os carbonibus ignitis oppleatur, quos & comedere cogatur; ad id proferentes locum è Job XXX. v. 4. Radix iuniperorum erit cibus eorum. Quod R. Salomon, & Hebræi, vt multi etiam è nostris explicant, *Carbones Juniperorum.* Quintò aiunt precationes has curuo dorso pronunciari oportere. Nam R. Tanchuma tradidit, has octodecim precationes respondere totidem ossiculis spinæ dorsi humani, quæ flecti oporteat Orantibus. Hæc illi de suis, vt vocant *Scemone Esre*, id est octodecim, ex quibus nos discere possimus, quanto nos æquius sit, precationes nobis ab Ecclesia traditas attenta religione recitare; ijs suas qualescumque,

que, in tam damnato ritu tanto studio, ac sedulitate peragentibus.

XI. *Cantica Angelorum* Hebræi plura commemorant, deque ijs mira comminiscuntur. Nonnulla pro instituto hìc adnotabimus. *Bereſcith Rabba* lect. lxxvII. ait. Quotidie nouos Angelos à Deo creari, vt nouum carmen canant. Quandoquidem scriptum sit, *Cantate Domino Canticum nouum*, tanquam ad *Canticum nouum* necessario quoque nouus requiratur Cantor. In Tract. Cholia cap. lxxvII. dicitur Angelus ille, qui luctatus est cum Jacob, ideo dixisse Gen. xxxII. n. 26. *Dimitte me iam enim aſcendit Aurora*, quòd esset præpositus hymnis matutinis in Cœlo canendis; tanquam vllum sit in Cœlo mane, aut vespere, vllumue discrimen lucis, ac noctis. Targum Canticorum primo ait, Ideo dixisse Josuam: *Sol contra Gabaon ne mouearis* (in Hebræo est: *Sile*) quia cum ipse Canticum Deo canere vellet; Solis, hoc est Angeli qui Soli præest, canticum interquiescere optabat, quò faciliùs ipsius carmen exaudiretur. Tanquam hoc competisset Josue.; non potius, ne Sol tam citò occumberet, antequam suos, ac Dei hostes persequi posset. In Tractatu *Meghilla*, & refert *Ialkuth* in sect. בשלח dicitur, in diuisione maris rubri, ac demersione, Hebræorum voluisse Angelos canere canticum, sed prohibitos esse à Deo, qui dixerit: *Mea opera intereunt, & vos in cantum geſtire videmini?* Tanquam non hoc etiam Moysi, & Mariæ, ac toti populo dici potuisset, quorum Canticum Deus probauit, imò cuius ipse Auctor fuit. *Bereſcith Rabba*, & Philo Biblicus dicunt, in Morte Moysis Angelos eo die intermisisse canticum, quod solerent quotidie Deo canere. Tanquam lugubris esset mors Sanctorum, aut Cœlum eius morte deberet lugere, non potiùs terra, quæ virum eiusmodi amitteret.

XII. *Hymnus Angelicus.* Inuenio à priscis traditum, Adamum, & Sethum docuisse Posteros suos: *Hymnum Angelicum*; in primis autem Enos, de quo est illud. *Hic cœpit inuocare nomen Domini.* Hebraicè est verbum קלא quod etiam de sacra lectione, ac recitatione dicitur: Chronicon Alexandrinum: Φθονοκτονίας, καὶ μισαδελφίας, καὶ ἀγνωσιθείας ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Κάϊν ἀπηκεστύσης, πρῶτοι

οἱ

οἱ τοῦ Σὴθ ἤρξαντο ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου, ὅπερ ἐστὶν ἀγγελικὸς ὕμνος. *Cum à stirpe Cain inualescerent cædes ex inuidiâ, odia fratrum, Deique abnegatio, primi posteri Seth cœperunt inuocare nomen Domini, quod est Hymnus Angelicus, & paulò post:* οὗτοι οὖν οἱ Σὴθ, Ἀγγέλοις ὁμοιωθέντες, καὶ ἀγγελικὸν ὕμνον ἐπικαλεσάμενοι. *Hic ergo posteri Seth, qui Angelis comparantur, quique Angelicum Hymnum recitabant.*

TITVLVS VI.

Adamus

אדם

ADamum Hebraicè locutum esse tam certum est, quàm certum eum vocatum esse Adamum, eius vxorem Euam, filios Cain, Abel, Seth, ijs de Causis, & ab ea vocum origine, quam tradidit Liber Geneseos. Adam verò Terram rubram Hebraicè sonat; in.ò quod miror etiam Græcè. Hesychius: Ἀδαμὰ ἡ γῆ παρθενική *Adama Terra est Virginea.* Nam huius est coloris, quæ nondum mota, nec siccior, aut humidior, quàm decet, vnde & prima litera detracta דם *Dam* sanguis vocatus est, ac fortè ideo ex agro Damasceno sumpta dicitur terra. Hesychius notat: ἀδαμιεῖν esse φονεύειν, cædem facere: Unde nisi à fundendo sanguine? Nunc aliqua de Adami nomine, ex Hebræorum Commentarijs proferamus. Tres eius nominis literæ non contemnenda (Iudæorum opinione) complectuntur arcana, seu literarum numerus spectetur, seu conditio, seu virtus. Sunt enim, *Aleph*, *Daleth*, *Mem*, אדם Numerus I. IV. XL. quæ tria Pythagoricè sunt *Mens*, *Corpus*, & *Anima* nexus vtriusque. Mens vnitas, & Aleph, quod nomen Ducem, ac Doctorem sonat. Corpus, Quaternarias elementorum πτερακτὺς Daleth, liber, quo scribuntur omnia, de quo illud intelligunt, *in libro tuo omnes* (Heb. etiam: Omnia) *scribentur.* Anima est Mentis ad Corpus habitudo, ac nexus, quæ vocatur

Mem.

Mem. Quasi מהם *ex ipsis.* Nam & constat ex vnitate perfecta, & Quaternario Quadragenarius. Qui Animæ purgandæ, atque ad Originem reuocandæ sacer est. Conditio verò harum literarum est, quòd tria vocis instrumenta contineant, Labia, Dentes, Palatum. Nam, Aleph, Palati litera, Daleth est dentium, Mem, labiorum. Et quidem pronunciationis hæc necessaria, & prima diuisio est Aleph Principium; Mem Clausum, Finis, Daleth medium. Denique vis, aut virtus multiplex. Quidam ita explicant אדם id est אדם דויד משיח *Adam, Dauid, Messias.* Siquidem Adamo, ac Dauidi facta est promissio Messiæ apertior. Ac Messias ipse modò vocatur: *Filius Dauid*; modò *Filius Hominis*; id est Adami (Non autem ex Pythagorica μετεμψυχώσει) quam Hebræi vocant גלגל *Reuolutionem*, tamquam anima eadem ex Adamo in Dauidem, ex Dauide migrarit in Christum. (quod tamen plerique Judæi stultè arbitrantur) Alij sic explicant אדם id est אש דבר מים *Ignis, Verbum, Aqua.* Hoc est Verbo Domini coaluisse contraria plurima, ex quibus homo conflatus constiterit velut igne, & aqua. Alij sic, vt Hebræi Tract. Luta fol. 3 אפר דם מרה *Puluis, seu Cinis, Sanguis, Fel.* Tria illa principia, quæ nunc Stagyri vocant Salem, Mercurium, Sulphur, alij Terram, Aërem, Ignem. Omitto illud è Græco: Ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. quod peruulgatum, & plerique Patrum, ac recentiorum afferunt. Hæc de Nomine. Nunc de Viri sapientia, & libris. Interest nostra omnium Adamum arbitrari fuisse sapientem, ne Parentis infamiâ laboret Nomen humanum: sed nos ea de re alibi non pauca descripsimus, hoc autem loco duximus adnotandum: antiquam omnibus Gentibus persuasionem inesse, vt Priscos quidem arbitrentur sapientiâ plurimùm valuisse; Recentioribus autem tribuant astutiam, & calliditatem, nouas fallendi inuentiones. Pater Hebraico verbo dictus est à *Patar*, quod est explicare. *Mater* verò dicta est ab indulgendo, & concedendo. Quoties enim aliquis in alicuius obseruatione sententiam leniorem tradens, alios obligatione aliqua solueret, hac voce Hebræi vtebantur. Apparet igitur consueuisse Hebræos, & Patris nomine ex docendi munere

vsurpare; ac proinde eum, qui Pater fuit omnium, omnium fuisse Doctorem. Quæritur, an fuerit Propheta? Clementem Romanum audiamus lib. 1. Recog. Cap. VIII. *Clemens: Memini, Petre, dixisse te de Primo Homine, quia Propheta fuit, quòd autem vnctus fuerit non dixisti. Si ergo sine vnguento Propheta nullus est, quomodo primus homo, cum non esset vnctus, fuit Propheta? Tunc subridens Petrus: Si Primus, inquit, prophetauit certum est, quòd & vnctus sit; licèt enim vnctionem eius siluerit ille, qui legem in paginis condidit, nobis tamen intelligendum euidenter reliquit. Sicut enim, si eum vnctum dixisset, non dubitaretur, & Prophetam eum fuisse, etiam si scriptum non esset in lege. ita cùm certum sit, eum Prophetam fuisse, similiter certum est, & quòd vnctus sit. Verùm hæc magis te dicere oportuit: Si Chrisma arte vnguentaria compositum est ab Aaron, quomodo Primus Homo perungi potuit vnguento arte composito, talibus nondum repertis? Et Ego respondi. Non me traducas, Petre, non enim de vnguento composito, & temporali oleo loquor, sed de illo simplici, & æterno, quod à Deo factum esse docuisti, ad cuius similitudinem istud ab hominibus compositum esse dicis.* Hoc igitur æterno vnguine Adamus vnctus est. Non Minerua hoc ei oleum suppeditauit, sed Diuina Sapientia, de qua, in cognomine libro sic scriptum reperio Cap. x. *Hæc illum, qui Primus formatus est à Deo Pater Orbis Terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Constabat omnibus, Adamum initio fuisse sapientem, quippe quem sapientia ipsa condiderat, vnde etiam, vt apud impium Lucianum libro Προμηθεὺς ἢ inducitur Ἀθηνᾶ ἐμπνέουσα τὸν πηλὸν, καὶ ἔμψυχον εἶναι ποιοῦσα τὸ πλάσμα: *Minerua afflans lutum, & animæ particeps reddens figmentum*, & apud Manichæos, & Sethinos Hæreticos Adam formatus à *Sacla* quodam fingebatur, vt notat Augustinus de Hæresibus num. XLVI., quod *Sacla* Hebraicè intelligendi vim; Mentem, Sapientiam sonet. Sed enim cum constet ob degustatum fructum arboris, quæ scientiam nomine præferebat à vera Sapientia excidisse, adeo vt cecinerit Regius Vates, *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Jure dubitabant quidam, an omnibus propterea sapientiæ

or-

ornamentis exutus, vnà cum tuniculis ouinis, ouinam stoliditatem induisset. Sed bene est, quod sapientia non finit nos tam abiectè de omnium hominum Parente sentire. Ait enim se illi etiam post admissum facinus adstitisse, & ad recuperandam culpæ agnitione pristinam innocentiam opem tulisse. Tum dedisse illi *virtutem omnia continendi.* Hoc est, vt nihil esset vsquam rerum, quod non ille sapientia sua complecteretur. Hinc vel eo traditum Hebræis, Adamum capite supremum Cœlum, dextera Ortum, læua Occasum attigisse. Hinc Josuæ XIV. *Maximus inter Enacim Adam* vocatur. Quæ non sunt de mole corporis intelligenda, quo sensu hæc refellunt Moses Barcepha, de Paradiso lib. I. cap. XIV. alijque; sed de sapientiæ amplitudine. Adamo autem hæc scripta tribuuntur: (est autem à nobis, post hæc scripta, de libris Adami instituta disputatio in antiquitatibus Theologicis.)

אלף בית Alphabethum

לשון הקודש Lingua Sancta

ספר תולדות אדם Liber Generationum Adam

ספר אדם הראשון Liber Adami Primi

מזמור שיר ליום השבת Psalmus Cantici in diem Sabbathi.

חזון אדם Apocalypsis Adami

חכמות Scientiæ

ידיעה Cognitio

צוואות אור Testamentum Lucis.

I. Alphabethum Adamo tribuit Suidas, & si alij, vti diximus, ad altiora principia referunt, Deum, & Angelos. Alij Cœlo con-

congeneres literas, & cognatas faciunt. Marcus Colarbasius Gnosticæ factionis eas, quibus Cœlum mouetur, æternas mentes, literas aiebat esse vocales, sed Græcas. Consonantes verò esse, quæ vocamus elementa, quæ scilicet illarum deriuata vocalium virtus ad concentum quendam totius vniuersitatis animaret. Alio sensu Plinius literas vocauit *æternas*, quòd semper cum homine fuerint. Sic ille lib. VII. cap. 56. *Epigenes apud Babylonios septingentorum viginti annorum obseruationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis auctor in primis. Qui minimum, Berosus, & Critodemus quadringentorum octoginta annorum, quibus apparet æternus literarum vsus.* Planè igitur ex Adamo literarum vsum accersit; & quidem Assyriarum, sic enim addit: *Literas arbitror semper Assyrias fuisse, sed alij apud Egyptios à Mercurio, vt Gellius, alij apud Syros repertas volunt.* Hebraicæ autem literæ, quibus nunc vtimur, Assyriæ vocantur, vt capite *Cohen Gadol*, & alibi Hebræi docent. *Lingua Sancta* partim à Deo, partim ab Adamo instituta est. Nam quædam nomina Deus ipse rebus imposuit. Vt cum vocauit Firmamentum שמים: & Congregationem aquarum מים: & Lucem יום: tenebras verò appellauit לילה. sed apud quosdam dubium est, an Deus has voces protulerit sono, ac pulsu aeris; & Joannes Philoponus lib. 1. de Creat. cap. xx. insectatur Theodorum Mopsuestenum, quòd is re vera verba prolata à Deo scripsisset. Dixerat enim Theodorus: ideo in prima rerum Creatione Deum nullum verbum protulisse, quia tum nemo erat, qui audire posset; post Angelos verò creatos, statim Deum loquentem, ac nomina imponentem rebus induci: διδασκαλία δὲ ταῦτα ταῖς ἀοράτοις καὶ λογικαῖς οὐσίαις ἦν τοῦ τὴν κτίσιν προστάγματι δημιουργοῦντος ἰδίῳ. *Docebantur his vocibus inconspectæ, rationalesque substantiæ, ab eo, qui suo cuncta condebat imperio.* Hunc redarguens Philoponus οὐκ οὖν, inquit, καὶ σωματικὴν ἀκοὴν τὸ τῶν φωνῶν αἰσθητήριον δίδωσι τοῖς Ἀγγέλοις, καὶ διάλεκτον ἐθνικὴν τῷ Θεῷ, καθ' ἣν φθέγξασθαι πάντως αὐτὸν ἐρεῖ τὸν Θεόν, δι' ὃ καὶ φωνητικὸν ὄργανον ἀρτηρίαν τετραχεῖαν ἕξει, καὶ ὑπερῴαν, καὶ γλῶσσαν, καὶ ὀδόντας, καὶ τὰ λοιπὰ δι' ὧν εἰς λέξεις αἱ φωναὶ σχηματίζονται. *Ergo & corporeum Angelis concedat auditum, quo voces percipiuntur,*

& linguam, quæ Deo gentilis fit, qua loqui profectò dicet omninò Deum, ac proinde eum quoque vocis instrumenta habere. Asperam arteriam, palatum, linguam, dentes, ac cætera, quibus in dictiones soni formantur. At num negabit Philoponus, Deum voce sensibili cum Adamo locutum? & tamen vocis instrumenta non habuit. Sed is est Artifex Deus, qui sine instrumentis, quidquid velit, facilè possit efficere. Ita neque iis assentimur, qui Deum ea Hebdomada corpus humanum gessisse arbitrantur. Et tamen putamus reuera sonos in aëre efformatos, quibus Deus loqueretur, eosque potuisse etiam ab Angelis exaudiri, quamuis carerent auribus, quamquam minùs placent illa Theodori: ὅπου δ' ἀόρατος ἦν ἡ ἰδία, αὐτοῖς ἐκ τῶν Θεὸς, φωνὴν ἀφῆκε, ἵνα διὰ τῆς φωνῆς τὸν μὴ ὁρώμενον μάθωσιν. *Quia sub oculorum conspectum non cadebat; nec mentes illæ Deum videre poterant, vocem emisit, vt per vocem eum, quem non videbant, discerent.* Non egebat hoc vocis indicio Deus, vt ab Angelis nosceretur. Quem & naturalis ingenij vis multò meliùs assequebatur, & iam beatos apertior docebat Intuitus. Ergo vt ad institutum redeam: linguam Hebraicam constat à Deo prius vsurpatam, quàm ab Adamo. Deus enim Adamo nondum creato, vti dixi, vocauit tenebras לילה *Laila* id est noctem; & lucem יום *Iom* idest *Diem*; & Firmamentum שמים *Iamaim* id est *Cœlum*. Sed plurima etiam ab Adamo constat imposita, vt Euæ, vt Animantibus. An etiam Angeli nomina quædam imposuerint non constat è Sacra Historia, id tantum ex ea disertè apparet, hanc linguam fuisse à Deo Angelis, hominibusque communem, eâ enim Deus, Serpens, Adam, & qui ex eo nati loquebantur.

II. LIBER GENERATIONUM ADAM Geneseos v. u. 1. *Hic est liber Generationis Adami in die, qua creauit Deus hominem.* Congruunt LXX. αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως Ἀδάμ. Quæritur an hic reuera liber? Quid in eo scriptum? Plurimi sic intelligunt, vt nomen ספר hoc loco non librum, sed Narrationem significet, vt perindè sit, ac si diceret: Hoc est, quod mihi de Adamo narrandum est. Fauet R. Salomo, qui explicat per ספירת,

& vult sensum huius loci esse, ז היא ספירת אדם ומדרשי אגדה יש רבים *Hæc vera, ac germana narratio generationum Adami. Nam expositiones Allegoricæ plures sunt.* R. Bachai rem deriuat ad Kabbalam; nam vt liber Jezira, quem citat, scribit: vox hæc *Sepher* Dei Sapientiam, aut Ideam denotat, ac si Moyses post exaratam rerum Creationis historiam, Lectorem ad Diuina euocans Anagogen historiæ miscuerit. Alij tamen his verbis librum aliquem significari statuunt, sed non alium ab ipso Pentateucho. Quod R. Leui Bem. Gerson sic explicat: *Hic liber, idest Lex Moysis est, quo verus homo gignitur.* Nam Ecclesiastes XII. dicitur: *Time Deum, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.* Denique alij librum peculiarem arbitrantur, ab Adamo scriptum de creatione rerum, ac rebus ab se gestis, & Mundi historia. Nam & Moyses, Josue, Samuel, Esdra, Nehemias res suas literis adnotarunt, ita idem fecisse Adam. Quin huiusmodi narrationem Adami Chaldæos in publicis tabularijs seruasse, eamque inde quoque Moysi notam fuisse nonnulli ex Hieronymi Commentario in illud Pauli ad Hebræos: *Fide credimus apta esse sæcula*, confirmari putant. Sic enim de Chaldæis post multa Hieronymus; *Quin etiam annos, & Viros ante Regnum Macedonum sub Alexandro produnt, à quibus orti sunt, annis circiter quatuor & triginta supra sexcentos, & tria millia. Quos si retro ab Alexandro supputes, peruenies ad Adamum Primum, quod profectò Moyses in omni eorum disciplina, atque historia eruditus conscripsit.* Quæ referens Annius Commentario in Berosum addit: *Non immeritò Moyses dicitur à Hieronymo secutus Chaldæos ab Adam vsque ad Abraham. Et vt alij existimant, id Chaldæi tenuerunt ex historia Adæ. Quia Adam scripsit primus ex reuelatione de Mundi, atque sui Creatione, & texuit historiam gestorum vsque ad Henoch.* Quod spectat ad Commentarium de rebus suis ab Adamo scriptum, nec repugno, nec faueo. Moyses certè eo non indigebat, cui Deus ea multò certiùs tradere poterat, vti reuera tradidit. An verò Chaldæi huiusmodi Commentarios habuerint, si diuinandum est, non puto esse credibile. Nam quo pacto, qui Adami Commentarios haberent, æternitatem rerum

adstruere possent, qui facilè inde perspectam Mundi originem habere potuissent? At non benè Annius putat collectionẽ Annorum, quæ ex historijs Chaldaicis ad tempora vsque Adami pertingeret, esse eam, cuius meminit Plinius ex Epigene, quæ collectio ex latercculis, obseruationes habentibus astronomicas, tantùm septingentos, aut paulò plures annos continebat. Rursum Hieronymi dictum videtur infirmari ex eo posse, quod multò maior annorum numerus à Chaldæis tradatur. Lactantius lib. VII. cap. XIV. *Plato & multi alij Philosophorum, qui ignorarunt originem rerum, supremumque illud tempus, quo Mundus esset effectus; multa millia sæculorum fluxisse dixerunt, ex quo hic pulcherrimus Mundi extiterit ornatus, secuti fortasse Chaldæos, qui, vt Cicero tradidit in libro de Diuinatione primo, quadringenta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere delirant.* Et Berosus apud Eusebium παντοδαπῆς ἱστορίας lib. I. colligit Imperij Chaldaici Saros CXX. est autem Sarus annorum numerus MMMDC. quare Sari CXX. efficiunt annorum millia CCCCXXXII. Quo pacto igitur Chaldæorum annales Adami temporibus congruere possint; quorum vetustas tanto sæculorum tractu omnem Hominum, ac Mundi antecedit ætatem? Anianus, & Panodorus Monachi, quos citat Georgius Syncellus, computatis annorum loco diebus, quod aiunt Chaldæis fuisse familiare, Saros CXX. dicunt esse Nostrates annos MCLXXXIII. menses sex, dies XXV. verùm quia id non satis est ad explendum id tempus, quod à fine Chaldaici Imperij ad ortum Adami, & Mundi pertinet, vt Lacunam expleant, dicunt Chronologiam hanc tantùm id spatium complecti, quo Chaldæi post, atque ante diluuium Reges habuerunt. Restare autem tempus ἀβασίλευτον *Expers Regum*. Quod quantum fuerit ex coniectura, quæ ex Veterum Allegorijs ducitur, atque ex traditione Panodorus ait fuisse MLVII. annorum, hoc est Hebdomadarum CLI. Itaque ijdem Anianus, & Panodorus Eusebium reprehendebant, quòd Berosi locum recitans, nesciisset aptare Chaldaica tempora Historiæ Mosaicæ. Verùm egregiè, ac verè respondet Syncellus, nihil ab Eusebio prudentiùs, & sapientiùs fieri potuisse, quam vt fabulas Chaldæorum referret, vt fabulas; nec profanis

ſacra, falſis vera miſceret. Nam illa Chaldæorum vetuſtas cum ſacra hiſtoria conſtare non poteſt. Certè Chaldæi ex Arphaad Semi filio nati dicuntur. Joſephus lib. 1. Ant. c. 6.

III. LIBER ADAMI PRIMI. Notandum hic Hebræos Adamum ſemper hoc addito vocare *primum*, ad vitandam amphibologiam, quod ipſis Adam idem ſit, quod Homo. Nec ſemper ratio ſermonis ferat, vt præpoſita litera *He* diſtingui poſſit Adamus proprium nomen ab homine. Liber verò hic Adami Primi diuerſus eſt ab eo, de quo ante ſermo erat. Ille etenim Commentarius erat rerum geſtarum in Orbe vſque ad Henochi tempora, hic autem contra, ea omnia continebat, quæ futura ætate euentura eſſent. Hebræi enim ex eo quod Deus omnia animantia adduxerit ad Adamum, argumentantur multò potiori ratione dicendum ei oſtenſos fuiſſe omnes homines ex eo naſcituros. Fauere videtur Jonatha F. Uzielis (ſi tamen ipſius eſt id Targum, quod non putamus) ita ſcribens ad illud: *Hic eſt liber generationis Adami.* דין ספר יחוסי תולדת אדם *Hic eſt liber Proſapiæ generationis humanæ.* libri huius mentio eſt Sanhedna cap. IV., quo dicitur Deus dediſſe Adamo, eo libro deſcriptam totius Poſteritatis hiſtoriam. Addunt (quod tamen à quo acceperint, non exponunt), Adamum eum legendo, cum perueniſſet vſque ad R. Akibam, lætatum eſſe de viri ſapientia, de morte verò triſtatum. Sed quod addam lepidius eſt. In Baua Mezia, capite *Poelim*, narratur: Cum R. Judas Hakados ægrotaſſet ex oculis, & Samuel Jorchenai peritus Aſtronomus & Medicus ei opem tuliſſet, peroptaſſe R. Judam ei nomen, ac titulum Rabbini conferre; nec tamen id à collegis obtinere potuiſſe, quod cum grauiter ferret, ei dixiſſe Samuelem חזי לי ספרא דאדם הראשון לדידי מר לצטער לא וכתיב ביה שמואל ירחני נאחכים רבי לא יתקרי *Ne triſteris Domine mi perdilecte, oſtenſus eſt mihi liber Adami illius primi, & in eo ſcriptum eſt: Samuel Iarthenai, ſapiens vocabitur, Rabi non vocabitur.* Elegantiſsimè viſe-

serio doctus, illusit ambitioni Rabbinorum, qui cum sibi titulum hunc *Rabbi* arrogarent, nulla nisi forte nugarum, & fabularum scientia insignes, eum, qui multis artibus excelleret, nollent in suum collegium cooptare. Itaque ille hoc apologo ostendit satis sibi esse sapientem vocari, etiam si non vocaretur Rabbi. Sed R. Salomo reuera eum librum ab hoc Samuele visum credit הקדוש ספר אדם הראשון שהראהו ברוך הוא דור דור וסופריו ; דור דור ודורשיו דור דור וחכמין וכולי *Liber Adami, ille scilicet, quo Deus, ostendit illi iuxta generationum seriem omnes Scribas, explanatores, & sapientes.* Sed plus est, quod *Seder Olam* narrat, & ea eo *Jalkuth* in Jeremiam n. 266. הקב״ה הראה לו כל חכמי דור ודור רשעי כל דור ודור מספר שנותם ומנין ימותם וחשבון שעותיהם וסכום פסיעותיהם *Deus Opt. Max. ostendit illi omnes sapientes cuiusuis ætatis, & omnes cuiusuis ætatis impios, numerum annorum eorum, supputationem dierum eorum, rationem horarum eorum, vestigia passuum eorum.* Quantus (boni Superi!) liber fuisset, quo tota posteritas, omnesque hominum casus continerentur? Utinam Adamus hæc sciisset, in quæ vitio ipsius, & culpâ incidimus, numquam opinor ita procliuis fuisset in lapsum, continuisset se, si minus honesti reuerentia, saltem imminente supplicio, & calamitatibus Posterorum.

IV. *Pœnitentia Adami.* Liber commemoratur inter Apocryphos à Gelasio Pont. dist. xv. Huius libri nullam apud Hebræos mentionem reperio, nisi quod pœnitentiam Adami vocant Psalmum XCI. qui ipsis est XCII., de quo iam est agendum. Psalmus XCI. ab ipsis tribuitur Adamo. Nam Psalmos decem Auctoribus tribuunt, vt suo loco dicemus, qua vero occasione psalmum hunc cecinerit, sic narratur in *Berescith Rabba.* *Exiuit Cain lætus à Deo. Occurrit ei Adam, & dixit: quo pacto cessit tibi res in iudicio tuo? Dixit illi: pœnitentiam egi, & Deum placaui: Cœpit Adam sibi percutere faciem, ac dicere: Ergo tanta vis est pœ-*

nitentiæ, & ego nesciebam. Statim surrexit Adam, & dixit Psalmum diei Sabbathi: Bonum est Confiteri Domino. Dixit R. Leui. Psalmum hunc Adamus composuit, & Posteri illum obliti sunt: venit Moyses, & renouauit illum nomine Adami. Duplex hoc loco Hebræorum arguendus est error. Primus, quod aiunt Cainum pœnitentiam egisse, cùm Sacræ literæ contrà dicant eum desperasse, cùm dixit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear* גדול עוני מנשוא idest, maior iniquitas mea, quàm vt ferri possit, vel à me, si velim pœnitentiâ illam delere, vel à Deo, si velit eam mihi condonare. Nec Deus diceret: *Maledictus eris*, nisi præsciret eum non acturum pœnitentiam. Ideo enim neque Adamo id, neque Euæ dictum est, sed soli Serpenti, & Caino. In *Vaikra Rabba* (& refert Jalkuth sectione 13.) dicitur Cain pœnitentiam egisse, & propterea remissa illi media ex parte pœna, quam Deus illi inflixerat. His importunis fabulis veteres Judæi ansam dedere Cainianis bene de Caino sentiendi. Hinc etiam obiter adnoto id, quod Caiani dicebant (vt Epiphanius Hæres. XXXVIII. refert) Cainum fuisse genitum à quadam potentiore virtute, non ex Adamo: reperiri à capitulis R. Eliezer. Eum scilicet natū è Samaele, quem fingunt Angelum, ac Virtutem maleficam, & noxiam in Aquilone regnantem. Et id quidem, vt Epiphanius ait, si rectè intelligeretur, ferri posset: *Nam Pater Caini erat*, inquit, *non Adam, sed Diabolus, cuius imitationem habuit in fraterna cæde, & odio, & mendacio*, eo sensu quo Christus Judæis ipsis dixit: *Vos ex Patre Diabolo estis*; sed plerique Judæi omnia crassâ Mineruâ intelligunt. Alter error in verbis *Bereschith Rabba*, quod dicit, Adamum ex Caino didicisse pœnitentiam, quam vsque ad eam diem ignorasset, quod absurdum, & à mente grauiorum omnium Interpretum est prorsus alienum. Nec tantùm Sancti Patres, & Christiani Scriptores docent, Adamum, statim atque eiectus est è Paradiso, agnouisse suum Crimen, & Pœnitentiam egisse, sed Hebræi ipsi hoc fatentur. *In Erubin.* Cap. 11. dicitur *Adam, quando vidit sibi mortem incubuisse, conuersus est in Ieiunia, & egit pœnitentiam annis* CXXX. R. Dauid Kimchi in hunc Psalmum, ait, Adamum creatum esse feriâ sextâ, horâ tertiâ: peccasse horâ

O vn-

vndecimâ: damnatum duodecimâ, & pulsum de Paradiso fleuisse vsque ad Auroram diei sequentis, sub initium verò diei Sabbathi cœpisse: *Bonum est Confiteri Domino.* Targum Canticorum cap. 1. *Primum Canticum dixit Adam in tempore, quo dimissum fuit illi peccatum suum. Venit dies Sabbathi, & protexit eum, aperuit os suum, & dixit Psalmum Cantici diei Sabbathi.* En vt etiam domesticis testibus refellitur *Beresith Rabba.* Causam verò cur cecinerit hunc Psalmum Adamus, hanc narrant; quòd cùm se damnatum, eiectum de Paradiso, ac Deum iure sibi, at toti humano Generi iratum cerneret, & super hæc nox ingruisset, quam ipse nunquam antea vidisset, ingenti dolore, ac mentis angustiâ premi cœperit, ac secum ipse reputare ob suum scelus imminere toti Orbi supremum exitium. Nam homine damnato, Mundum quoque, propter hominem creatum, statim abolendum, & omnia in pristinum Chaos reditura. Hæc secum cogitans, inquiunt, nocte integrâ flebat, ac lamentabatur, sed vbi rursus illustrari Cœlum, ac primò Auroram, deinde Solem exoriri vidit, incredibili lætitiâ erectus in Dei laudes gestire cœpit, ac dicere: *Bonum est Confiteri Domino, & psallere Nomini tuo, Altissime. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Hæc illi; quin addunt, statim eum obtulisse Deo sacrificium: Vitulum illum scilicet, qui primus è Terra prodijt, cuius, inquiunt, folius cornua priùs extitere quàm pedes. Sed audiamus hæc ipsorum verbis. Jalkuth in Psalmos num. 802. ex Antiquiorum scriptis. בו הרגא שון אמר הוי לי בשביל ארבנש יום דבותינו תנו ששרחתי העולם הולך ומתמעט וחוזר לתוהו ובוהו וזו היא מיתה שנקנסה עלי היה יושב ובוכה כל הלילה כיון שעלה עמוד השחר אמר : מנהגו של עולם הוא עמד והקריב שורשקרניו קידמורת לפרסותיו שב ותיטב ליין משור פר מקרין מפרים *Docuerunt Rabbini nostri.*

Die, qua conditus est Adamus, dixit: Vae mihi quia deliqui, ideo Mundus deficit, & abit, ac redit rursus ad Chaos. Et hac est illa mors, quę mihi penę loco prędicta fuerat. Id cogitans sedebat, ac flebat nocte integrâ, sed quando prima Aurorę columna (radius) ascendit, dixit: hæc scilicet consuetudo Naturę est. Tunc stetit, & obtulit vitulum, cuius cornua prodiere, antequam pedes; sicut scriptum est: Complacuit Deo vitulus nouellus cornua proferens, & vngulas.

V. APOCALYPSIS ADAMI. Epiphanius in Gnosticis, & Gelasius in Concilio Romano, quem refert Gratianus dist. 15., Apocalypsim Adami referunt inter libros Apocryphos, quibus Gnostici vtebantur. Haud dubium, quin hæc Apocalypsis inducta sit occasione soporis immissi in Adamum, qui sopor non ex tristitia ortus est, vt R. Salomo fingit (inuidiâ quadam, quòd vidisset animantes omnes coniugio gaudere, ac sui generis comparem habere, se verò socio destitui.) sed immissus à Deo, vt scribit Moyses. Quare Septuaginta vocant Ἔκστασιν *Ecstasin*. Hieronymus libro Traditionum Hebr. in Genesim cap. iv. *Pro Ecstasi*, idest mentis excessu, in Hebræo habetur תרדמה *Tardemach*, quod Aquila καταφορὰν, *Symmachus* κάρον, *id est grauem, & profundum somnum interpretati sunt.* Augustinus libr. 11. de Gen. ad lit. cap. xix. *Illa Ecstasis, quam Deus immisit in Adamum, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt ipsius mens particeps fieret, tamquam Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* Tertullianus libr. de Anima cap. ix. Cecidit Ecstasis super illum. *Spiritus Sancti vis operatrix Prophetiæ.* Hinc igitur occasione captatâ Gnostici Reuelationem, quam eo tempore Adamus habuisset, de suo cerebro excuderunt, qua credibile est nuptiarum, ac mulieris mox formandæ occasione, multa illos suo more turpia, atque obscæna finxisse.

VI. SCIENTIÆ. Omnibus persuasum est Adamum sapientissimum fuisse, & multa, quæ vitæ humanæ commoda sunt ex illo nos habere. Hebræi contendunt Legem quoque Moysis eum non ignorasse; quin & seruandam tradidisse Posteris, vt scilicet Traditionem suam altius ordiantur. R. Thedolias Aben Jechin in Catena

Tra-

Traditionis, initio. *Nulli dubium est*, inquit, *quin Adamus, cum fuerit Dei O. M. opus, esse debuerit omni ex parte perfectus, & scientia omni tum naturali, tum diuina instructus, quæ scientia continetur in lege Moysis Magistri nostri, quam creatam ante Mundum dixere sapientes. Quare possumus dicere, eum fuisse in eodem gradu Prophetiæ cum Moyse &c.* N. De Lege Moysis non dubitamus eam Adamo ignotam fuisse. Verùm alia plurima eum accepisse diuinitùs nostri Auctores Hebræis consentiunt. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacr. Par. VI. cap. XIII. *Rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem facta sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet.* An verò etiam rerum, quæ sub aspectum non cadunt, sed mentis humanæ vim naturalem non excedunt, multi dubitant. Caietanus ei denegat Physicam, Astronomicam, ac reliquas scientias. Alij hæc, & maiora concedunt. Nemo, me Iudice, liberaliùs cum Adamo agit, quàm Suidas, seu potiùs apud eum Auctor anonymus. Primùm ait, Adamum à Deo iudicatum esse sapientissimum, cui Deus nomina rebus imponenda commiserit. Neque enim id negotij daret cuiuis, aut ei, quem non certò sciret rerum naturas nosse. Deinde addit, non in eo tantum stetisse primi hominis sapientiam quòd naturas & ingenia nosset animantium; sed perrexisse longè vlteriùs, & omnia quæ ad semina, frutices, arbores, herbas pertinerent ad perfectum tenuisse. Denique ait: μαρμαρυγαί τινες ἐκ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀναστράπτουσαι, καὶ θείων ἐννοιῶν τε, καὶ ἐνεργειῶν πλήθουσαι κατὰ πᾶσαν εἰσέτρεχον φύσιν, εὐστόχως, καὶ ἀναμαρτήτως τὸ οἰκεῖον ἑκάστης πλανηκτήτως φθάνουσαι. *Radij quidam ex eius anima effulgurantes, diuinisque notionibus, ac virtutibus pleni, in omnem naturam excurrebant, singularum rerum propriam, germanamque conditionem feliciter, & procul omni aberrandi periculo præuenientes.* Deinde multò profusiùs: οὗτος ἐστιν ὁ δοκιμάσας ἕκαστα, καὶ πᾶσι κανόνας, καὶ ἀριθμοὺς ἀκριβεῖς, καὶ ὅρους ἀναντιρρήτους ἐναρμοσάμενος. Τούτου τέχναι καὶ γράμματα. Τούτου ἐπιστῆμαι λογικαί τε, καὶ νόμοι γραπτοί τε, καὶ ἄγραφοι. Τούτου πάντα εὑρήματα, καὶ διδάγματα, καὶ ὅσαι κατὰ τὸν βίον ἀναγκαίαι χρεῖαί τε καὶ δίαιται. οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος ἀνάδειξις τὸ θεοτεύκτον ἄγαλμα, ἀφ' οὗπερ ἀπηνθίσαντο πᾶσαι ἀνθρώπων ἀγαλματουργίαι. *Hic est qui singula excussit, & leges omnibus, ac modos posuit exactos,*

aptauitque definitiones; quibus contradici non possit. Huius sunt Artes, & Literæ. Huius Disciplinæ, quæ Rationales sunt, & quæ minimè. Huius Prophetiæ, sacri ritus, expiationes, leges quoque scriptæ, & non scriptæ. Huius inuenta omnia, omnesque Doctrinæ, & omnia, quæ ad vitam necessaria sunt, siue vsu, siue directione. Hic est illud primum simulacrum, ac diuinitùs efformatum specimen, ad quod omnium hominum velut expressæ exiguntur Imagines. Hæc ille. Quorum singulis non deesset fortè quod opponerem, nisi Parentum laudibus obtrectare non boni moris ducerem. Itaque sit, me quidem plaudente, vel maior.

VII. *Cognitio* Græcè γνῶσις à Gnosticis inde dictis ex Adamo petebatur; aiebant enim Serpentem primùm hanc ei contulisse, quod quidem totum ex Hebræis haustum est. Nam & R. Moses Ægyptius in suo Mose Henochim, & ipsemet Josephus à Serpente aliquid scientiæ collatum Adamo fabulantur. Et R. Moses ait hominem, nisi fructum arboris degustasset futurum fuisse stupidum, atque hebetem. Auctor verò cognitionis Serpens ab ijs traditur Samael, quem omnium Angelorum maximum faciunt. R. Eliezer in capitibus: *Samael erat Princeps magnus in Cœlo. Animalia Ezechielis quatuor alas babent. Seraphim sex alas babent; sed Samael duodecim. Quid fecit Samael? descendit e Cœlo cum suo Cuneo. Circumspexit omnes res creatas, & nullam vidit sapientiorem ad malum serpente. Sic enim scribitur: Serpens autem erat callidior; eratque species serpentis, vt cameli, & ascendit super eum.* Hoc apparatu, opinione Judaicâ, inita est longa cum loquacula muliere disputatio. Suidas, seu quisquis est Auctor apud illum, putat quidquid vtiliter, & sapienter inuentum est, id fuisse Adami innocentis inuentum; quidquid noxiè, ac scelestè, id totum etiam fuisse Adami, Dœmonis fraude corrupti; ex illo per Cainum, & Chamum ad posteros peruenisse: Ἐντεῦθεν Αἰγυπτίων τὰ περὶ Ὄσιριν, καὶ Τυφῶνα, καὶ Ἴσιν μοχθηρὰ διηγήματα, καὶ Περσῶν μαγικὰ μαγγανεύματα, καὶ Βραχμάνων γυμνοσοφιστεία, καὶ ἄκαιροι φαντασίαι; καὶ ἡ θαυμαζομένη Σκυθῶν ῥῆσις, καὶ τὰ Θρακῶν ὄργια, καὶ οἱ Φρυγῶν αὐλοὶ, καὶ Κορύβαντες. Ἐντεῦθεν ἡ Χαλδαίων ἀστρονομία ἡ σφαλερά τε, καὶ πολυώδυνος. Ἐντεῦθεν ἡ ψευδὴς λογχίτεια ποίησις, ἡ τῆς

Ἑλλη-

Ἑλλήνων λήρημα τῶν μυθολογία. Ἐντεῦθεν Ὀρφεύς τε καὶ Ὅμηρος, καὶ ἡ ἀθεμίστων γονῶν ζωγράφος Ἡσίοδος. Ἐντεῦθεν καὶ Θάλητος δόγματα, καὶ ὁ κλεινὸς Πυθαγόρας, καὶ σοφὸς Σωκράτης, καὶ Πλάτων τὰ περὶ Ἀκαδημίαν ... Ἐντεῦθεν οἱ Παρμενίδαι, καὶ Πρωταγόραι καὶ Ζήνωνες. Ἐντεῦθεν αἱ Στοαί, καὶ οἱ Ἀρειοπάγοι, καὶ Ἐπικούρειοι. &c. *Inde Ægyptiorum, quæ de Osiride, Typhone, atque Iside sunt improbæ narrationes. Persarum magicæ impostura, Brachmanum mos ille absque vestibus Philosophandi (ergo ijdem Brachmanes, ac Gymnosophistæ) & intempestiua spectacula, & Scytharum illud Oraculum, quod admirationi est, Orgia quoque Thracum, necnon Phrygum tibiæ, & Chorybantes. Inde Chaldæorum fallax, & calamitosa Astronomia. Inde Poësis mendax insidiatrix, ac tota Græcarum ineptiarum series fabulatio. Inde Orpheus, & Homerus, & incestorum natalium Pictor Hesiodus. Inde Thaletis dogma, & inclytus Pythagoras, & Socrates sapiens, ac Plato, Atheniensis Academiæ celeberrima gloria. Inde Parmenidæ, Protagoræ, Zenones. Inde Porticus Stoicorum, Areopagi, & Epicurei.* Quousque tandem ad vnum omnia rediges quidquid est? Adeo vnus ille cor habuit, cæteri brutum pectus & barbarum fuere, vt nemo quicquam sapere potuerit, nemo desipere, nisi quod ille desipuit solus, aut sapuit? Non assentior. Nec tam infensus hostis sum reo Adamo, nec tam impudens adulator insonti.

VIII. *Testamentum Lucis.* Hæc quoque Mahometanorum fabula nostrum otium vellicat, & locum sibi vel inter sui similia scripta depôscit. Ergo aliquid, quoniam semel Augiæ stabulum purgare cœpimus, de hac quoque hic adnotemus ex libro de Generatione Machometi. *Adam videns imminere sibi finem, acceptum manu filium Seth ducit ad locum Orationis, & Dei, inquit, præceptum habeo, vt faciam tibi Testamentum Lucis. Adest Angelus Gabriel (Notarius) cum LXX millibus Angelorum (homines septem testamento satis erant) singuli cum paginis albis, & calamo de calamis Paradisi: scriptum itaque reliquit Adam sub testimonio Angelorum, signatum sigillo Gabrielis &c.* Hactenus Arabes. Testamentum autem continebat, hæreditatis

lo-

eo, Lucem, quam Adamus è vultu circumquaque diffundens, instar Solis effulgebat. Hæc nemo dubitabit ex Hebræis esse desumpta. Nam luce amictum Adamum non solum Hebræi, sed Syri etiam Scriptores, etiam Christiani tradidere. Moses Bar Cepha lib. de Paradiso cap. XXXVIII. describit Adamum in colliculo quodam nomina brutis animantibus imponentem: *Augusta amictum maiestate, & splendore, quem habitu præseferebat, Solis radios superantem.* Sed Lucem hanc Testamenti relictam Setho, & ex eius Posteris optimo cuique, ridiculam fabulam nominarem, nisi acutiores Persæ ad Allegoriam, velut ad sacram Anchoram, confugientes, hæc intelligenda esse de sapientia inter pios hæreditaria, dictitarent.

IX. *Secretum Intercalationis.* Adam traditum à Deo Hebræi putant, & cum eo totam temporum scientiam. Qua de re sic scribit R. Eliezer cap. VIII. *Anni & menses, dies & noctes, horæ & minuta, conuersiones, reuolutiones, & intercalationes erant apud Deum O. M., ipseque anni, temporumque rationes disponebat. Postea placuit hec Adamo tradere in Parad so. Hinc dictum est. Hic liber Generationis Adami Id est liber Generationis omnium Liberorum Adam. Adam tradidit Henocho.* In vniuersum libros ab Adamo scriptos putat Genebrardus, licèt postea probabiliùs ducat id primùm ab Henocho factum.

TITVLVS VII.

Seth.

שת

SEth omnium scriptorum, & sectarum literis, & religionibus prædicatur. Hunc enim Christiani mirantur. Augustinus lib. xv. de Ciu. Cap. XVIII. eum vocat Christi effigiem, ac figuram. Iudæi extollunt. Iosephus lib. I. Ant. cap. 2. *Sethus virtutis studijs se totum tradidit, & cùm vir optimus euasisset, nepotes etiam sui similes reliquit.* Midras, & Nathan, & ex eo Ialkut sect. I. dicunt, cum

eum quoque miraculo natum esse circumcisum. Nam nemo perfectus ipsis videtur, nisi Apella. Hæretici in eius laudes insaniunt, quod videre est in Sethianis, de quibus Epiphanius. Mahometani verò nunquam desinunt de eius gloria fabulari; vt videre est in libro *Doctrina Mahometh*, ac de Generatione Mahomethi. Denique Ethnici dicunt hunc fecisse Saturnum patrem, quod non solum nomen (*Satus* enim aliquando vocatus videtur, & postea dictus, solita Latinis productione, *Saturnus*) sed etiam reliquæ fabulæ consentiant. Nam vt Saturnus Cœli filius, neque vltra alium requiri volunt; Ita Sethus Adami primi, qui nunquam Hic Terra, non Cœlum vocari debuit. Saturno quoque Rege aurea sæcula, deinde hunc à Ioue in vincula datum, ac Gigantum secura bella, quæ omnia relinquimus alijs facilè diuinanda. Nos autem cœptum vrgentes, ea, quæ Setho tribuuntur, afferimus.

מסרת Traditio

אלפבית Alphabethum

ספרים יד Libri XIV.

ספרים נ Libri L.

I. TRaditio. Ex Adamo ad Sethum deriuatur ab omnibus Hebræis. Quippe Abel mortuus est, Cain iure primogeniti excidit, ob parricidium, ideo Seth Primogenitus habitus. Notant Hebræi de illo dictum esse Gen. v. u. 3. *Et genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Cur enim inquiunt, non etiam Cain, & Abel geniti dicuntur ad imaginem, & similitudinem? nisi quia illi non eò peruenerunt, vt à Patre perfectè edocerentur, & fuerint illi sapientia similes. R. Ghedolias in Catena Traditionis initio. *Nulli dubium est, quin Parentes cupiant, suadente natura, filios suos instar sui ipsius numeris omnibus absolutos esse, & plus si fieri possit. Nam Pater, & Magister non inuident filio, & discipulo; quare Adam proculdubio tradidit totam suam sapientiam Seth filio suo.* Huc etiam pertinet, quod ait, vocatum Seth, quod nomen

Epiphanius in Sethianis interpretatur ἀντάλλαγμα *Compensationem.* Augustinus lib. 15. de Ciu. Cap. 17. & 18. ἀνάστασιν *Resurrectionem.* Chronicon Alexandrinum θεμέλιον, *Fundamentum.* Hieronymus optimè, & aptissimè θέσιν *Positionem.* Quod significat positum esse hunc, loco Adami, atque Abelis, Doctorem Orbis, ac Magistrum. Accepit autem traditionem à Parente Adamo quidem, sed etiam ab Angelis, à quibus eo tempore homines familiarius edocebantur. Qua de re scribit antiquus auctor, cuius ex Bibliotheca Palatina fragmentum recitat Raderus, animad. v. 111 in Chronicon Alexandrinum. *Anno Sethi* XL. *Adami* CCLXX. *Sethus subitò raptus ab Angelo diebus* XL. *visus non est. Quo tempore diuinitus didicit filios suos Egregoros dictos, quos & filios Dei nominabant, peccaturos: & Orbem vniuersum aquis inundatum iri: venturum etiam salutis Auctorem Christum, atque hæc omnia parentibus Adamo & Euæ exposuit: Ex quo congressu, cœlesti splendore circumfusus cum reliquâ vitâ retinuit, vt Moyses & quadraginta annis totis, faciem velauit. Hinc primò dictus est Deus.* Quo pacto: hinc primò, si jam ante filios eius vocabant Filios Dei?

II. *Alphabethum.* Hic quoque fertur adinuenisse: Suidas Θεὸν τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, καὶ τὰ τῶν ἀστέρων ὀνομασίας. *Sethum Deum appellabant eius ætatis homines, eo quod Hebraica inuenisset Elementa, & Syderum nomina.* Quid si non totius Alphabethi auctor fuit, sed duarum literarum, quæ id claudunt, quæque sunt eius nominis propriæ שׁת; nam videri potest Adamus has duas literas omisisse contentus duabus סט, quæ sunt ijs similes. Certè si huius Alphabethi Sethus est auctor, non temerè videtur elementa sic disposuisse, vt extrema duo eius nomen redderent, velut operæ subscriberetur nomen Auctoris.

III. *Libri XIV.* Hos illi dederant Sethiani. De quibus Epiphanius, hæresi XXXIX. ἐξ ὀνόματος μὲν Σὴθ ἑπτὰ λέγοντες εἶναι βίβλους, ἄλλας δὲ βίβλους ἑτέρας ἀλλογενεῖς οὕτω καλοῦσι. *Nomine Seth libros septem dicentes esse. Alios quoque exteros sic vocant.* Putaui hos alios totidem numero esse, quod si quis non bene dixisse me credat, expungat. In Gnosticis quoque librorum Seth meminit, quibus ij quoque addicti erant.

IV. *Li-*

IV. *Libri L.* Hos quinquaginta libros ei liberaliter concedunt Mahometani, & quidem è Cœlo ei demiſſos. Sic enim libro, qui Chronica Saracenorum inſcribitur. *Prophetis cœlitùs miſſi ſunt libri* CIV. *quorum quinquaginta dati ſunt Setho.*

TITVLVS VIII.
Egregori, ſeu Filij Dei.
בני אלהים

EGregori, ſeu Filij Dei, de quibus Geneſeos VI. dicitur: *Videntes Filij Dei Filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores.* Qui fuerint, quæritur. Tres ſententiæ ſunt. Prima Angelos fuiſſe; vel qui iam è Cœlo decidiſſent; vel qui, cum hactenus in bonis numerarentur, eo crimine meruerint in malis haberi. Hanc ſequuti ſunt, poſt LXX. Interpretes, qui ita verterunt, multi veterum, ex quibus Juſtinus, Apologia vtrâque, Tertullianus, libro de habitu muliebri, Cyprianus libro de Diſciplina, & habitu virgin., Joſephus lib. I. Ant. cap. 4. Philo lib. de Gigantibus. Altera, fuiſſe filios Sethi, qui ob iuſtitiam, adinuentionem literarum, aut alia, diceretur Deus. Hanc tuentur Cyrillus lib. 3. in Geneſim, & lib. 9. contra Jul., Theodoretus quæſt. 47. in Geneſim, Caſſianus collat. 8. cap. 21., Chryſoſtomus, hom. 22. in Gen., Auguſtinus lib. 15. de Ciu., ac præterea magno numero plures. Tertia putat, Filios Dei vocari Potentiorum, ac Procerum filios, nam Hebraicè eſt אלהים quod Judices, Magiſtratus, Principes notat; Hanc ſententiam Hebræi ſequuntur, & latè probat Eugubinus. Ac videtur ſanè planior, & facilior. Cur enim Sethus in ſcriptura vocaretur Deus ἁπλῶς, cùm id nulli alteri concedatur, & fortè ſanctiori, & clariori? nec ſatis eſſet conſuetudine vulgari eum ſic eſſe appellatum, vt Moyſes quoq; eam ſequi vellet. Iidem autem vocati ſunt *Filij Dei*, & *Angeli*, ſeu *Vigiles*, ex quo Græci Ἐγρηγόρους dixere. Filij quidem Dei, vel Deorum, vt vertit Symmachus υἱοὶ Θεῶν, velut præſtantes quidam, & colendi. Hinc Fabula Græcorum poſtea finxit

 hos

hos eosdem παῖδας Ἀλωέας *Filios Aloei* corrupto vocabulo ab *Eloa*, quod Hebraicè Deum significat. Unde calumniam Celsi reijcias, qui, vt lib. 4. Apologiæ scribit Origenes, dicebat Moysen scripsisse de Gigantibus, διαφθείραντα τὰ περὶ τῶν Ἀλωέως υἱῶν *Corruptis ijs, quę de filijs Aloei scripta erant*. Nam ipsa vox, vti dicebamus, ostendit, rem esse Hebraicam, corruptores Græcos. Angeli quoque, & Egregori sunt vocati. Quare libri Henoch de ijs scripti, nomen obtinent: περὶ Ἐγρηγόρων *De Egregoris*. Et Sibylla etiam, ac plures veterum eo nomine vtuntur. Angeli enim vocantur Egregori. Idque Clementis Pædagogo constat lib. 11. μακάριοι οἱ Ἐγρηγορότες εἰς αὐτόν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες Ἀγγέλοις οὓς Ἐγρηγόρους καλοῦμεν. *Beati qui vigilant ad ipsum, se ipsos similes reddentes Angelis, quos Egregoros, seu Vigiles vocamus.* Ac multò ante, Danielis iv., non semel *Sanctus*, & *Vigil* vocatur Angelus. Et fortè Chaldæi sic vocabant. Primùm enim ex ore Chaldæi Regis auditur, deinde eius verba iterans Daniel, idem repetit. Homines quoque illos sic vocatos opinamur ob ingenium excitatum, & acre; ac vigilem curam, & in obseruatione Cœlestium rerum, ac motuum perspicaciam, Astronomiam enim excoluisse dicuntur. Vel certè ob corporis molem, è terra excitatam, quare sacræ literæ, vt eorum arrogantiam deprimerent, vocant eos voce contraria נפילים *Nephilim* id est cadentes. Ac vide, ne Græcum nomen *Heros* Ἥρως sit ex hoc Hebraico *Hir*, vel *Her*. Certè primi Heroes fuere, quos Deorum, atque Hominum filios fabulantur. His igitur tribuunt

שני עמודים Columnas duas

אבני חרש Laterculos

מלאכות רעות Malas artes.

I. *Columnæ duæ*, à filijs Seth excitatæ, atque insculptæ Scientiarum omnium principijs, inuentisque salutaribus celebres sunt ex Josepho lib. 1. Ant. cap. 11. *Quoniam erant bona indole præditi, syderalem scientiam excogitauerunt, & cœlestium* re-

rerum cognitionem; ne autem inuenta sua ex hominum memoria dilaberentur, & prius perirent, quàm pernoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum prænunciasse, vnum diluuio, alterum incendio; excitatis duabus columnis, lateritiâ, & lapideâ, vtrique sua inuenta inscripserunt; vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea hominibus discendi copiam faceret. Aiunt enim lapideam illam ab ijs positam, quę & nostris temporibus extat in Terra Syria. Hæc igitur Egregori, seu Filij Dei, eo tempore scripsere, quo non dum aliena coniugia inuaserant, nec sancta maiorum instituta corruperant.

II. *Laterculi* inscripti syderum obseruationibus multò ante diluuium, de quibus egimus in Adamo, his adscribuntur auctoribus, quos idcirco Egregoros, id est Vigiles vocabant, quòd sidera intentis oculis semper inspicerent; è quibus Gymnosophistarum apud Indos, & Atlantum in Libya sapientia manauit.

III. *Malæ Artes*, ijsdem tribuuntur. Henochi liber primis de Egregoris rem fusiùs narrat, quamquam Angelos putat, non homines: & aperta est fabula; tamen hic nomina auctorum, & artium ab ijs repertarum annotabimus.

Erael. Arma fabricare, & metalla tractare, & parare mundum muliebrem.

Semixes. Mentis statum immutare viribus herbarum, atque radicum.

Pharmaxas. Venena, Incantationes, earumque oppositas solutiones.

Balchiel. Astroscopiam, id est nouam syderum obseruationem.

Chababiel. Astrologiam, id est Genethliacam.

Zachiel. Aeroscopiam, id est aerearum impressionum contemplationem.

Arachiel. Signa Terrestria.

Sassiche. Signa Lunæ.

Hæc omnia, inquit, mulierculas primùm, deinde eos, quos ex ijs susceperé, docuerunt. Consentit his Clemens lib. Strom. *Nonnulli vniuersam Philosophiam, inferiores quasdam potestates inspi-*

sacra, falsis vera misceret. Nam illa Chaldæorum vetustas cum sacra historia constare non potest. Certè Chaldæi ex Arphaad Semi filio nati dicuntur. Josephus lib. 1. Ant. c. 6.

III. LIBER ADAMI PRIMI. Notandum hic Hebræos Adamum semper hoc addito vocare *primum*, ad vitandam amphibologiam, quod ipsis Adam idem sit, quod Homo. Nec semper ratio sermonis ferat, vt præposita litera *He*, distingui posit Adamus, proprium nomen, ab homine. Liber verò hic Adami Primi diuersus est ab eo, de quo antè sermo erat. Ille etenim Commentarius erat rerum gestarum in Orbe vsque ad Henochi tempora, hic autem contra, ea omnia continebat, quæ futura ætate euentura essent. Hebræi enim ex eo quod Deus omnia animantia adduxerit ad Adamum, argumentantur multò potiori ratione dicendum ei ostensos fuisse omnes homines ex eo nascituros. Fauere videtur Jonatha F. Uzielis (si tamen ipsius est id Targum, quod non putamus) ita scribens ad illud *Hic est liber generationis Adam*. דין ספר יחוסי תולדת אדם *Hic est liber Prosapiæ generationis humanæ*. libri huius mentio est Sanhedrin cap. iv., quo dicitur Deus dedisse Adamo, eo libro descriptam totius Posteritatis historiam. Addunt (quod tamen à quo acceperint, non exponunt), Adamum eum legendo, cum peruenisset vsque ad R. Akibam, lætatum esse de viri sapientia, de morte verò tristatum. Sed quod addam lepidius est. In Baua Mezia, capite *Poelim*, narratur: Cum R. Judas Hakados ægrotasset ex oculis, & Samuel Jarchenai peritus Astronomus & Medicus ei opem tulisset, peroptasse R. Judam ei nomen, ac titulum Rabbihi conferre; nec tamen id à collegis obtinere potuisse, quod cum grauiter ferret, ei dixisse Samuelem חזי לי ספרא דאדם הראשון לדיהו מר לצמער לא וכתיב ביה שמואל ירחני נאחכים רבי לא יתקרי *Ne tristeris Domine mi perdilecte, ostensus est mihi liber Adami illius primi, & in eo scriptum est: Samuel Jarchenai, sapiens vocabitur, Rabi non vocabitur*. Elegantissimè vie

se-

ferio doctus, illusit ambitioni Rabbinorum, qui cum sibi titulum hunc *Rabbi* arrogarent, nulla nisi forte nugarum, & fabularum scientia insignes, cum, qui multis artibus excelleret, nollent in suum collegium cooptare. Itaque ille hoc apologo ostendit satis sibi esse sapientem vocari, etiam si non vocaretur Rabbi. Sed R. Salomo reuera eum librum ab hoc Samuele visum credit הקדוש ספר אדם הראשון שהראהו ברוך הוא דור דור וסופריו דור דור ודורשיו דור דור וחכמיו וכולי *Liber Adami, ille scilicet, quo Deus ostendit illi iuxta generationum seriem omnes Scribas, explanatores, & sapientes.* Sed plus est, quod *Seder Olam* narrat, & ea ex *Jalkuth* in Jeremiam n. 26. הקב״ה הראהו לו כל חכמי דור ודור ורשעי כל דור ודור מספר שנותם ומנין ימותם וחשבון שעותיהם וסכום פסיעותיהם *Deus Opt. Max. ostendit illi omnes sapientes cuiusuis ætatis, & omnes cuiusuis ætatis impios, numerum annorum eorum, supputationem dierum eorum, rationem horarum eorum, vestigia passuum eorum.* Quantus (boni Superi!) liber fuisset, quo tota posteritas, omnesque hominum casus continerentur. Utinam Adamus hæc sciisset, in quæ vitio ipsius, & culpa incidimus, numquam opinor ita procliuis fuisset in lapsum, continuisset se, si minus honesti reuerentia, saltem imminente supplicio, & calamitatibus Posterorum.

IV. *Pœnitentia Adami.* Liber commemoratur inter Apocryphos à Gelasio Pont. dist. xv. Huius libri nullam apud Hebræos mentionem reperio, nisi quòd pœnitentiam Adami vocant Psalmum XCI. qui ipsis est XCII., de quo iam est agendum. Psalmus XCI. ab ipsis tribuitur Adamo. Nam Psalmos decem Auctoribus tribuunt, vt suo loco dicemus, qua vero occasione psalmum hunc cecinerit, sic narratur in *Berescith Rabba. Exiuit Cain lætus à Deo. Occurrit ei Adam, & dixit: quo pacto cessit tibi res in iudicio tuo? Dixit illi: pœnitentiam egi, & Deum placaui: Cœpit Adam sibi percutere faciem, ac dicere: Ergo tanta vis est pœ-*

nitentia, & ego nesciebam? Statim surrexit Adam, & dixit Psalmum diei Sabbathi: Bonum est Confiteri Domino. Dixit R. Leui. Psalmum hunc Adamus composuit, & Posteri illum obliti sunt: venit Moyses, & renouauit illum nomine Adami. Duplex hoc loco Hebræorum arguendus est error. Primus, quòd aiunt Cainum pœnitentiam egisse, cùm Sacræ literæ contrà dicant eum desperasse, cùm dixit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear* גדול עוני מנשוא id est, maior iniquitas mea, quàm vt ferri possit, vel à me, si velim pœnitentiâ illam delere, vel à Deo, si velit eam mihi condonare. Nec Deus diceret: *Maledictus eris*, nisi præsciret eum non acturum pœnitentiam. Ideo enim neque Adamo id, neque Euæ dictum est, sed soli Serpenti, & Caino. In *Vaikra Rabba* (& refert Jalkuth sectione 13.) dicitur Cain pœnitentiam egisse, & propterea remissa illi media ex parte pœna, quam Deus illi inflixerat. His importunis fabulis veteres Judæi ansam dedere Cainis bene de Caino sentiendi. Hinc etiam obiter adnoto id, quod Caiani dicebant (vt Epiphanius Hæres. XXXVIII. refert) Cainum fuisse genitum à quadam potentiore virtute, non ex Adamo: reperiri à capitulis R. Eliezer. Eum scilicet natū è Samaele, quem fingunt Angelum, ac Virtutem maleficam, & noxiam in Aquilone regnantem. Et id quidem, vt Epiphanius ait, si rectè intelligeretur, ferri posset: *Nam Pater Caini erat*, inquit, *non Adam, sed Diabolus, cuius imitationem habuit in fraterna cæde, & odio, & mendacio*, eo sensu quo Christus Judæis ipsis dixit: *Vos ex Patre Diabolo estis*; sed plerique Judæi omnia crassâ Mineruâ intelligunt. Alter error in verbis *Bereschith Rabba*, quod dicit, Adamum ex Caino didicisse pœnitentiam, quam vsque ad eam diem ignorasset, quod absurdum, & à mente grauiorum omnium Interpretum est prorsus alienum. Nec tantùm Sancti Patres, & Christiani Scriptores docent, Adamum, statim atque eiectus est è Paradiso, agnouisse suum Crimen, & Pœnitentiam egisse, sed Hebræi ipsi hoc fatentur. *In Erubin* Cap. 21. dicitur *Adam, quando vidit sibi mortem incubuisse, conuersus est in Ieiunio, & egit pœnitentiam annis* CXXX. R. Dauid Kimchi in hunc Psalmum, ait, Adamum creatum esse feriâ sextâ, horâ tertiâ: peccasse horâ

O vn-

vndecimâ: damnatum duodecimâ, & pulsum de Paradiso fleuisse, vsque ad Auroram diei sequentis, sub initium verò diei Sabbathi cœpisse: *Bonum est Confiteri Domino.* Targum Canticorum cap. 1. *Primum Canticum dixit Adam in tempore, quo dimissum fuit illi peccatum suum. Venit dies Sabbathi, & protexit eum, aperuit os suum, & dixit Psalmum Cantici diei Sabbathi.* En vt etiam domesticis testibus refellitur *Bereseith Rabba.* Causam verò cur cecinerit hunc Psalmum Adamus, hanc narrant; quod cùm se damnatum, eiectum de Paradiso, ac Deum iure sibi, at toti humano Generi iratum cerneret, & super hæc nox ingruisset, quam ipse nunquam antea vidisset, ingenti dolore, ac mentis angustiâ premi cœperit, ac secum ipse reputare ob suum scelus imminere toti Orbi supremum exitium. Nam homine damnato, Mundum quoque, propter hominem creatum, statim abolendum, & omnia in pristinum Chaos reditura. Hæc secum cogitans, inquiunt, noctem integrâ flebat, ac lamentabatur, sed vbi rursus illustrari Cœlum, ac primò Auroram, deinde Solem exoriri vidit, incredibili lætitiâ erectus in Dei laudes gestire cœpit, ac dicere: *Bonum est Confiteri Domino, & psallere Nomini tuo, Altissime. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Hæc illi; quin addunt, statim eum obtulisse Deo sacrificium: Vitulum illum scilicet, qui primus è Terra prodijt, cuius, inquiunt, solius cornua priùs extitere quàm pedes. Sed audiamus hæc ipsorum verbis. Jalkuth in Psalmos. num. 802. ex Antiquiorum scriptis. בו הרא׳ שון אמר הוי לי בשביל ארבנש יום רבותינו תנו ששרחתי העולם הולך ומתמעט וחוזר לתוהו ובוהו זו היא מיתה שנקנסה עלי היה יושב ובוכה כל הלילה כיון שעלה עמוד השחר אמר : מנהגו של עולם הוא עמד והקריב שורשקרניו קידמורת לפרסותיו שנ׳ ותיטב ליין משרד פר מקרין מנרים *Docuerunt Rabbini nostri.*

Die, qua conditus est Adamus, dixit: væ mihi quia deliqui, ideo Mundus deficit, & abit, ac redit rursus ad Chaos. Et hæc est illa mors, quę mihi penę loco prædicta fuerat. Id cogitans sedebat, ac flebat nocte integrâ, sed quando prima Auroræ columna (radius) ascendit, dixit: hæc scilicet consuetudo Naturæ est. Tunc stetit, & obtulit vitulum, cuius cornua prodiere, antequam pedes; sicut scriptum est: Complacuit Deo vitulus nouellus cornua proferens, & vngulas.

V. APOCALYPSIS ADAMI. Epiphanius in Gnosticis, & Gelasius in Concilio Romano, quem refert Gratianus dist. 15. Apocalypsim Adami referunt inter libros Apocryphos, quibus Gnostici vtebantur. Haud dubium, quin hæc Apocalypsis inducta sit occasione soporis immissi in Adamum, qui sopor non ex tristitia ortus est, vt R. Salomo fingit (inuidiâ quadam, quòd vidisset animantes omnes conjugio gaudere, ac sui generis comparem habere, se verò socio destitui.) sed immissus à Deo, vt scribit Moyses. Quare Septuaginta vocant Ἔκστασιν *Ecstasin*. Hieronymus libro Traditionum Hebr. in Genesim cap. lv. *Pro Ecstasi*, idest mentis excessu, in Hebræo habetur תרדמה *Tardemach*, quod Aquila καταφορὰν, *Symmachus* κάρον, *id est grauem, & profundum somnum interpretati sunt.* Augustinus libr. 11. de Gen. ad lit. cap. xix. *Illa Ecstasis, quam Deus immisit in Adamum, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt ipsius mens particeps fieret, tamquam Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* Tertullianus libr. de Anima cap. ix. Cecidit Ecstasis super illum. *Spiritus Sancti vis operatrix Prophetiæ.* Hinc igitur occasione captatâ Gnostici Reuelationem, quam eo tempore Adamus habuisset, de suo cerebro excuderunt, qua credibile est nuptiarum, ac mulieris mox formandæ occasione, multa illos suo more turpia, atque obscæna finxisse.

VI. SCIENTIÆ. Omnibus persuasum est Adamum sapientissimum fuisse, & multa, quæ vitæ humanæ commoda sunt ex illo nos habere. Hebræi contendunt Legem quoque Moysis eum non ignorasse; quin & seruandam tradidisse Posteris, vt scilicet Traditionem suam altius ordiantur. R. Thedolias Aben Jechin in Catena

Tra-

Traditionis, initio. *Nulli dubium est,* inquit, *quin Adamus, cùm fuerit Dei O.M. opus, esse debuerit omni ex parte perfectus, & scientia omni tum naturali, tùm diuina instructus, quæ scientia continetur in lege Moysis Magistri nostri, quam creatam ante Mundum dixere sapientes. Quare possumus dicere, eum fuisse in eodem gradu Prophetiæ cum Moyse, &c.* De Lege Moysis non dubitamus eam Adamo ignotam fuisse. Verùm alia plurima eum accepisse diuinitùs nostri Auctores Hebræis consentiunt. Hugo Victorinus lib. I. de Sacr. Par. VI. cap. XIII. *Rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem facta sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet.* An vero etiam rerum, quæ sub aspectum non cadunt, sed mentis humanæ vim naturalem non excedunt, multi dubitant. Caietanus ei denegat Physicam, Astronomicam, ac reliquas scientias. Alij hæc, & maiora concedunt. Nemo, me Iudice, liberaliùs cum Adamo agit, quàm Suidas, seu potiùs apud eum Auctor anonymus. Primùm ait, Adamum à Deo iudicatum esse sapientissimum, cui Deus nomina rebus imponenda commiserit. Neque enim id negotij daret cuiuis, aut ei, quem non certo sciret rerum naturas nosse. Deinde addit non in eo tantum stetisse primi hominis sapientiam, quòd naturas & ingenia nosset animantium; sed perrexisse longè vlterius, & omnia quæ ad semina, frutices, arbores, herbas pertinerent ad perfectum tenuisse. Denique ait: μαρμαρυγαί τινες ἐκ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀναστράπτουσαι, καὶ θείων ἐννοιῶν τε, καὶ ἐνεργειῶν πλήθουσαι κατὰ πᾶσαν διέτρεχον φύσιν, εὐστόχως καὶ ἀναμαρτήτως τὸ οἰκεῖον ἑκάστης πλεονέκτημα φθάνουσαι. *Radij quidam ex eius anima effulgurantes, diuinisque notionibus, ac virtutibus pleni, in omnem naturam excurrebant, singularum rerum propriam, germanamque conditionem feliciter, & procul omni aberrandi periculo præuenientes.* Deinde multò profusiùs: οὗτος ἐστιν ὁ δοκιμάσας ἕκαστα, καὶ πᾶσι κανόνας καὶ σταθμοὺς ἀκριβεῖς, καὶ ὅρους ἀναντιῤῥήτους ἐναρμοσάμενος. Τούτου τέχναι καὶ γράμματα. Τούτου ἐπιστῆμαι λογικαί τε, καὶ νόμοι γραπτοί τε, καὶ ἄγραφοι. Τούτου πάντα εὑρήματα, καὶ διδάγματα, καὶ ὅσα κατὰ τὸν βίον ἀναγκαῖα χρειώδη τε καὶ δίαιται. οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος ἀνδριὰς τὸ θεοτύπωτον ἄγαλμα, ἀφ' οὗπερ ἀπεικονίζονται πᾶσαι ἀνθρώπων ἀγαλματουργίαι. *Hic est qui singula excussit, & leges omnibus, ac modos posuit exactos,*

aperuitque definitiones; quibus contradici non possit. Huius sunt Artes, & Literæ. Huius Disciplinæ, quæ Rationales sunt, & quæ minimè. Huius Prophetiæ, sacri ritus, expiationes, leges quoque scriptæ, & non scriptæ. Huius inuenta omnia, omnesque Doctrinæ, & omnia, quæ ad vitam necessaria sunt, siue vsu, siue directione. Hic est illud primum simulacrum, ac diuinitùs efformatum specimen, ad quod omnium hominum velut expressæ exiguntur Imagines. Hæc ille. Quorum singulis non deesset fortè quod opponerem, nisi Parentum laudibus obtrectare non boni moris ducerem. Itaque sit, me quidem plaudente, vel maior.

VII. *Cognitio* Græcè γνῶσις à Gnosticis inde dictis ex Adamo petebatur; aiebant enim Serpentem primùm hanc ei contulisse, quod quidem totum ex Hebræis haustum est. Nam & R. Moses Ægyptius in suo Mose Henochim, & ipsemet Iosephus à Serpente aliquid scientiæ collatum Adamo fabulantur. Et R. Moses ait hominem, nisi fructum arboris degustasset futurum fuisse stupidum, atque hebetem. Auctor verò cognitionis Serpens ab ijs traditur Samael, quem omnium Angelorum maximum faciunt. R. Eliezer in capitibus: *Samael erat Princeps magnus in Cœlo. Animalia Ezechielis quatuor alas habent. Seraphim sex alas habent; sed Samael duodecim. Quid fecit Samael? descendit e Cœlo cum suo Cuneo. Circumspexit omnes res creatas, & nullam vidit sapientiorem ad malum serpente. Sic enim scribitur: Serpens autem erat callidior; eratque species serpentis, vt cameli, & ascendit super eum.* Hoc apparatu, opinione Iudaicâ, inita est longa cum loquacula muliere disputatio. Suidas, seu quisquis est Auctor apud illum, putat quidquid vtiliter, & sapienter inuentum est, id fuisse Adami innocentis inuentum; quidquid noxiè, ac scelestè, id totum etiam fuisse Adami, Dœmonis fraude corrupti; ex illo per Cainum, & Chamum ad posteros peruenisse: Ἐντεῦθεν Αἰγυπτίων τὰ περὶ Ὄσιριν, καὶ Τυφῶνα, καὶ Ἴσιν τραγῳδούμενα διηγήματα, καὶ Περσῶν μαγικὰ μαγγανεύματα, καὶ Βραχμάνων γυμνοσοφιστεία, καὶ ἀκαιρεσι φαντασίαι; καὶ ἡ θαυμαζομένη Σκυθῶν ῥῆσις, καὶ τὰ Θρᾳκῶν ὄργια, καὶ οἱ Φρυγῶν αὐλοὶ, καὶ Κορύβαντες. Ἐντεῦθεν ἡ Χαλδαίων ἀστρονομία ἡ σφαλερά τε, καὶ πολυώδυνος. Ἐντεῦθεν ἡ χοάνης λοχεύτρια ποίησις, ἡ τῆς

Ἑλλη-

Ἑλληνικῶν ληρημάτων ἐσμὸς καὶ κωμῳδία. Ἐντεῦθεν Ὀρφεύς τε καὶ Ὅμηρος, καὶ ἀθεμίστων γάμων ζωγράφος Ἡσίοδος. Ἐντεῦθεν ἡ Θάλητος δόξα, καὶ ὁ κλεινὸς Πυθαγόρας, καὶ σοφὸς Σωκράτης, καὶ Πλάτων τὸ τῆς Ἀκαδημίας πολυθρύλλητον ἀγώνισμα. Ἐντεῦθεν οἱ Παρμενίδαι, καὶ Πρωταγόραι καὶ Ζήνωνες. Ἐντεῦθεν αἱ Στοαὶ, καὶ οἱ Ἀρειοπαγῖται, καὶ Ἐπικούρειοι &c. *Inde Ægyptiorum, quæ de Osiride, Typhone, atque Iside sunt improbæ narrationes, Persarum magicæ imposturæ, Brachmanum mos ille absque vestibus Philosophandi (ergo iidem Brachmanes ac Gymnosophistæ) & intempestiua spectacula, & Scytharum illud Oraculum, quod admirationi est, Orgia quoque Thracum, necnon Phrygum tibiæ, & Chorybantes. Inde Chaldæorum fallax, & calamitosa Astronomia. Inde Persis mendax insidiatrix, ac tota Græcarum ineptiarum series fabulatio. Inde Orpheus, & Homerus, & incestorum natalium Pictor Hesiodus. Inde Thaletis dogma, & inclytus Pythagoras, & Socrates sapiens, ac Plato, Atheniensis Academiæ celeberrima gloria. Inde Parmenidæ, Protagoræ, Zenones. Inde Porticus Stoicorum, & Areopagus, & Epicurei.* Quousque tandem ad vnum omnia rediges quisquis es? Adeo vnus ille cor habuit, cæteri brutum pecus, & barbarum fuere, vt nemo quicquam sapere potuerit, nemo desipere, nisi quod ille desipuit solus, aut sapuit? Non assentior. Nec tam infensus hostis sum reo Adamo, nec tam impudens adulator insonti.

VIII. *Testamentum Lucis.* Hæc quoque Mahometanorum fabula nostrum otium vellicat, & locum sibi vel inter sui similia scripta deposcit. Ergo aliquid, quoniam semel Augiæ stabulum purgare cœpimus, de hac quoque hic adnotemus ex libro de Generatione Machometi. *Adam videns imminere sibi finem, acceptum manu filium Seth ducit ad locum Orationis, & Dei, inquit, præceptum habeo, vt faciam tibi Testamentum Lucis. Adest Angelus Gabriel (Notarius) cum LXX. millibus Angelorum (homines septem testamento satis erant:) singuli cum paginis albis, & calamo de calamis Paradisi: scriptum itaque reliquit Adam sub testimonio Angelorum, signatum sigillo Gabrielis &c.* Hactenus Arabes. Testamentum autem continebat, hæreditatis

eo, lucem, quam Adamus è vultu circumquaque diffundens, instar Solis effulgebat. Hæc nemo dubitabit ex Hebræis esse desumpta. Nam luce amictum Adamum non solum Hebræi, sed Syri etiam Scriptores, etiam Christiani tradidere. Moses Bar Cepha lib. de Paradiso cap. XXXVIII. describit Adamum in colliculo quodam nomina brutis animantibus imponentem: *Augusta amictum maiestate, & splendore, quem habitu præferebat, Solis radios superantem.* Sed Lucem hanc Testamenti relictam Setho, & ex eius Posteris optimo cuique, ridiculam fabulam nominarem, nisi acutiores Persæ ad Allegoriam, velut ad sacram Anchoram, confugientes, hæc intelligenda esse de sapientia inter pios hæreditaria, dictitarent.

IX. *Secretum Intercalationis* Adam traditum à Deo Hebræi putant, & cum eo totam temporum scientiam. Qua de re sic scribit R. Eliezer cap. VIII. *Anni & menses, dies & noctes, horæ & minuta, conuersiones, reuolutiones, & intercalationes erant apud Deum O. M., ipseque anni, temporumque rationes disponebat. Postea placuit hæc Adamo tradere in Parad. so. Hinc dictum est. Hic liber Generationis Adam. Id est liber Generationis omnium Liberorum Adam. Adam tradidit Henocho.* In vniuersum libros ab Adamo scriptos putat Genebrardus, licèt postea probabiliùs ducat id primùm ab Henocho factum.

TITVLVS VII.

Seth.

שת

SEth omnium scriptorum, & sectarum literis, & religionibus prædicatur. Hunc enim Christiani miramur. Augustinus lib. xv. de Ciu. Cap. XVIII. eum vocat Christi effigiem, ac figuram. Iudæi extollunt. Iosephus lib. I. Ant. cap. 2. *Sethus virtutis studijs se totum tradidit, & cùm vir optimus euasisset, nepotes etiam sui similes reliquit.* Midras, & Nathan, & ex eo Ialkut sect. I. dicunt, eum

eum quoque miraculo natum esse circumcisum. Nam nemo perfectus ipsis videtur, nisi Apella. Hæretici in eius laudes insaniunt, quod videre est in Sethianis, de quibus Epiphanius. Mahometani verò nunquam desinunt de eius gloria fabulari; vt videre est in libro *Doctrinæ Mahometh*, ac de Generatione Mahomethi. Denique Ethnici dicunt hunc fecisse Saturuum patrem, quod non solum nomen (*Satus* enim aliquando vocatus videtur, & postea dictus, solita Latinis productione, *Saturnus*) sed etiam reliquæ fabulæ consentiant. Nam vt Saturnus Cœli filius, neque vltra alium requiri volunt; ita Sethus Adami primi, qui anquam Hic Terra, non Cœlum vocari debuit. Saturno quoque Rege aurea sæcula, deinde hunc à Ioue in vincula datum, ac Gigantum secura bella; quæ omnia relinquimus alijs facilè diuinanda. Nos autem cœptum vrgentes, ea, quæ Setho tribuuntur, afferimus.

מסרת	Traditio
אלפבית	Alphabethum
ספרים יד	Libri XIV.
ספרים נ	Libri L.

I. TRaditio. Ex Adamo ad Sethum deriuatur ab omnibus Hebræis. Quippe Abel mortuus est, Cain iure primogeniti excidit, ob parricidium, ideo Seth Primogenitus habitus. Notant Hebræi de illo dictum esse Gen. v. n. 3. *Et genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Cur enim inquiunt, non etiam Cain, & Abel geniti dicuntur ad imaginem, & similitudinem? nisi quia illi non eò peruenerunt, vt à Patre perfectè edocerentur, & fuerint illi sapientia similes. R. Ghedolias in Catena Traditionis initio. *Nulli dubium est, quin Parentes cupiant, suadente natura, filios suos instar sui ipsius numeris omnibus absolutos esse, & plus si fieri possit. Nam Pater, & Magister non inuident filio, & discipulo; quare Adam proculdubio tradidit totam suam sapientiam Seth filio suo.* Huc etiam pertinet, quod ait, vocatum *Seth*, quod nomen

Epiphanius in Sethianis interpretatur ἀντάλλαγμα *Compensationem.* Augustinus lib. 15. de Ciu. Cap. 17. & 18. ἀνάστασιν *Resurrectionem.* Chronicon Alexandrinum θεμέλιον *Fundamentum.* Hieronymus optimè, & aptissimè θέσιν *Positionem.* Quod significat positum esse hunc, loco Adami, atque Abelis, Doctorem Orbis, ac Magistrum. Accepit autem traditionem à Parente Adamo quidem, sed etiam ab Angelis, à quibus eo tempore homines familiarius edocebantur. Qua de re scribit antiquus auctor, cuius ex Bibliotheca Palatina fragmentum recitat Raderus, animad. v. 11. in Chronicon Alexandrinum. *Anno Sethi* XL. *Adami* CCLXX. *Sethus subitò raptus ab Angelo diebus* XL. *visus non est. Quo tempore diuinitus didicit filios suos Egregoros dictos, quos & filios Dei nominabant, peccaturos, & Orbem vniuersum aquis inundatum iri: venturum etiam salutis Auctorem Christum, atque hæc omnia parentibus Adamo & Euæ exposuit: Ex quo congressu, cœlesti splendore circumfusus eum reliquâ vitâ retinuit, vt Moyses, & quadraginta annis totis, faciem velauit. Hinc primò dictus est Deus.* Quo pacto: hinc primò, si jam ante filios eius vocabant Filios Dei?

II. *Alphabethum.* Hic quoque fertur adinuenisse: Suidas Θεὸν τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, τὰς τῶν ἀστέρων ὀνομασίας. *Sethum Deum appellabant eius ætatis homines, eo quod Hebraica inuenisset Elementa, & Syderum nomina.* Quid si non totius Alphabethi auctor fuit, sed duarum literarum, quæ id claudunt; quæque sunt eius nominis propriæ שת; nam videri potest Adamus has duas literis omisisse contentus duabus טס, quæ sunt ijs similes. Certè si huius Alphabethi Sethus est auctor, non temerè videtur elementa sic disposuisse, vt extrema duo eius nomen redderent, velut operi subscriberetur nomen Auctoris.

III. *Libri XIV.* Hos illi dederant Sethiani. De quibus Epiphanius, hæresi XXXIX. ἐξ ὀνόματος μὲν Σὴθ ἑπτὰ λέγοντες εἶναι βίβλους, ἄλλας δὲ βίβλους ἑτέρας ἀλλογενεῖς οὕτω καλοῦσι. *Nomine Seth libros septem dicentes esse. Alios quoque exteros sic vocant.* Putaui hos alios totidem numero esse, quod si quis non benè dixisse me credat, expungat. In Gnosticis quoque librorum Seth meminit, quibus ij quoque addicti erant.

IV. *Li-*

IV. *Libri L.* Hos quinquaginta libros ei liberaliter concedunt Mahometani, & quidem è Cœlo ei demissos. Sic enim libro, qui Chronica Saracenorum inscribitur. *Prophetis cœlitùs missi sunt libri* CIV. *quorum quinquaginta dati sunt Setho.*

TITVLVS VIII.
Egregori, seu Filij Dei.
בני אלהים

EGregori, seu Filij Dei, de quibus Geneseos VI. dicitur: *Videntes Filij Dei Filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores.* Qui fuerint, quæritur. Tres sententiæ sunt. Prima Angelos fuisse; vel qui iam è Cœlo decidissent; vel qui, cum hactenus in bonis numerarentur, eo crimine meruerint in malis haberi. Hanc sequuti sunt, post LXX. Interpretes, qui ita verterunt, multi veterum, ex quibus Iustinus, Apologia vtrâque, Tertullianus, libro de habitu muliebri, Cyprianus libro de Disciplina, & habitu virgin., Iosephus lib. I. Ant. cap.4. Philo lib. de Gigantibus. Altera, fuisse filios Sethi, qui ob iustitiam, adinuentionem literarum, aut alia, diceretur Deus. Hanc tuentur Cyrillus lib.3. in Genesim, & lib. 9. contra Iul., Theodoretus quæst. 47. in Genesim, Cassianus collat. 8. cap. 21., Chrysostomus, hom. 22. in Gen., Augustinus lib. 15. de Ciu., ac præterea magno numero plures. Tertia putat, Filios Dei vocari Potentiorum, ac Procerum filios, nam Hebraicè est אלמים quod Iudices, Magistratus, Principes notat; Hanc sententiam Hebræi sequuntur, & latè probat Eugubinus. Ac videtur sanè planior, & facilior. Cur enim Sethus in scriptura vocaretur Deus ἁπλῶς, cùm id nulli alteri concedatur, & fortè sanctiori, & clariori? nec satis esset consuetudine vulgari cum sic esse appellatum, vt Moyses quoq; eam sequi vellet. Iidem autem vocati sunt *Filij Dei*, & *Angeli*, seu *Vigiles*, ex quo Græci Ἐγρήγορες dixere. Filij quidem Dei, vel Deorum, vt vertit Symmachus υἱοὶ Θεῶν, velut præstantes quidam, & colendi. Hinc Fabula Græcorum postea finxit

hos eosdem παῖδας Ἀλωέως *Filios Aloei* corrupto vocabulo ab *Eloa*, quod Hebraicè Deum significat. Unde calumniam Celsi reijcias, qui, vt lib. 4. Apologiæ scribit Origenes, dicebat Moysen scripsisse de Gigantibus, διεφθαρκέναι τὰ περὶ τῶν Ἀλωέως υἱῶν *Corruptis ijs, quę de filijs Aloei scripta erant*. Nam ipsa vox, vti dicebamus, ostendit, rem esse Hebraicam, corruptores Græcos. Angeli quoque, & Egregori sunt vocati. Quare libri Henoch de ijs scripti, nomen obtinent: περὶ Ἐγρηγόρων *De Egregoris*. Et Sibylla etiam, ac plures veterum eo nomine vtuntur. Angeli enim vocantur Egregori. Idque Clementis Pædagogo constat lib. II. μακάριοι οἱ ἐγρηγορότες εἰς αὐτόν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες ἀγγέλοις οὓς ἐγρηγόρους καλοῦμεν. *Beati qui vigilant ad ipsum, se ipsos similes reddentes Angelis, quos Egregoros, seu Vigiles vocamus.* Ac multò ante, Danielis IV., non semel *Sanctus, & Vigil* vocatur Angelus. Et fortè Chaldæi sic vocabant. Primùm enim ex ore Chaldæi Regis auditur, deinde eius verba iterans Daniel, idem repetit. Homines quoque illos sic vocatos opinamur ob ingenium excitatum, & acre; ac vigilem curam, & in obseruatione Cœlestium rerum, ac motuum perspicaciam, Astronomiam enim excoluisse dicuntur. Vel certè ob corporis molem, è terra excitatam, quare sacræ literæ, vt eorum arrogantiam deprimerent, vocant eos voce contraria נפילים *Nephilim* id est cadentes. Ac vide, ne Græcum nomen *Heros* Ἥρως sit ex hoc Hebraico *Hir*, vel *Her*. Certè primi Heroes fuere, quos Deorum, atque Hominum filios fabulantur. His igitur tribuunt

שני עמודים Columnas duas

אבני חרש Laterculos

מלאכות רעות Malas artes.

I. Columnæ duæ, à filijs Seth excitatæ, atque insculptæ Scientiarum omnium principijs, inuentisque salutaribus celebres sunt ex Josepho lib. I. Ant. cap. II. *Quoniam erant bona indole præditi, syderalem scientiam excogitauerunt, & cœlestium* re-

rerum cognitionem; ne autem inuenta sua ex hominum memoria dilaberentur, & priùs perirent, quàm pernoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum prænunciasse, vnum diluuio, alterum incendio; excitatis duabus columnis, lateritiâ, & lapideâ, vtrique sua inuenta inscripserunt, vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea hominibus discendi copiam faceret. Aiunt enim lapideam illam ab ijs positam, quę & nostris temporibus extat in Terra Syria. Hæc igitur Egregori, seu Filij Dei, eo tempore scripsere, quo non dum aliena coniugia inuaserant, nec sancta maiorum instituta corruperant.

II. *Laterculi* inscripti sydcrum obseruationibus multò ante diluuium, de quibus egimus in Adamo, his adscribuntur auctoribus, quos idcirco Egregoros, id est Vigiles vocabant, quòd sidera intentis oculis semper inspicerent; è quibus Gymnosophistarum apud Indos, & Atlantum in Libya sapientia manauit.

III. *Malæ Artes*, ijsdem tribuuntur. Henochi liber primis de Egregoris rem fusiùs narrat, quamquam Angelos putat, non homines: & aperta est fabula; tamen hic nomina auctorum, & artium ab ijs repertarum annotabimus.

Erael. Arma fabricare, & metalla tractare, & parare mundum muliebrem.

Semixes. Mentis statum immutare viribus herbarum, atque radicum.

Pharmaxas. Venena, Incantationes, earumque oppositas solutiones.

Balchiel. Astroscopiam, id est nouam sydcrum obseruationem.

Chababiel. Astrologiam, id est Genethliacam.

Zachiel. Aeroscopiam, id est aerearum impressionum contemplationem.

Arachiel. Signa Terrestria.

Saffich. Signa Lunæ.

Hæc omnia, inquit, mulierculas primùm, deinde eos, quos ex ijs suscepere, docuerunt. Consentit his Clemens lib. Strom. *Nonnulli vniuersam Philosophiam, inferiores quasdam potestates inspi-*

sacra, falsis vera misceret. Nam illa Chaldæorum vetustas cum sacra historia constare non potest. Certè Chaldæi ex Arphaad Semi filio nati dicuntur. Josephus lib. 1. Ant. c. 6.

III. LIBER ADAMI PRIMI. Notandum hic Hebræos Adamum semper hoc addito vocare *primum*; ad vitandam amphibologiam, quod ipsis Adam idem sit, quod Homo. Nec semper ratio sermonis ferat, vt præposita litera *He* distingui possit Adamus, proprium nomen, ab homine. Liber verò hic Adami Primi diuersus est ab eo, de quo ante sermo erat. Ille etenim Commentarius erat rerum gestarum in Orbe vsque ad Henochi tempora, hic autem contra, ea omnia continebat, quæ futura ætate euentura essent. Hebræi enim ex eo quod Deus omnia animantia adduxerit ad Adamum, argumentantur multò potiori ratione dicendum ei ostensos fuisse omnes homines ex eo nascituros. Fauere videtur Jonatha F. Uzielis (si tamen ipsius est id Targum, quod non putamus) ita scribens ad illud: *Hic est liber generationis Adam.* דין ספר יחוסי תולדת אדם *Hic est liber Prosapiæ generationis humanæ.* libri huius mentio est Sanhedrin cap. IV., quo dicitur Deus dedisse Adamo, eo libro descriptam totius Posteritatis historiam. Addunt (quod tamen à quo acceperint, non exponunt), Adamum eum legendo, cum peruenisset vsque ad R. Akibam, lætatum esse de viri sapientia, de morte verò tristatum. Sed quod addam lepidius est. In Baua Mezia, capite *Poelim*, narratur: Cum R. Judas Hakados ægrotasset ex oculis, & Samuel Jarchenai peritus Astronomus & Medicus ei opem tulisset, peroptasse R. Judam ei nomen, ac titulum Rabbini conferre; nec tamen id à collegis obtinere potuisse, quod cum grauiter ferret, ei dixisse Samuelem חזי לי ספרא דאדם הראשון לדידי מר לצמער לא וכתיב ביה שמואל ירחני נאחכים רבי לא יתקרי *Ne tristeris Domine mi perdilecte, ostensus est mihi liber Adami illius primi, & in eo scriptum est: Samuel Iarchenai, sapiens vocabitur, Rabi non vocabitur.* Elegantissimè vir

se-

ſerio doctus, illuſit ambitioni Rabbinorum, qui cum ſibi titulum hunc *Rabbi* arrogarent, nulla niſi forte nugarum, & fabularum ſcientia inſignes, eum, qui multis artibus excelleret, nollent in ſuum collegium cooptare. Itaque ille hoc apologo oſtendit ſatis ſibi eſſe ſapientem vocari, etiam ſi non vocaretur Rabbi. Sed R. Salomo reuera eum librum ab hoc Samuele viſum credit הקדוש ספר אדם הראשון שהראהו ברוך הוא דור דור ודורשיו דור דור וחכמיו ודור ופוריו *Liber Adami, ille ſcilicet, quo Deus oſtendit illi iuxta generationum ſeriem omnes Scribas, explanatores, & ſapientes.* Sed plus eſt, quod *Seder Olam* narrat, & ea ex *Ialkuth* in Ieremiam n. 26. הקב״ה הראה לו כל חכמי חר וחור ורשע כל דור ודור מספר שנותם ומנין ימותם וחשבון שעותיהם וסכום פסיעותיהם *Deus Opt. Max. oſtendit illi omnes ſapientes cuiuſuis ætatis, & omnes cuiuſuis ætatis impios, numerum annorum eorum, ſupputationem dierum eorum, rationem horarum eorum, veſtigia paſſuum eorum.* Quantus (boni Superi!) liber fuiſſet, quo tota poſteritas, omneſque hominum caſus continerentur? Utinam Adamus hæc ſciſſet, in quæ vitio ipſius, & culpa incidimus, numquam opinor ita proclivis fuiſſet in lapſum, continuiſſet ſe, ſi minus honeſti reuerentia, ſaltem imminente ſupplicio, & calamitatibus Poſterorum.

IV. *Pœnitentia Adami.* Liber commemoratur inter Apocryphos à Gelaſio Pont. diſt. xv. Huius libri nullam apud Hebræos mentionem reperio, niſi quod pœnitentiam Adami vocant Pſalmum XCI. qui ipſis eſt XCII., de quo iam eſt agendum. Pſalmus XCI. ab ipſis tribuitur Adamo. Nam Pſalmos decem Auctoribus tribuunt, vt ſuo loco dicemus, qua vero occaſione pſalmum hunc cecinerit, ſic narratur in *Bereſcith Rabba. Exiuit Cain lætus à Deo. Occurrit ei Adam, & dixit: quo pacto ceſſit tibi res in iudicio tuo? Dixit illi: pœnitentiam egi, & Deum placaui: Cœpit Adam ſibi percutere faciem, ac dicere: Ergo tanta vis eſt pœ-*

nitentia, & ego nesciebam? Statim *surrexit Adam, & dixit Psalmum diei Sabbathi, Bonum est Confiteri Domino. Dixit R. Leui. Psalmum hunc Adamus composuit, & Posteri illum obliti sunt: venit Moyses, & renouauit illum nomine Adami.* Duplex hoc loco Hebræorum arguendus est error. Primus, quod aiunt Cainum pœnitentiam egisse, cùm Sacræ literæ contrà dicant eum desperasse, cùm dixit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear* גדול עוני מנשוא id est, maior iniquitas mea, quàm vt ferri possit, vel à me, si velim pœnitentiâ illam delere, vel à Deo, si velit eam mihi condonare. Nec Deus diceret: *Maledictus eris*, nisi præsciret eum non acturum pœnitentiam. Ideo enim neque Adamo id, neque Euæ dictum est; sed soli Serpenti, & Caino. In *Vaikra Rabba* (& refert Jalkuth sectione 13.) dicitur Cain pœnitentiam egisse, & propterea remissa illi media ex parte pœna, quam Deus illi inflixerat. His importunis fabulis veteres Judæi ansam dedere Caianis bene de Caino sentiendi. Hinc etiam obiter adnoto id, quod Caiani dicebant (vt Epiphanius Heresi XXXVIII. refert) Cainum fuisse genitum à quadam potentiore virtute, non ex Adamo: reperiri à capitulis R. Eliezer. Eum scilicet natum è Samaele, quem fingunt Angelum, ac Virtutem maleficam, & noxiam in Aquilone regnantem. Et id quidem, vt Epiphanius ait, si rectè intelligeretur, ferri posset: *Nam Pater Caini erat*, inquit, *non Adam, sed Diabolus, cuius imitationem habuit in fraterna cæde, & odio, & mendacio*, eo sensu quo Christus Judæis ipsis dixit: *Vos ex Patre Diabolo estis*; sed plerique Judæi omnia crassâ Mineruâ intelligunt. Alter error in verbis *Bereschith Rabba*, quod dicit, Adamum ex Caino didicisse pœnitentiam, quam vsque ad eam diem ignorasset, quod absurdum, & à mente grauiorum omnium Interpretum est prorsus alienum. Nec tantùm Sancti Patres, & Christiani Scriptores docent, Adamum, statim atque eiectus est è Paradiso, agnouisse suum Crimen, & Pœnitentiam egisse, sed Hebræi ipsi hoc fatentur. *In Erubin. Cap.* 11. dicitur *Adam, quando vidit sibi mortem incubuisse, conuersus est in Ieiunio, & egit pœnitentiam annis* CXXX. R. Dauid Kimchi in hunc Psalmum, ait, Adamum creatum esse feriâ sextâ, horâ tertiâ: peccasse horâ

vn-

vndecimâ: damnatum duodecimâ, & pulsum de Paradiso fleuisse vsque ad Auroram diei sequentis, sub initium verò diei Sabbathi cœpisse: *Bonum est Confiteri Domino.* Targum Canticorum cap. 1. *Primum Canticum dixit Adam in tempore, quo dimissum fuit illi peccatum suum. Venit dies Sabbathi, & protexit eum, aperuit os suum, & dixit Psalmum Cantici diei Sabbathi.* En vt etiam domesticis testibus refellitur *Bereschith Rabba.* Causam verò cur cecinerit hunc Psalmum Adamus, hanc narrant; quòd cùm se damnatum, eiectum de Paradiso, ac Deum iure sibi, at toti humano Generi iratum cerneret, & super hæc nox ingruisset, quam ipse nunquam antea vidisset, ingenti dolore, ac mentis angustiâ premi cœperit, ac secum ipse reputare ob suum scelus imminere toti Orbi supremum exitium. Nam homine damnato, Mundum quoque, propter hominem creatum, statim abolendum, & omnia in pristinum Chaos reditura. Hæc secum cogitans, inquiunt, noctem integrâ flebat, ac lamentabatur, sed vbi rursus illustrari Cœlum, ac primò Auroram, deinde Solem exoriri vidit, incredibili lætitiâ erectus in Dei laudes gestire cœpit, ac dicere: *Bonum est Confiteri Domino, & psallere Nomini tuo, Altissime. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Hæc illi; quin addunt, statim cum obtulisse Deo sacrificium: Vitulum illum scilicet, qui primus è Terra prodijt, cuius, inquiunt, solius cornua priùs extitere quàm pedes. Sed audiamus hæc ipsorum verbis. Jalkuth in Psalmos num. 802. ex Antiquiorum scriptis.

בו הרא' שון אמר הוי לי בשביל
ארבנש יום רבותינו תנו ששרחתי העולם הולך
ומתמעט וחוזר לתוהו ובוהו וזו היא מיתה שנקנסה
עלי היה יושב ובוכה כל הלילה כיון שעלה
עמוד השחר : אמר : מנהגו של עולם הוא עמד
והקריב שור שקרניו קודמות לפרסותיו שנ' ותיטב
ליי משור פר מקרין מפריס

Docuerunt Rabbini nostri.

Die, qua conditus est Adamus, dixit; væ mihi quia deliqui, ideo Mundus deficit, & abit, ac redit rursus ad Chaos. Et hæc est illa mors, quę mihi penę loco prædicta fuerat. Id cogitans sedebat, ac flebat nocte integrâ; sed quando prima Aurorę columna (radius) ascendit, dixit: hæc scilicet consuetudo Naturę est. Tunc stetit, & obtulit vitulum, cuius cornua prodiere, antequam pedes; sicut scriptum est: Complacuit Deo vitulus nouellus cornua proferens, & vngulas.

V. APOCALYPSIS ADAMI. Epiphanius in Gnosticis, & Gelasius in Concilio Romano, quem refert Gratianus dist. 15., Apocalypsim Adami referunt inter libros Apocryphos, quibus Gnostici vtebantur. Haud dubium, quin hæc Apocalypsis inducta sit occasione soporis immissi in Adamum, qui sopor non ex tristitia ortus est, vt R. Salomo fingit (inuidiâ quadam, quòd vidisset animantes omnes conjugio gaudere, ac sui generis comparem habere, se verò socio destitui.) sed immissus à Deo, vt scribit Moyses. Quare Septuaginta vocant Ἔκστασιν *Ecstasin*. Hieronymus libro Traditionum Hebr. in Genesim cap. lv. *Pro Ecstasi*, idest mentis excessu, in Hebræo habetur תרדמה *Tardemach*, quod Aquila καταφορὰν, *Symmachus* κάρον, *id est grauem, & profundum somnum interpretati sunt.* Augustinus libr. 11. de Gen. ad lit. cap. XIX. *Illa Ecstasis, quam Deus immisit in Adamum, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt ipsius mens particeps fieret, tamquam Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* Tertullianus libr. de Anima cap. IX. Cecidit Ecstasis super illum. *Spiritus Sancti vis operatrix Prophetiæ.* Hinc igitur occasione captatâ Gnostici Reuelationem, quam eo tempore Adamus habuisset, de suo cerebro excuderunt, qua credibile est nuptiarum, ac mulieris mox formandæ occasione, multa illos suo more turpia, atque obscæna finxisse.

VI. SCIENTIÆ. Omnibus persuasum est Adamum sapientissimum fuisse, & multa, quæ vitæ humanæ commoda sunt ex illo nos habere. Hebræi contendunt Legem quoque Moysis eum non ignorasse; quin & seruandam tradidisse Posteris, vt scilicet Traditionem suam altius ordiantur. R. Thedolias Aben Jechin in Catena

Tra-

Traditionis, initio. *Nulli dubium est*, inquit, *quin Adamus, cum fuerit Dei O. M. opus, esse debuerit omni ex parte perfectus, & scientia omni tum naturali, tum diuina instructus, quæ scientia continetur in lege Moysis Magistri nostri, quam creatam ante Mundum dixere sapientes. Quare possumus dicere, eum fuisse in eodem gradu Prophetiæ cum Moyse M. N.* De Lege Moysis non dubitamus eam Adamo ignotam fuisse. Verùm alia plurima eum accepisse diuinitùs nostri Auctores Hebræis consentiunt. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacr. Par. VI. cap. XIII. *Rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem factæ sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet.* An vero etiam rerum, quæ sub aspectum non cadunt, sed mentis humanæ vim naturalem non excedunt, multi dubitant. Caietanus ei denegat Physicam, Astronomicam, ac reliquas scientias. Alij hæc, & maiora concedunt. Nemo, me Iudice, liberaliùs cum Adamo agit, quàm Suidas, seu potiùs apud eum Auctor anonymus. Primùm ait, Adamum à Deo iudicatum esse sapientissimum, cui Deus nominal rebus imponenda commisserit. Neque enim id negotij daret cuiuis, aut ei, quem non certo sciret rerum naturas nosse. Deinde addit, non in eo tantum stetisse primi hominis sapientiam, quod naturas, & ingenia nosset animantium; sed perrexisse longè vlteriùs, & omnia quæ ad semina, frutices, arbores, herbas pertinerent ad perfectum tenuisse. Denique ait: μαρμαρυγαί τινες ἐκ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀναστράπτουσαι, καὶ θείων ἐννοιῶν τε, καὶ ἐνεργειῶν πλησθεῖσαι κατὰ πᾶσαν διέτρεχον φύσιν, εὐστόχως, καὶ ἀναμαρτήτως τὸ οἰκεῖον ἑκάστης πλεονέκτημα φθάνουσαι. *Radij quidam ex eius anima effulgurantes, diuinisque notionibus, ac virtutibus pleni, in omnem naturam excurrebant, singularum rerum propriam, germanamque conditionem feliciter, & procul omni aberrandi periculo præuenientes.* Deinde multò profusiùs: οὗτός ἐστιν ὁ δοκιμάσας ἕκαστα, καὶ πᾶσι κανόνας, καὶ σταθμοὺς ἀκριβεῖς, καὶ ὅρους ἀναντιῤῥήτους ἁρμοσάμενος. Τούτου τέχναι, καὶ γράμματα. Τούτου ἐπιστῆμαι λογικαί τε, καὶ νόμοι γραπτοί τε, καὶ ἄγραφοι. Τούτου πάντα εὑρήματα, καὶ διδάγματα, καὶ ὅσαι κατὰ τὸν βίον ἀναγκαίαι χρεῖαί τε καὶ δίαιται. Οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος ἀνδριὰς τοῦ θεοποιήτου ἄγαλμα, ἀφ' οὗπερ ἀπετυπώσαντο πᾶσαι ἀνθρώπων ἀγαλματουργίαι. *Hic est qui singula excussit, & leges omnibus, ac modos posuit exactos,*

Ἑλληνικῶν λεγομένων μυθολογημάτων. Ἐντεῦθεν Ὀρφεύς τε καὶ Ὅμηρος, ὁ ἀθεμίστων γενέσεων ζωγράφος Ἡσίοδος. Ἐντεῦθεν ἡ Θάλητος δόξα, καὶ ὁ κλεινὸς Πυθαγόρας, ὁ σοφὸς Σωκράτης, ὁ Πλάτων τὰ περὶ Ἀκαδήμειαν. [illegible] Ἐντεῦθεν οἱ Παρμενίδαι, καὶ Πρωταγόραι καὶ Ζήνωνες. Ἐντεῦθεν αἱ Στοαί, καὶ οἱ Ἀρειοπαγῖται, καὶ Ἐπικούρειοι, &c. *Inde Ægyptiorum, quæ de Osiride, Typhone, atque Iside sunt, improbæ narrationes, Persarum magicæ imposturæ, Brachmanum mos ille absque vestibus Philosophandi (ergo iidem Brachmanes ac Gymnosophistæ), & intempestiva spectacula; & Scytharum illud Oraculum, quod admirationi est, Orgia quoque Thracum, necnon Phrygum tibiæ, & Chorybantes. Inde Chaldæorum fallax, & calamitosa Astronomia. Inde Poesis mendax insidiatrix, ac tota Græcarum ineptiarum series fabulatio. Inde Orpheus, & Homerus, & incestorum natalium Pictor Hesiodus. Inde Thaletis dogma, & inclytus Pythagoras, & Socrates sapiens, ac Plato, Atheniensis Academiæ celeberrima gloria. Inde Parmenidæ, Protagoræ, Zenones. Inde Porticus Stoicorum, Areopagitæ, & Epicurei.* Quousque tandem ad unum omnia rediges, quisquis es? Adeo unus ille cor habuit, cæteri brutum pecus, & barbari fuere, ut nemo quicquam sapere potuerit, nemo desipere, nisi quod ille desipuit solus, aut sapuit. Non assentior. Nec tam infensus hostis sum reo Adamo, nec tam impudens adulator insonti.

VIII. *Testamentum Lucis.* Hæc quoque Mahometanorum fabula nostrum otium vellicat, & locum sibi vel inter sui similia scripta deposcit. Ergo aliquid, quoniam semel Augiæ stabulum purgare cœpimus, de hac quoque hic adnotemus ex libro de Generatione Machometi. *Adam videns imminere sibi finem, acceptum manu filium Seth ducit ad locum Orationis, & Dei, inquit, præceptum habeo, ut faciam tibi Testamentum Lucis. Adest Angelus Gabriel (Notarius) cum LXX. millibus Angelorum (homines septem testamento satis erant) singuli cum paginis albis, & calamo de calamis Paradisi. scriptum itaque reliquit Adam sub testimonio Angelorum, signatum sigillo Gabrielis &c.* Hactenus Arabes. Testamentum autem continebat, hæreditatis

lo-

eo, Lucem, quam Adamus è vultu circumquaque diffunderis, instar Solis effulgebat. Hæc nemo dubitabit ex Hebræis esse desumpta. Nam luce amictum Adamum non solum Hebræi, sed Syri etiam Scriptores, etiam Christiani tradidere. Moses Bar Cepha, lib. de Paradiso cap. xxxvii. describit Adamum in colliculo quodam nomina brutis animantibus imponentem: *Augusta amictum maiestate, & splendore, quem habitu præferebat, Solis radios superantem.* Sed Lucem hanc Testamenti relictam Setho, & ex eius Posteris optimo cuique, ridiculam fabulam nominarem, nisi acutiores Persæ ad Allegoriam, velut ad sacram Anchoram, confugientes, hæc intelligenda esse de sapientia inter pios hæreditaria, dictitarent.

IX. *Secretum Intercalationis.* Adam traditum à Deo Hebræi putant, & cum eo totam temporum scientiam. Qua de re sic scribit R. Eliezer cap. VIII. *Anni & menses, dies & noctes, horæ & minuta, conuersiones, reuolutiones, & intercalationes erant apud Deum O. M., ipseque anni, temporumque rationes disponebat. Postea placuit hæc Adamo tradere in Parad so. Hinc dictum est. Hic liber Generationis Adami. Id est liber Generationis omnium Liberorum Adam. Adam tradidit Henocho.* In vniuersum libros ab Adamo scriptos putat Genebrardus, licèt postea probabiliùs ducat id primùm ab Henocho factum.

TITVLVS VII.

Seth.

שת

Seth omnium scriptorum, & sectarum literis, & religionibus prædicatur. Hunc enim Christiani miramur. Augustinus lib. xv. de Ciu. Cap. XVIII. eum vocat Christi effigiem, ac figuram. Iudæi extollunt. Iosephus lib. I. Ant. cap. 2. *Sethus virtutis studijs se totum tradidit, & cùm vir optimus euasisset, nepotes etiam sui similes reliquit.* Midras, & Nathan, & ex eo Ialkut sect. I. dicunt, eum

eum quoque miraculo natum esse circumcisum. Nam nemo perfectus ipsis videtur, nisi Apella. Hæretici in eius laudes insaniunt, quod videre est in Sethianis, de quibus Epiphanius. Mahometani verò nunquam desinunt de eius gloria fabulari; vt videre est in libro *Doctrina Mahometh*, ac de Generatione Mahomethi. Denique Ethnici dicunt hunc fecisse Saturnum patrem, quod non solum nomen (*Satus* enim aliquando vocatus videtur, & postea dictus, solita Latinis productione, *Saturnus*) sed etiam reliquæ fabulæ consentiant. Nam vt Saturnus Cœli filius, neque vltra alium requiri volunt; ita Sethus Adami primi, qui anquam Hic Terra, non Cœlum vocari debuit. Saturno quoque Rege aurea sæcula, deinde hunc à Joue in vincula datum, ac Gigantum secuta bella; quæ omnia relinquimus alijs facilè diuinanda. Nos autem cœptum vrgentes, ea, quæ Setho tribuuntur, afferimus.

מסרה Traditio
אלפבית Alphabethum
ספרים י״ד Libri XIV.
ספרים נ׳ Libri L.

I. TRaditio. Ex Adamo ad Sethum deriuatur ab omnibus Hebræis. Quippe Abel mortuus est, Cain iure primogeniti excidit, ob parricidium; ideo Seth Primogenitus habitus. Notant Hebræi de illo dictum esse Gen. v. n. 3. *Et genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Cur enim inquiunt, non etiam Cain, & Abel geniti dicuntur ad imaginem, & similitudinem? nisi quia illi non eò peruenerunt, vt à Patre perfectè edocerentur, & fuerint illi sapientia similes. R. Ghedolias in Catena Traditionis initio. *Nulli dubium est, quin Parentes cupiant, suadente natura, filios suos instar sui ipsius numeris omnibus absolutos esse, & plus si fieri possit. Nam Pater, & Magister non inuident filio, & discipulo; quare Adam proculdubio tradidit totam suam sapientiam Seth filio suo.* Huc etiam pertinet, quod ait, vocatum *Seth*, quod nomen

Epiphanius in Sethianis interpretatur ἀνταλλαγήν *Compensationem.* Augustinus lib. 15. de Ciu. Cap. 17. & 18. ἀνάστασιν *Resurrectionem.* Chronicon Alexandrinum θεμέλιον, *Fundamentum.* Hieronymus optimè, & aptisimè θέσιν *Positionem.* Quod significat positum esse hunc, loco Adami, atque Abelis, Doctorem Orbis, ac Magistrum. Accepit autem traditionem à Parente Adamo quidem, sed etiam ab Angelis, à quibus eo tempore homines familiarius edocebantur. Qua de re scribit antiquus auctor, cuius ex Bibliotheca Palatina fragmentum recitat Raderus, animad. v. 11. in Chronicon Alexandrinum. *Anno Sethi* XL. *Adami* CCLXX. *Sethus subitò raptus ab Angelo diebus* XL. *visus non est. Quo tempore diuinitus didicit filios suos Egregoros dictos, quos & filios Dei nominabant, peccaturos; & Orbem vniuersum aquis inundatum iri: venturum etiam salutis Auctorem Christum, atque hæc omnia parentibus Adamo & Euæ exposuit: Ex quo congressu, cœlesti splendore circumfusus cum reliquâ vitâ retinuit, vt Moyses, & quadraginta annis totis, faciem velauit. Hinc primò dictus est Deus.* Quo pacto: hinc primò, si jam ante filios eius vocabant Filios Dei?

II. *Alphabethum.* Hic quoque fertur adinuenisse: Suidas Θεὸν τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, καὶ τὰς τῶν ἀστέρων ὀνομασίας. *Sethum Deum appellabant eius ætatis homines, eo quod Hebraica inuenisset Elementa, & Syderum nomina.* Quid si non totius Alphabethi auctor fuit, sed duarum literarum, quæ id claudunt, quæque sunt eius nominis propriæ שת; nam videri potest Adamus has duas literas omisisse contentus duabus טס, quæ sunt ijs similes. Certè si huius Alphabethi Sethus est auctor, non temerè videtur elementa sic disposuisse, vt extrema duo eius nomen redderent, velut operi subscriberetur nomen Auctoris.

III. *Libri XIV.* Hos illi dederant Sethiani. De quibus Epiphanius, hæresi XXXIX. ἐξ ὀνόματος μὲν Σὴθ ἑπτὰ λέγοντες εἶναι βίβλους, ἄλλας δὲ βίβλους ἑτέρας ἀλλογενεῖς οὕτω καλοῦσι. *Nomine Seth libros septem dicentes esse. Alios quoque externos sic vocant.* Putaui hos alios totidem numero esse, quod si quis non bene diuinasse me credat, expungat. In Gnosticis quoque librorum Seth meminit, quibus ij quoque addicti erant.

IV. *Li-*

IV. *Libri L.* Hos quinquaginta libros ei liberaliter concedunt Mahometani, & quidem è Cœlo ei demissos. Sic enim libro, qui Chronica Saracenorum inscribitur. *Prophetis cœlitùs missi sunt libri* CIV. *quorum quinquaginta dati sunt Setho.*

TITVLVS VIII.

Egregori, seu Filij Dei.

בני אלהים

EGregori, seu Filij Dei, de quibus Geneseos VI. dicitur: *Videntes Filij Dei Filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores.* Qui fuerint, quæritur. Tres sententiæ sunt. Prima Angelos fuisse; vel qui iam è Cœlo decidissent; vel qui, cum hactenus in bonis numerarentur, eo crimine meruerint in malis haberi. Hanc sequuti sunt, post LXX. Interpretes, qui ita verterunt, multi veterum, ex quibus Justinus, Apologia vtrâque, Tertullianus, libro de habitu muliebri, Cyprianus libro de Disciplina, & habitu virgin., Josephus lib. 1. Ant. cap. 4. Philo lib. de Gigantibus. Altera, fuisse filios Sethi, qui ob iustitiam, adinuentionem literarum, aut alia, diceretur Deus. Hanc tuentur Cyrillus lib. 3. in Genesim, & lib. 9. contra Jul., Theodoretus quæst. 47. in Genesim, Cassianus collat. 8. cap. 21., Chrysostomus, hom. 22. in Gen., Augustinus lib. 15. de Ciu., ac præterea magno numero plures. Tertia putat, Filios Dei vocari Potentiorum, ac Procerum filios, nam Hebraicè est אלהים quod Judices, Magistratus, Principes notat; Hanc sententiam Hebræi sequuntur, & latè probat Eugubinus. Ac videtur sanè planior, & facilior. Cur enim Sethus in scriptura vocaretur Deus ἀπλῶς, cùm id nulli alteri concedatur, & fortè sanctiori, & clariori? nec satis esset consuetudine vulgari eum sic esse appellatum, vt Moyses quoq; eam sequi vellet. Iidem autem vocati sunt *Filij Dei*, & *Angeli*, seu *Vigiles*, ex quo Græci Ἐγρήγορες dixere. Filij quidem Dei, vel Deorum, vt vertit Symmachus υἱοὶ Θεῶν, velut præstantes quidam, & colendi. Hinc Fabula Græcorum postea finxit

 hos

hos eosdem παῖδας Ἀλωέως *Filios Aloei* corrupto vocabulo ab *Eloa*, quod Hebraicè Deum significat. Unde calumniam Celsi reijcias, qui, vt lib. 4. Apologiæ scribit Origenes, dicebat Moysen scripsisse de Gigantibus, διαφθείραντα τὰ περὶ τῶν Ἀλωέως υἱῶν *Corruptis ijs, quę de filijs Aloei scripta erant.* Nam ipsa vox, vti dicebamus, ostendit, rem esse Hebraicam, corruptores Græcos. Angeli quoque, & Egregori sunt vocati. Quare libri Henoch de ijs scripti, nomen obtinent: περὶ Ἐγρηγόρων *De Egregoris.* Et Sibylla etiam, ac plures veterum eo nomine vtuntur. Angeli enim vocantur Egregori. Idque Clementis Pædagogo constat lib. 11. μακάριοι οἱ Ἐγρηγορότες εἰς αὐτόν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες Ἀγγέλοις οὓς Ἐγρηγόρους καλοῦμεν. *Beati qui vigilant ad ipsum, se ipsos similes reddentes Angelis, quos Egregoros, seu Vigiles vocamus.* Ac multò ante, Danielis iv. non semel *Sanctus, & Vigil* vocatur Angelus. Et fortè Chaldæi sic vocabant. Primùm enim ex ore Chaldæi Regis auditur, deinde eius verba iterans Daniel, idem repetit. Homines quoque illos sic vocatos opinamur ob ingenium excitatum, & acre; ac vigilem curam, & in obseruatione Cœlestium rerum, ac motuum perspicaciam, Astronomiam enim excoluisse dicuntur. Vel certè ob corporis molem, è terra excitatam, quare sacræ literæ, vt eorum arrogantiam deprimerent, vocant eos voce contraria נפילים *Nephilim* id est cadentes. Ac vide, ne Græcum nomen *Heros* Ἥρως sit ex hoc Hebraico *Hir*, vel *Her.* Certè primi Heroes fuere, quos Deorum, atque Hominum filios fabulantur. His igitur tribuunt

שני עמודים Columnas duas

אבני חרש Laterculos

מלאכות רעות Malas artes.

I. *Columnæ duæ*, à filijs Seth excitatæ, atque insculptæ Scientiarum omnium principijs, inuentisque salutaribus celebres sunt ex Iosepho lib. 1. Ant. cap. 11. *Quoniam erant bona indole prædití, sýderalem scientiam excogitauerunt, & cœlestium* re-

rerum cognitionem; ne autem inuenta sua ex hominum memoria dilaberentur, & priùs perirent, quàm pernoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum prænunciasse, vnum diluuio, alterum incendio; excitatis duabus columnis, lateritiâ, & lapideâ, vtrique sua inuenta inscripserunt, vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea hominibus discendi copiam faceret. Aiunt enim lapideam illam ab ijs positam, quę & nostris temporibus extat in Terra Syria. Hæc igitur Egregori, seu Filij Dei, eo tempore scripsere, quo non dum aliena coniugia inuaserant, nec sancta maiorum instituta corruperant.

II. *Laterculi* inscripti syderum obseruationibus multò ante diluuium, de quibus egimus in Adamo, his adscribuntur auctoribus, quos idcirco Egregoros, id est Vigiles vocabant, quòd sidera intentis oculis semper inspicerent; è quibus Gymnosophistarum apud Indos, & Atlantum in Libya sapientia manauit.

III. *Malæ Artes*, ijsdem tribuuntur. Henochi liber primis de Egregoris rem fusiùs narrat, quamquam Angelos putat, non homines: & aperta est fabula; tamen hic nomina auctorum, & artium ab ijs repertarum annotabimus.

Erael. Arma fabricare, & metalla tractare, & parare mundum muliebrem.

Semixes. Mentis statum immutare viribus herbarum, atque radicum.

Pharmaxas. Venena, Incantationes, earumque oppositas solutiones.

Balchiel. Astroscopiam, id est nouam syderum obseruationem.

Chababiel. Astrologiam, id est Genethliacam.

Zachiel. Aeroscopiam, id est aërearum impressionum contemplationem.

Arachiel. Signa Terrestria.

Sapsicha. Signa Lunæ.

Hæc omnia, inquit, mulierculas primùm, deinde eos, quos ex ijs suscepere, docuerunt. Consentit his Clemens lib. Strom. *Nonnulli vniuersam Philosophiam, inferiores quasdam potestates inspi-*

inspirasse existimant. Quo trahebant illud Christi. *Omnes, qui ante me venerunt, fures sunt, & latrones.* Quod Clemens ad Philosophos trahit.

TITVLVS IX.

Oannes.

Oannis admirabilis est, ac portentosa narratio, quam non possum aliter meliùs, quàm verbis ipsis Alexandri Polyhistoris narrare, quem refert Eusebius lib. 1. Omnimodæ Historiæ. Is enim ex primo libro Berosi de rebus Chaldaicis ita refert: *Anno primo* (corrigit autem hunc Apollodorus, sub Regno Ammenonis Regis Chaldæi, Saro quadragesimo iam exacto eorum imperij, factum dicens) *apparuisse ex mari Erythræo iuxta littus Babyloni finitimum Animal mentis expers, nomine Oannem, quod totum quidem corpus haberet piscis, caput autem humanum, capiti piscis subiectum, & pedes similiter humanos, è cauda piscis extantes, vocem quoque humanam: cuius effigiem adhuc seruari. Quod quidem animal de die inter homines ageret, nullos admittens cibos, traderetque hominibus literas, disciplinas, & omnigenam artium peritiam; Vrbium quoque ædificationes, Templorumque excitationes, & legum instituta, & Geometriam docuisse. Nec non serendi, ac fructus colligendi monstrasse rationem. Ac breui, omnia illum tradidisse hominibus, quæ cicurandæ essent vitæ opportuna. Neque ab eo tempore quicquam præterea adinuentum. Occidente vero Sole consueuisse hoc animal subire pelagus, & in alto pernoctare. Esse enim Animal Amphibium, siue Anceps. Postea quoque alia huic similia apparuisse animalia, de quibus in descriptione Regum se scripturum pollicetur, scripsisse vero Oannem.*

De

De Generatione, & Republica.

Περὶ Γενεᾶς, καὶ Πολιτείας.

HOc deerat, vt muti quoque pisces hominum Institutores dicerentur, ac Magistri; vtque prima literarum, ac disciplinarum omnium ad Monstrum tam fœdum, atque horribile referretur inuentio. Si quis autem fuit Oannes ne is sapienter sibi prospexit, qui diluuium mox futurum suspicatus magicis artibus seipsum efformauit in piscem, sed quia alios quoque postea eâdem forma e mari extitisse fabulatur, hos Abydenus ait fuisse quatuor & vocatos Annedotos, quorum tempora quoque adnotat. Nomen Annedotus si ad Hæbraicam originem reuocetur עונה רמל *Respondens sententiam, seu explicans Religionem, seu reddens oracula.* Nos etsi fabulas non amamus, tamen veneratione tantæ vetustatis adducti, non modo nomen Oannis præterire noluimus, sed etiam ex eius libro fragmentum libenter huc transcribimus. Addentes ijs, quæ loco indicato Eusebius narrat, hos monstruosos homines videri fuisse è filijs Dei, quos vocabant, seu Gigantibus, Magis, atque Impostoribus, nisi fortè, & mali Dæmones fuerunt.

Ἐκ τῶν Ὠάννου

Περὶ Γενεᾶς, καὶ Πολιτείας

Γινέσθαι χρόνον ἐν ᾧ τὸ πᾶν σκότος, καὶ ὕδωρ εἶναι, καὶ ἐν τούτοις ζῷα τερατώδη, καὶ διφυεῖς τὰς ἰδέας ἔχοντα ζωογονεῖσθαι. ἀνθρώπους γὰρ διπτέρους γεγενῆσθαι, ἐνίους δὲ τετραπτέρους, καὶ διπροσώπους, καὶ σῶμα μὲν ἔχοντας ἕν, κεφαλὰς δὲ δύο, ἀνδρείαν τε, καὶ γυναικείαν, καὶ αἰδοῖα τε δισσά, ἄρρεν, καὶ θῆλυ, καὶ ἑτέρους ἀνθρώπους, τοὺς μὲν αἰγῶν σκέλη, καὶ κέρατα ἔχοντας, τοὺς δὲ ἱππόποδας, τοὺς δὲ τὰ ὀπίσω μὲν μέρη ἵππων, τὰ δὲ ἔμπροσθεν ἀνθρώπων, οὓς ἱπποκενταύρους τὴν ἰδέαν εἶναι. Ζωογονηθῆναι δὲ καὶ ταύρους ἀνθρώπων κεφαλὰς ἔχοντας, καὶ κύνας τετρασωμάτους, οὐρὰς ἰχθύος ἐκ τῶν ὄπισθεν μερῶν ἔχοντας, καὶ ἵππους κυνοκεφάλους, καὶ ἀνθρώπους καὶ ἕτερα ζῷα κεφαλὰς μὲν καὶ σώματα ἵππων ἔχοντα, οὐρὰς δὲ ἰχθύων

καὶ ἄλλα ζῶα παντοδαπῶν θηρίων μορφὴν ἔχοντα. Πρὸς δὲ τούτοις ἰχθύας, καὶ ἑρπετὰ, καὶ ὄφεις, καὶ ἄλλα ζῶα πλείονα θαυμαστὰ, καὶ παρηλλαγμένα τὰς ὄψεις ἀλλήλων ἔχοντα; ὧν καὶ τὰς εἰκόνας ἐν τῷ τοῦ Βήλου ναῷ ἀνακεῖσθαι. Ἄρχειν δὲ τούτων πάντων γυναῖκα, ᾗ ὄνομα: Ὁμόρκα; εἶναι δὲ τοῦτο χαλδαϊστὶ μὲν Θαλάτθ, ἑλληνιστὶ δὲ μεθερμηνεύεσθαι θαλάσση, κατὰ δὲ ἰσόψηφον: Σελήνη. οὕτω δὲ τῆς ὅλων συνεστηκότων ἐπανελθόντα Βῆλον σχίσαι τὴν γυναῖκα μέσην, καὶ τὸ ἥμισυ μὲν αὐτῆς ποιῆσαι γῆν, τὸ δ᾽ ἄλλο, οὐρανὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ζῶα ἀφανίσαι.

Hæc Berosus ex libro Oannis referebat, ex Beroso Alexander Polyhistor, quæ latinè licebit sic reddere.

Ex libro Oannis de Generatione, & Republica.

Tempus fuisse cum omnia essent tenebræ, & aqua, & in his monstruosa animalia, & biformia esse nata. Homines enim extitisse cum binis alis, alios quaternis, & bifrontes, & in uno corpore bicipites, altero vultu marem, altero fœminam referente, verendis quoque masculis, & muliebribus; alios quoque homines partim caprinas coxas, & cornua habentes, partim equinos pedes, aut posteriora quidem membra equorum, priora verò hominum, qui forma Hippocentauros referrent. Natos quoque tauros humano capite, & canes quadrigeminos, caudam piscium postico gerentes, & canum capita habentes equos, & homines, aliaque animalia formâ corporis equina in piscium caudam desinente; nec non alia omnigenæ formæ animalia. Sub hæc, & pisces, & reptilia, & serpentes plures formâ admirabili, & ab inuicem valde diuersâ. Quorum adhuc effigies in Beli templo asseruentur. Horum autem omnium Principem fuisse mulierem nomine Homoream, quod Chaldaicè quidem Thalatth, Grecè verò Thalassa, idest, Mare dicatur, ex literarum verò simili numero, Luna. Vniuerso autem ita constituto Belum emersisse, qui mulierem diuiserit mediam, dimidium quidem cœlum, dimidium verò Terram faciens; & animalia in ea nata de medio tollens.

Tit.

TITVLVS X.

Thoyth.

THoyt ante Cataclyſmum ſapientiâ clarus, & Scriptorum monumentis celeberrimus traditur à Manethone Ægyptio, de quo Euſebij primò Hiſtoriæ omnimodæ locum afferemus: Ἐκ τῶν τοῦ Μανεθῶ, ὃς ἐπὶ Πτολεμαίου φιλαδέλφου Ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων χρηματίσας, ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν ἱερᾷ, φησί, διαλέκτῳ, καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι χαρακτηρισμένων ὑπὸ Θώυθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτου εἰς τὴν ἑλληνίδα φωνήν, γράμμασι ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ ἀγαθοδαίμονος τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ, πατρὸς δὲ τοῦ Τὰτ ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων.

EX libris Manethonis. Qui, ſub Ptolomæo Philadelpho Pontifex cùm eſſet ſuperſtitionis Ægyptiacæ, ex columnis, quæ in Terra Seriadica poſitæ ſunt, quæ ſacrâ, vt ait, linguâ, & literis Hieroglyphicis ſignatæ ſunt à *Thoyth* primo Mercurio, & poſt Cataclyſmum è ſacra lingua in Græcum ſermonem literis quoque Hieroglyphicis verſæ ſunt, & in libros relatæ à Bono Dæmone, Hermete ſecundo, patre *Tat*, in arcanis ſacrorum Ægyptiorum inuenit. Quæritur, quæ ſit Seriadica Terra, in qua *Thoyth* columnas excitarit, inſcriptas ſacrâ linguâ, literis verò Hieroglyphicis? Et videtur Serica Tellus intelligi poſſe; nam primos homines eas regiones incoluiſſe credibile eſt. Aut fortè Syriacam legi mauoles, & columnas haſce non alias putabis ab ijs, quas ſcripſerint filij Seth, quas Joſephus in Syria fuiſſe dicit. Verùm illæ ſcientias continebant, hæ tantùm Ægyptiacorum Regum hiſtorias, ſi tamen hoc potiùs, quàm vana figmenta dicendæ ſunt Dynaſtiæ illæ commentitiæ. Certè cum *Thoyth* Ægyptijs ſit ipſius Dei nomen, & Seth vocatus ſit Deus, nihil prohibet fabulam hanc poſterioris Hermetis ex vera *Sethi* hiſtoria ortum

ducere, & *Sethum* ipsum, qui Chaldaicè *Theth* vocatur, ab Ægyptijs vocari *Thoyth*.

TITVLVS XI.

Enos.

אנוש

ENos inter filios Seth singulari & sapientia, & pietate enituit. 4. Genescos capite traditur cœpisse primus inuocare nomen Domini; Quod quidam ad peculiares hymnos ab eo cōpositos pertinere arbitrantur, alij ad Kabbalam, quæ tota Diuinis nominibus constat, quod minimè credo. Marianus Scotus nominis affinitate deceptus huic tribuit id, quod in canonica epistola ex Henoch citatur. Genebrardus de eo sic: *scripsisse fertur de religione, & modo inuocandi, item de disciplinis.* Nec silentio præteribo fieri posse, vt nomen illud barbarum *Oannes* ducatur ex *Enos*, quem ideò quod facilè sapientiæ vastum pelagus tranaret, piscem fabulati sint.

TITVLVS XII.

Cainan.

קינן

CAinan Adami pronepos primus, & Regnum obtinuisse, & simul Magistri, ac Doctoris inter homines nomen vsurpasse, apud Hebræos constanti fama, ac traditione creditur. De eo sic liber Iustorum, qui suppositus pro antiquo Sacram Historiam ex Hebræorum traditionibus refert. *Fuit Kainan sapientis-*

si-

simus, & omni scientia pollens, & sapientia sua etiam in Angelos purtores exercuit. Principatum, & assecutus est sapientia sua, vt sciret fore, vt Deus perderet genus humanum ex terra, & omnes diluuij aquis perirent. Quare omnia illa, quæ tempore diluuij euentura essent, scripsit in duabus tabulis lapideis, & eas intulit in thesauros suos. Et R. Abraham Zachuth in libro Iuchasin, seu Genealogiarum, initio scribit, auctorem quoque laudans Iosephum Gorionidem lib. 11. cap. 11. Alexandrum Magnum cùm ad quandam Insulam deuenisset, hæc ab Incolis audiisse. *En in medio huius Insulæ sepultus est Rex antiquus nomine Kainan, filius Canos, qui ante diluuium fuit, regnauitque in totum orbem, eratque vir hic sapiens, & gnarus omnium scientiarum, & imperabat spiritibus, dæmonibus, & laruis, & sapientia sua intellexit à Deo immittendum esse diluuium, & scripsit id quod euenturum erat in duabus tabulis lapideis, & ecce ipse cum illo iacent, & scriptura earum Hebraica est. Quin & in eadem scriptura scriptum est, Oceanum in diebus ipsius tertiam partem Orbis inundatione mersisse.* Hæc tanquam ab insulanis Alexandro dicta referunt. Addit verò R. Abraham illius inundationis, quæ tempore Kainan acciderit, in Hæbræorum antiquis Commentarijs non vno loco fieri mentionem, præsertim verò in *Berescith Rabba* in fine sectionis 23. Hæc de Kainan, Cui, vt vides, tribuuntur.

שני לוחות האבן Duæ tabulæ lapideæ.

TITVLVS XIII.

Academia Prima sub Henoch.

שיבה שלחנוך

HEnoch non modò Scriptor, sed & publicus, ac celeberrimus Institutor, ac Magister humani Generis fuisse dici-

tur. Nam quod Pater inchoauerat, in eo perfectum est, ac sapientiæ studia sub eo primum inter homines florere cœperunt. Nomen ipsum Henoch Hebraicè Institutorem, & Doctorem sonat; vt quia non temerè prisci nomina imponebant, hoc quoque non frustra positum credatur. De hoc igitur, quid Hebræi scribant, referam. Liber Iustorum, quem citaui paulò antè, sic scribit: *Oranti Enoch Diuinum Oraculum ad aures venit, quo iussus est præesse omnibus hominibus, vt eos doceret, erudiretque: Ille Oraculo excitatus, & profectus ad filios Adam, cœpit eos docere, & congregati sunt ad eum ferè omnes filij Adam, quos disciplinis imbuebat; ex quo vox promulgata est, atque inter homines percrebuit, vt quicumque vellet equi, veri que præcepta discere, veniret ad Henoch.* Sanè fuisse Henoch celeberrimum Concionatorem, & Institutorem populorum, in sacris literis indicari videtur, dum Ecclesiastici xl iv. dicitur ideò translatus in Paradisum, vt aliquando, *Det gentibus pœnitentiam*, tanquam totius æui Concionator eloquentissimus ex omnibus hominibus electus, qui, temporibus illis difficillimis, Religionis, ac pietatis causã sustineat: Quin Eupolemus peruetustus Scriptor Henochi meminit, cuius verba apud Alexandrum Polyhistorem in commentarijs rerum Iudaicarum relata recitat Eusebius lib. 9. de Præp. cap. 4. *Abraham, inquit, se Theologiam non inuenisse, sed ab Henocho per successionem sibi traditam fatebatur.* Quod verò potiùs ab Henocho, quàm ab Adamo, satis apparet, Henochum fuisse primum, qui sacras disciplinas publicè, atque ex arte tradiderit; nam priuata Traditio altiùs pertinebat. Idem verò Eusebius ex ijs memorat, Henochum fuisse, qui Atlas dictus est, velut sublimi vertice mentis cœlum sustinens.

Sed quia locus Ecclesiastici, quem attuli, Græcè sic habet ὑπόδειγμα μετανοίας *Exemplum pœnitentiæ*, scilicet Henoch fuisse temporibus quoque suis exemplum pœnitentiæ; quidam inde occasionem nacti dixerunt, Henochum aliquando vitijs deditum, ad extremum resipuisse, ita Procopius in cap. v. Geneseos, quin Hieronymus Oleaster in commentario scribit, fortè diutiùs eum nequiter vixisse, quàm postea bene vixerit. Quod, quia nonnullis de-

ni-

nihilo fictum à Procopio, & Oleastro videtur, ideò volui tum locum Ecclesiastici adnotare, ex quo id forte desumpserint, tum etiam addere hanc Hebræorum esse opinionem, qui ea verba: *Et ambulauit Enoch coram Deo*, vbi Hebraicè est ויתהלך *& deambulauit*, explicant de dissimili vitæ genere, vt quemadmodum qui deambulant, accedunt, ac recedunt, ita Henoch vitæ genus incostans, & varium duxerit. *Berescith Rabba* in hunc locum *R. Ebo.* dixit, *Enoch modò improbus fuit, modò iustus*, verùm Henoch perpetuò iustitiam coluisse dicitur ab auctore libri sapientiæ cap. 4. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius; fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia, ideò properauit educere illum de medio iniquitatis.* Quæ verba tum loci series, tum clariorum Interpretum explicatio, cogunt de Henocho dicta accipere. Tribuuntur Henocho à varijs hi libri.

נבואה Prophetia

על תכונה De Astronomia

דבריהימים Historia

כפר העירים De Egregoris.

I. PRophetiam citat Apostolus Iudas in Epistola Catholica, his verbis: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ, λέγων, Ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐλέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν, περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ᾽ αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς.

Pro-

P*Rophetauit autem & de his septimus ab Adam Henoch dicens, Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes; & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.* Quibus habemus Henoch, & Prophetam fuisse, & scripsisse, & quæ scripsit fuisse vaticinia fide digna; non enim citaret Apostolus nisi fide dignum Prophetam. Quæritur autem cur nunquam in Canone Hebraico fuerint eius libri. Respondet Sanctus Augustinus lib. 18. de Ciu. c. 38. eius scripta, vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas. Ex hac Prophetia depromptum arbitror id, quod ex Henoch citatur à Tertulliano libro de Idololatria. *Iuro vobis peccatores, quòd in diem sanguinis perditionis pœnitentia parata est, qui seruitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & lapideas, & fictiles, & seruitis Phantasmatibus, & Dæmonibus, & spiritibus infamibus, & cunctis erroribus non secundum scientiam: nullum ab eis consequimini auxilium.*

II. D*E Astronomia* quoque dicitur scripsisse. Origenes Homil. 28. in Numeros scribit. *De nominibus stellarum plurima in libellis, qui vocantur Henoch, secreta continentur, & arcana, sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, ea, quæ ibi nominantur, in exemplum afferre differimus.* An verò idem liber esset *Prophetia*, de qua dictũ est atq; hic, vbi de Stellis agitur, non explicat Origenes, & potuit alius esse; nam fortè, quem citat Iudas, liber erat sanctior, & grauior, in quo de stellis eiusmodi arcana, & proculdubio vana non essent, quanquam idem Origenes t. 6. in Ioannem citat librum Henoch velut singularem: *In Henoch scriptum est, si modò quispiam vt sanctum librum velit probare.* Supererant, Origenis tempore, apud Hebræos libri Henoch: Latinos quoque vidit Augustinus, & Græcos Georgius Syncellus; Hebræi, se quicquam eius habere, interrogati negant. R. Ghedolias in Catena Traditionis, vbi res exteras tantùm adnotat, ita scribit: *Henoch, dicunt Gentiles* גוים (sic illi Christianos vocant) *prophetasse, & scripsisse aliquot libros*

de rebus diuinis, qui tamen non recipiuntur in ipsorum religione, & fuisse primum, qui scripserit in scientia Astronomica. Et quia solet passim Augustinum citare, cum Christianis aliquid adscribit, puto eum respexisse locum lib. 15. de Ciu. cap. 23. quo sic ait Augustinus: *Scripsisse quidem nonnulla Diuina Henoch negare non possumus, sed non sunt in canone Scripturarum.* Verum Zohar antiquus liber Generat. Adam. ita scribens. הָהא כמה ספרין אינון ספרא דרב המנוא סבא ספרא דרבי כרוספראי ספרא דחנוך נער. *Ecce multi sunt libri: Liber Rau Hamenuna Saba, liber R. Cruspadai, & liber Henoc Pueri.* Sensus est Moysem ideò δεικτικῶς dixisse, *Hic est liber Generationis Adam*, vt librum hunc ab alijs secerneret, qui idem argumentum tractant, quales sunt hi duo, quos citat R. Hamenuna, & R. Cruspadai, ille Babylonius, hic Hierosolymitanus, atque hi duo è recentioribus. Ex antiquis verò liber Henoch Pueri. Deindè quærit, quare Henoch vocetur cognomine *Puer?* Respondet: *Hic est mysterium, quod* (Jobi. xxxvi. u. 27.) *dicitur, & reuertetur ad dies pueritiæ suæ: & qualis fuit hic superiùs, talis inferiùs fuit ille, de quo dictum est* (Gen. 36. n. 2.) *Et ipse Puerulus inter filios Balæ* (idest *Ioseph*) *& accusauit fratres suos crimine pessimo. Quod est crimen pessimum? nempe quod essent è germine Trunci illorum, qui aliquando dixerunt* (Psalm. 8. n. 4.) *Quid est Enos, siue Homo, quia memor es eius? minuisti eum paulò minus ab Angelis. Minutus paulò minus ab Angelis dicitur Enos, quia Deus dedit illi omnia arcana cœli, & claues omnes eius dedit in manus ipsius, omnium denique Præsidem eum constituit, non secùs ac Iosephum Pharao, cui dixit* (Gen. xli. n. 40.) *Solo Regni solio te maior ero. Dixerunt illi Magistro hæc docenti.* H. *Qui sic obmurmurarunt fuerunt Aza, & Azel* (*Duo Dæmonum præfecti, auctores corruptionis humanæ ante diluuium*) *Respondit: alij quoque cum illis erant: Dixit illis R. Eliezer* (*dicebat*) *Deus non condidit hominem nisi consilio conuocato cœlestis exercitus, cum dixit: Faciamus hominem, vt sic doceret urbanitatem filios mulierum,*

vt

vt non dedignarentur petere consilium minores à maioribus; verùm non hoc tantùm hic latet. Sed fecit Deus perinde atque Rex, qui,cùm velit Præfecto alicui munus elargiri, interrogat exercitum suum, & quid aduersus eum habeant querelam. Sic Deus conditurus hominem, Ecce, dixit, ego hunc statuam rerum Dominam, & ponam super eum nomen meum, & sigillum meum in manu eius. Angeli, qui stabant a dextris laudarunt illum, & dixerunt: obediemus, & faciemus. Exodi 24. n. 6. *iuxta illud, Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius* (Psal. c. 111.) *Ex his erat Mittatron, cuius respondet Ioseph inferius. Erant autem alij, qui inuidebant, atque hi dixerunt; Quid est homo, quia memor es eius, atque hæc est Criminatio, quam contra eos habuit Ioseph.* Hæc relata sunt longius, vt ignoti, ac difficillimi gustum aliquem daremus auctoris. Sensus est, Henoch fuisse suâ ætate, quod fuit Joseph suâ, & multos ei inuidisse. Iuuenem autem eum vocari, propterea quod ad vitam immortalem raptus æternam agat adolescentiam: & fortè huc respexit Sapiens, dum ait: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius; ideo properauit illum educere de medio iniquitatis*, tanquam si puer sit raptus. I nunc, fallax Græcia, mentire Ganymedem puerum ab Ioue raptum, duxisse Heben, idest, Iuuentutem, & vrnam in Zodiaco tenere. Corrigimus vestra deliria, Henoch puer in cœlum raptus est non ab Joue, sed à Deo, quem Ioua quidam ex Hebræis apicibus vocant: præsidet vrnæ, scilicet pænitentiæ suasor, & nuncius, ac præco diuuij.

III. HIstoriæ, Annius Commentario in suum Berosum sic scribit. *Adam scripsit primus ex reuelatione de sui, & Mundi Creatione, & tenuit historiam gestorum vsque ad Henoch, cui persequendam reliquit Lamech.*

Non memini me alibi de hac Henochi historia legere, nisi quòd libri de Egregoris nil aliud erant quàm historia rerum, quę in orbe terrarum accidissent, sed quia liber Zohar cõparat librum Henoch libris Generationis Adami, & Rau Hamenuna, & R. Cruspadai, suademur credere tale aliquod Henochi opus olim extitisse.

IV. Li-

IV. **L**ibri de *Egregoris*, quos Henoch scripsisse dicitur Græcè, extabant tempore Georgij Syncelli, ex quo hoc insigne fragmentum habe, Lector. Hi porrò videntur libri esse, quos citans Tertullianus de habitu muliebri, in ijs doceri ait, omnia, quæ ad cultum muliebrem pertinent, & pretiosiora metalla elaboranda ab Angelis peccatoribus esse adinuenta. Quin & Origenes hos libros citat quintô contra Celsum. Quinam verò sint libri Henoch, quos apud *Æthiopes in Regno Reginæ Sabæ extare Abyssinâ linguâ*, quibus tradantur Dei mandata, leges, ceremoniæque aliquot de sacerdotio, sacrificijs, alioque Diuino cultu, iuxta quas Noë hostias obtulerit de animalibus mundis, non immundis, Melchisedech libamenta, & panes propositionis, vulgò vota, & primitias Abraham, & decimas, scribit Genebrardus, ignoro. Fragmentum verò illorum est hoc:

Ἐκ τοῦ πρώτου Βιβλίου Ἐνὼχ
περὶ τῶν Ἐγρηγόρων.

Καὶ ἐγένετο, ὅτι ἐπληθύνθησαν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐγεννήθησαν αὐτοῖς θυγατέρες ὡραῖαι. καὶ ἐπεθύμησαν αὐτὰς οἱ Ἐγρήγοροι, καὶ ἀπεπλανήθησαν ὀπίσω αὐτῶν, καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους: ἐκλεξώμεθα ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς. καὶ εἶπεν Σιμαξῆς ὁ ἄρχων αὐτῶν πρὸς αὐτούς: φοβοῦμαι μὴ οὐ θελήσητε ποιῆσαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, καὶ ἔσομαι ἐγὼ μόνος ὀφειλέτης ἁμαρτίας μεγάλης; καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ πάντες, καὶ εἶπον: ὀμόσωμεν ἅπαντες ὅρκῳ, καὶ ἀναθεματίσωμεν ἀλλήλους τοῦ μὴ ἀποστρέψαι τὴν γνώμην ταύτην μέχρις οὗ ἀποτελέσωμεν αὐτήν. Τότε πάντες ὤμοσαν ὁμοῦ, καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους. ἦσαν δὲ οὗτοι σ̄ οἱ καταβάντες ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰάρεδ εἰς κορυφὴν τοῦ Ἑρμονιεὶμ ὄρους, καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄρος Ἑρμὼν, καθότι ὤμοσαν, καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ, καὶ πάντα τὰ ὀνόματα τῶν ἀρχόντων αὐτῶν.

α Σεμιαζᾶς, ὁ ἄρχων αὐτῶν	η Ζακιήλ	ιε Σαμιήλ
β Ἀταρκούφ	θ Βαλκιήλ	ις Σαρινᾶς
γ Ἀρακιήλ	ι Ἀζαλζήλ	ιζ Εὐμιήλ
δ Χαβαβιήλ	ια Φαρμαρός	ιη Τυριήλ
ε Ὀραμμαμή	ιβ Ἀμαριήλ	ιθ Τουμιήλ
ς Ῥαμιήλ	ιγ Ἀναγημάς	κ Σαριήλ
ζ Σαμψίχ	ιδ Θαυσαήλ	

ΟΥτοι, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἐν τῷ ͵αφο' ἔτει τοῦ κόσμου ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, καὶ ἤρξαντο μιαίνεσθαι ἐν αὐταῖς ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ ἔτεκον αὐτοῖς γένη τρία: πρῶτον Γίγαντας μεγάλους; οἱ δὲ Γίγαντες ἐτέκνωσαν Ναφηλείμ, καὶ τοῖς Ναφηλείμ ἐγεννήθησαν Ἐλιούδ, καὶ ἦσαν αὐξανόμενοι κατὰ μεγαλειότητα αὐτῶν, καὶ ἐδίδαξαν ἑαυτοὺς, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν φαρμακείας, καὶ ἐπαοιδίας. Πρῶτος Ἀζαλζήλ, ὁ δέκατος Ἀρχόντων, ἐδίδαξε ποιεῖν μαχαίρας, καὶ θώρακας, καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς, καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσωνται, καὶ ποιήσωσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν, καὶ τὸν ἄργυρον. Ἐδίδαξεν δὲ αὐτοὺς, καὶ τὸ στίλβειν, καὶ τὸ καλλωπίζειν, καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς λίθους, καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν, καὶ παρέβησαν, καὶ ἐπλάνησαν τοὺς ἁγίους.

Καὶ ἐγένετο ἀσέβεια πολλὴ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἠφάνισαν τὰς ὁδοὺς αὐτῶν. Ἔτι δὲ καὶ ὁ πρώταρχος αὐτῶν Σεμιαζᾶς ἐδίδαξε εἶναι ὀργὰς κατὰ τοῦ νοός, καὶ ῥίζας βοτανῶν τῆς γῆς. Ὁ δὲ Φαρμαρὸς ἐδίδαξε φαρμακείας ἐπαοιδίας, σοφίας, καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια: ὁ θ ἐδίδαξεν ἀστροσκοπίαν; ὁ δ ἐδίδαξεν ἀστρολογίαν: ὁ δὲ η ἐδίδαξεν ἀεροσκοπίαν; ὁ δὲ τρίτος ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς γῆς; ὁ δὲ ζ ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς Σελήνης. Πάντες οὗτοι ἤρξαντο ἀνακαλύπτειν τὰ μυστήρια ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν, καὶ ταῖς τέκνοις αὐτῶν. Μετὰ δὲ ταῦτα ἤρξαντο οἱ Γίγαντες κατεσθίειν τὰς σάρκας τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι ἐλαττοῦσθαι ἐπὶ τῆς γῆς. Οἱ δὲ λοιποὶ ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανὸν περὶ τῆς κακώσεως αὐτῶν, λέγοντες εἰσενεχθῆναι τὸ μνημόσυνον αὐτῶν ἐνώπιον Κυρίου. Καὶ ἀκούσαντες οἱ δ μεγάλοι Ἀρχάγγελοι, Μιχαὴλ

καὶ

καὶ Ῥαφαὴλ, καὶ Γαβριὴλ, καὶ Οὐριὴλ παρέκυψαν ἐπὶ τὴν γῆν ἐκ τῶν ἁγίων τοῦ οὐρανοῦ, καὶ θεασάμενοι αἷμα πολὺ ἐκκεχυμένον ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πᾶσαν ἀσέβειαν, καὶ ἀνομίαν γινομένην ἐπ᾽ αὐτῆς, εἰσελθόντες εἶπον πρὸς ἀλλήλους, ὅτι τὰ πνεύματα, καὶ ψυχαὶ τῶν ἀνθρώπων στενάζουσιν ἐντυγχάνοντα, καὶ λέγοντα, ὅτι εἰσαγάγετε τὴν δέησιν ἡμῶν πρὸς τὸν ὕψιστον, καὶ τὴν ἀπώλειαν ἡμῶν. Καὶ εἰσελθόντες οἱ τέσσαρες Ἀρχάγγελοι εἶπον τῷ κυρίῳ: Σὺ εἶ θεὸς τῶν θεῶν, καὶ κύριος τῶν κυρίων, καὶ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ θεὸς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ θρόνος τῆς δόξης σου εἰς πάσας τὰς γενεὰς τῶν αἰώνων, καὶ τὸ ὄνομά σου ἅγιον, καὶ εὐλογημένον εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ποιήσας τὰ πάντα, καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων, καὶ πάντα ἐνώπιόν σου φανερὰ, καὶ ἀκάλυπτα, καὶ πάντα ὁρᾷς ὅσα ἐποίησεν Ἀζαὴλ, ὅσα εἰσήνεγκεν, καὶ ὅσα ἐδίδαξεν ἀδικίας, καὶ ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα δόλον ἐπὶ τῆς ξηρᾶς. Ἐδίδαξε γὰρ τὰ μυστήρια, καὶ ἀπεκάλυψε τῷ αἰῶνι τὰ ἐν οὐρανῷ, ἐπιτηδεύουσι δὲ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ, εἰδέναι τὰ μυστήρια. Οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ Σεμιαζᾷ τὴν ἐξουσίαν ἔδωκας ἔχειν τῶν σὺν ἑαυτῷ ἅμα ὄντων, καὶ ἐπορεύθησαν πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς, καὶ συνεκοιμήθησαν μετ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐν ταῖς θηλείαις ἐμιάνθησαν, καὶ ἐδήλωσαν αὐταῖς πάσας τὰς ἁμαρτίας, καὶ ἐδίδαξαν αὐτὰς μίσητρα ποιεῖν. Καὶ νῦν ἰδοὺ αἱ θυγατέρες τῶν ἀνθρώπων ἔτεκον ἐξ αὐτῶν υἱοὺς γίγαντας. Κίβδηλα ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἀνθρώπων ἐκκέχυται, καὶ ὅλη ἡ γῆ ἐπλήσθη ἀδικίας, καὶ νῦν ἰδοὺ τὰ πνεύματα τῶν ψυχῶν τῶν ἀνθρώπων ἀποθανόντων ἐντυγχάνουσι, καὶ μέχρι τῶν πυλῶν τοῦ οὐρανοῦ ἀνέβη ὁ στεναγμὸς αὐτῶν, καὶ οὐ δύναται ἐξελθεῖν ἀπὸ προσώπου τῶν ἐπὶ τῆς γῆς γινομένων ἀδικημάτων, καὶ σὺ αὐτὰ οἶδας πρὸ τοῦ αὐτὰ γενέσθαι. Καὶ ὁρᾷς αὐτοὺς, καὶ ἐᾷς αὐτοὺς, καὶ οὐδὲν λέγεις· τί δεῖ ποιῆσαι αὐτοὺς περὶ τούτου. Τότε ὁ ὕψιστος εἶπεν, καὶ ὁ ἅγιος, ὁ μέγας ἐλάλησε, καὶ ἔπεμψε τὸν Οὐριὴλ πρὸς τὸν υἱὸν Λάμεχ, λέγων: Πορεύου πρὸς τὸν Νῶε, καὶ εἶπον αὐτῷ, τῷ ἐμῷ ὀνόματι: Κρύψον σεαυτὸν, καὶ δήλωσον αὐτῷ τέλος ἐπερχόμενον, ὅτι ἡ γῆ ἀπόλλυται πᾶσα, καὶ εἰπὸν αὐτῷ ὅτι κατακλυσμὸς μέλλει γενέσθαι πάσης τῆς γῆς, ἀπολέσαι πάντα ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς. Δίδαξον τὸν δίκαιον, τί ποιήσει, τὸν υἱὸν Λάμεχ, καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ζωὴν συντηρήσει, καὶ ἐκφεύξεται δι᾽ αἰῶνος, καὶ ἐξ αὐτοῦ φυτευθήσεται φύτευμα, καὶ σταθήσεται εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος. Καὶ τῷ Ῥαφαὴλ εἶπε· Πορεύου Ῥα-

φαὴλ, καὶ δῆσον τὸν Ἀζαλζὴλ, χερσὶ καὶ ποσὶ, συμπόδισον αὐτὸν, καὶ ἔκβαλλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος, καὶ ἄνοιξον τὴν ἔρημον, τὴν οὖσαν ἐν τῇ ἐρήμῳ Δοδοὴλ, καὶ ἐκεῖ πορευθεὶς βάλε αὐτὸν, καὶ ὑπόθες αὐτῷ λίθους ὀξεῖς, καὶ λίθους τραχεῖς, καὶ ἐπικάλυψον αὐτῷ σκότος, καὶ οἰκησάτω ἐκεῖ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ πώμασον, καὶ φῶς μὴ θεωρείτω, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως ἀπαχθήσεται εἰς τὸν ἐμπυρισμὸν τοῦ πυρός. καὶ ἴασαι τὴν γῆν ἣν ἠφάνισαν οἱ Ἐγρήγοροι, καὶ τὴν ἴασιν τῆς γῆς δήλωσον, ἵνα ἰάσωνται τὴν πληγὴν, καὶ μὴ ἀπόλωνται πάντες οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων ἐν τῷ μυστηρίῳ, ὃ εἶπον οἱ Ἐγρήγοροι, καὶ ἐδίδαξαν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, καὶ ἠρημώθη πᾶσα ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις τῆς διδασκαλίας Ἀζαλζήλ. Καὶ ἐπ' αὐτῇ γράψον πάσας τὰς ἁμαρτίας. Καὶ πρὸς τὸν Γαβριὴλ εἶπεν: πορεύου Γαβριὴλ ἐπὶ τοὺς Γίγαντας, ἐπὶ τοὺς κιβδήλους, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς πορνείας, καὶ ἀπόλεσον τοὺς υἱοὺς τῶν Ἐγρηγόρων ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. Πέμψον αὐτοὺς εἰς ἀλλήλους ἐξ αὐτῶν εἰς αὐτοὺς, ἐν πολέμῳ, ἐν ἀπωλείᾳ, καὶ μακρότης ἡμερῶν, καὶ πᾶσα ἐρώτησις οὐκ ἔστι τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ὅτι ἐλπίζουσι ζῆσαι ζωὴν αἰώνιον, καὶ ὅτι ζήσεται ἕκαστος αὐτῶν, ἔτη φ'. Καὶ πρὸς τὸν Μιχαήλ: Δῆσον Σιμαζᾶν, καὶ τοὺς ἄλλους σὺν αὐτῷ συμμιγέντας ταῖς θυγατράσι τῶν ἀνθρώπων, τοῦ μιανθῆναι ἐν αὐταῖς ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ αὐτῶν, καὶ ὅταν κατασφαγῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν, καὶ ἴδωσι τὴν ἀπώλειαν τῶν ἀγαπητῶν αὐτῶν: δῆσον αὐτοὺς ἐπὶ ο' γενεὰς εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς μέχρι ἡμέρας τῆς κρίσεως αὐτῶν, μέχρι ἡμέρας τελειώσεως τελεσμοῦ, ἕως συντελεσθῇ κρίμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. Τότε ἀπενεχθήσονται εἰς τὸ χάος τοῦ πυρὸς, καὶ εἰς τὴν βάσανον, καὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον τῆς συγκλείσεως τοῦ αἰῶνος, καὶ ὃς ἂν κατακριθῇ, καὶ ἀφανισθῇ, ἀπὸ τοῦ νῦν μετ' αὐτῶν, βληθήσονται μέχρι τελειώσεως γενεᾶς αὐτῶν.

Καὶ μεθ' ἕτερα.

Καὶ νῦν οἱ Γίγαντες, οἱ γεννηθέντες ἀπὸ πνευμάτων, καὶ σαρκὸς, πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς καλέσουσιν αὐτοὺς, ὅτι ἡ κατοίκησις αὐτῶν ἔσται ἐπὶ τῆς γῆς; πνεύματα πονηρὰ ἔσονται τὰ πνεύματα ἐξεληλυθότα ἀπὸ τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς αὐτῶν. διότι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐγένοντο, καὶ ἐκ τῶν Ἐγρηγόρων ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως αὐτῶν, καὶ ἀρχὴ

θεμελίου; πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔσονται. Τὰ πνεύματα τῶν Γυγάντων νεμόμενα, ἀδικοῦντα, ἀφανίζοντα, ἐμπίπτοντα, καὶ συμπαλαίοντα, καὶ ῥιπτοῦντα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ δρόμους ποιοῦντα, καὶ μηδὲν ἐσθίοντα, ἀλλὰ ἀσιτοῦντα, καὶ φάσματα ποιοῦντα, καὶ διψῶντα, καὶ προσκόπτοντα, καὶ ἐξαναστήσονται τὰ πνεύματα ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἐξεληλύθασι, καὶ ἀπὸ ἡμέρας καιροῦ σφαγῆς, καὶ ἀπωλείας τοῦ θανάτου τῶν Γυγάντων Νιφιλὶμ, οἱ ἰσχυροὶ τῆς γῆς, οἱ μεγάλοι ὀνομαστοὶ τὰ πνεύματα, τὰ ἐκπορευόμενα ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν, ὡς ἐκ τῆς σαρκὸς ἔσονται ἀφανίζοντα χωρὶς κρίσεως. οὕτως ἀφανίσουσι μέχρι ἡμέρας τῆς τελειώσεως, ἕως τῆς κρίσεως τῆς μεγάλης, ἐν ᾗ ὁ αἰὼν ὁ μέγας ἐφάπαξ ὁμοῦ τελεσθήσεται.

Καὶ αὖθις.

Περὶ δὲ τοῦ ὄρους ἐν ᾧ ὤμοσαν, καὶ ἀνεθεμάτισαν πρὸς τὸν πλησίον αὐτῶν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα οὐ μὴ ἀποστῇ ἀπ' αὐτοῦ ψύχος καὶ πάχνη, καὶ δρόσος οὐ μὴ καταβῇ εἰς αὐτὸ, εἰ μὴ εἰς κατάραν καταβήσεται ἐπ' αὐτὸ, μέχρι ἡμέρας κρίσεως τῆς μεγάλης, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ κατακαυθήσεται, καὶ ταπεινωθήσεται, καὶ ἔσται κατακαιόμενον, καὶ τηκόμενον ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρός. οὕτως κατακαυθήσεται περὶ πάντων τῶν ἔργων αὐτῶν. Καὶ νῦν Ἐγὼ λέγω ὑμῖν υἱοῖς ἀνθρώπων: ὀργὴ μεγάλη καθ' ὑμῶν, καὶ κατὰ τῶν υἱῶν ὑμῶν, καὶ ἀπολοῦνται οἱ ἀγαπητοὶ ὑμῶν ἀπὸ πάσης τῆς γῆς; ὅτι πᾶσαι αἱ ἡμέραι τῆς ζωῆς αὐτῶν ἀπὸ τοῦ νῦν οὐ μὴ ἔσονται πλείω τῶν ρκ' ἐτῶν. Καὶ μὴ δόξητε ἔτι ζῆσαι ἐπὶ πλείονα ἔτη, οὐ γάρ ἐστιν ἐπ' αὐτοῖς πᾶσα ὁδὸς ἐκφεύξεως ἀπὸ τοῦ νῦν, διὰ τὴν ὀργὴν ἣν ὠργίσθη ὑμῖν ὁ βασιλεὺς πάντων τῶν αἰώνων, μὴ νομίσητε ὅτι ἐκφεύξεσθε ταῦτα.

Atque hæc ex Libris de Egregoris:
Quæ Latinè reddita
sic sonant.

Ex Pri-

Ex Primo Libro Henoch, De Egregoris.

ET factum est, postquam multiplicati sunt Filij hominum, natæ sunt ipsis Filiæ pulchræ, & earum cupiditate exarsere Egregori; & post eas errore seducti sunt, & dixerunt ad se mutuo: Eligamus nobis Vxores ex Filjabus hominum ex Terra. Ait autem Semexas eorum Dux ad eos: Vereor ne nolitis postea hoc facinus patrare, & ego solus ero reus delicti magni. Cui responderunt omnes, & dixerunt: Iusiurandum iurabimus omnes, ac Dijs deuouebimus nos mutuò, ne ab hoc proposito auertamur, quousque id perficiamus. Tunc simul omnes iurarunt, & se mutuò Dijs deuouerunt. Erant autem numero CC. qui descenderant in diebus Iared in verticem Montis Hermonijm. Hinc dictus est Mons Hermon à iureiurando, & anathemate, quo se ibi mutuò obstrinxere. Hæc autem nomina sunt Principum eorum.

1. Semexas Prin-	7. Sapsich.	14. Thausael.
ceps eorum.	8. Zaciel.	15. Samiel.
2. Atarcuph.	9. Balciel.	16. Sarinas.
3. Aracriel.	10. Azalzel.	17. Eumiel.
4. Chababiel.	11. Pharmarus.	18. Tyriel.
5. Orammane.	12. Amariel.	19. Iumiel.
6. Ramiel.	13. Anagemas.	20. Sariel.

Hi, ac reliqui omnes anno Mundi MCLXX. acceperunt sibi Vxores, & cœperunt contaminari in eis, vsque ad diluuium, & pepererunt eis tres stirpes, Primam Gygantum Magnorum: è Gygantibus autem nati sunt Nephilim, ex Nephilim Eliud, & augebantur iuxta magnitudinem ipsorum, & docuerunt seipsos, & suas vxores maleficia, & incantationes. Primus Azalzel, decimus Principum, docuit gladios facere, ac thoraces, & omne instrumentum bellicum, & quo pacto metalla Terræ, & aurum elaborarent, & mulierum inde ornamenta facerent, & argentum: edocuerunt eos etiam splendorem addere, & fucare faciem, & gemmas, & fece-

fecerunt hæc sibi filij hominum, & filiabus suis, & aberrarunt, & seduxerunt Sanctos.

Et magna impietas orta est in terra, & vias suas corruperunt. Quin & primus Principum Semexas docuit ad mentem mouendam, vires, & radices herbarum Terræ; & XI. Pharmarus docuit pharmaca, seu venena miscere, incantationes, commenta, ac incantationum solutiones; & IX. docuit Astrorum inspectionem; & IV. Astrologiam, & VIII. Aëris inspectionem; & III. signa Terræ; & VII. signa Lunæ. Hi omnes cœperunt aperire Mysteria vxoribus suis, & liberis. Post hæc Gygantes cœpere vesci carnibus humanis, & hominum numerus minui cœpit in Terra, & reliqui clamarunt in Cœlum ob eorum scelera, petentes, vt eorum recordatio in conspectu eius inferretur; & audientes quatuor magni Archangeli Michael, & Raphael, Gabriel, & Vriel prospexerunt in Terram ex sanctis Cœli; Cumque vidissent plurimum sanguinis effusum super Terram, & omne genus impietatis, & improbitatis super eam fieri, ingressi dixerunt adinuicem; Quia & Spiritus, & Animæ hominum gemunt occurrentes, & dicentes: Inducite precationem nostram ad Altissimum, & perniciem nostram; & cum accessissent quatuor Archangeli, dixerunt Deo: Tu es Deus Deorum, & Dominus Dominorum, & Rex Regnantium, & Deus hominum, & Thronus gloriæ tuæ est in omnes generationes sæculorum, & Nomen tuum sanctum, & benedictum in omnia sæcula; Tu enim es, qui creasti cuncta, & omnem habes potestatem, & omnia sunt manifesta coram Te, & reuelata, & omnia vides, neque est quod Tibi se possit occultare. Vides autē, quæ fecit Azalzel, quæ induxit, & quæ docuit, iniustitias, & peccata super Terram, & omnem dolum super aridā. Docuit quippe mysteria, & manifestauit sæculo, quæ sunt in Cœlo, & ipsius inuenta iam exercent, vt mysteria sciant. Filij hominum dederunt potestatem Semexæ, vt ijs, qui simul cum ipso sunt, præsit, & progressi sunt ad filias hominum Terræ, vt cum ipsis concumberent, & cum mulieribus coinquinati sunt, & ostenderunt eis cuncta peccata; & instituerunt eas facere Pharmaca, quibus odium creatur. Et nunc en filiæ hominum pepererunt ex ipsis Gygantes. Vana diffusa sunt per totum Orbem huma-

humanum, & tota Terra plena est iniustitiæ, & nunc ecce spiritus animarum emortuorum hominum occurrunt, & vsque ad portas Cœli ascendit eorum gemitus, & non potest egredi à facie scelerum, quæ patrantur in Terra. Et Tu ea nosti, antequam fierent, & vides eos, & finis eos, & nihil dicis, quid eos oporteat in ea re præstare. Tunc dixit Altissimus, & locutus est Sanctus, & Magnus, & misit Vrielem ad filium Lamech: dicens, Vade ad Noë, & dic ei meo nomine. Absconde teipsum. Aperi illi finem venturum, quo cuncta peribit Terra, dicque illi futuram eluuionem in vniuersa Terra, quæ omnia perdat à facie Aridæ. Doce iustum illum filium Lamech, quod facto opus, animam suam seruet in vitam, & effugiat per sæculum, & per ipsum plantabitur Plantatio, & firmabitur in omnes generationes sæculi; & Raphaëli dixit: Uade Raphael, liga Azalzelem, & manibus, & pedibus eum impedi, & eijce eum in tenebras, & aperi Eremum, quæ in Eremo est Dodoel, & illùc abiens, proijce ipsum, & subijce ipsi lapides asperos, & operi eum tenebris, vt habitet ibi in sæculum: visum eius obduc, ne videat lumen, & die iudicij abigetur in ignis incendium. Medere autem Terram, quam Egregori corrupere, & ostende quod sit remedium Terræ, vt accepto vulneri mederi possint, ne omnes filij hominum moriantur in Mysterio, quod Egregori dixerunt, & docuerunt filios suos, & deuastata est omnis Terra in operibus doctrinæ Azalzelis, & in ea scribe omnia peccata. Et ad Gabrielem dixit: Vade Gabriel, ad Gygantes, ad vanos, ad filios fornicationis, & perde filios Egregorum à filijs hominum. Immitte eos in semetipsos ex semetipsis in bellum, & in perditionem, nec longitudo dierum, nec vlla petitio concedatur Patribus eorum, quia sperant se victuros æternam vitam, & fore vt eorum singuli viuant annos D. Et ad Michaelem dixit. Vade, Michael, religa Semexam, & alios cum ipso, qui commixti sunt filiabus hominum, vt polluerentur in ipsis in immunditia eorum, & postquam filij eorum necati fuerint, & viderint exitum eorum, quos amant; religa illos ad LXX. generationes ad nemora Terræ, vsque ad diem Judicij eorum, vsque ad diem consummationis perfectionis, quousque absoluatur Judicium sæculi sæculorum. Tunc abigentur in Chaos igneum, & in tor-

tormenta, & in carcerem conclusionis sæculi, & qui damnatus fuerit, & corruptus, ex nunc vnà cum ipsis conijcietur vsque ad consummationem generationis eorum.

Et post alia.

ET nunc Gygantes, qui ex Carne, & Spiritibus geniti sunt, malos Spiritus vocabunt eos in Terra; quia habitatio eorum in Terra est. Spiritus mali erunt, Spiritus egressi è corpore carnis suæ; quia ab hominibus geniti sunt, & ex Egregoris principium creationis ipsorum, & principium fundamenti. Spiritus mali in terra erunt, Spiritus Gygantum depascentes, iniuriam inferentes, corrumpentes, irruentes, colluctantes, & ad terram deijcientes, & cursus peragentes, nihilque comedentes, sed ieiunantes, & efficientes spectra, & sitientes, & impingentes: Et insurgent Spiritus in filios hominum, & mulieres, quia ex ipsis sunt egressi, & à die temporis occasionis exitij, & cladis Gygantum Nephilim, Potentes Terræ, & magni, ac nominati Spiritus, qui ex anima ipsorum egressi sunt, vt ex carne erunt corrumpentes, sine iudicio, ita corrumpent vsque ad diem consummationis, vsque ad Iudicium magnum, in quo magnum sæculum semel perficietur.

Et rursum.

DE Monte verò, in quo iurarunt, seque anathemate strinxerunt alter alteri, ne vnquam in æternum recedat ab eo frigus, & nix, & pruina, numquam autem descendat in eum ros, nisi in maledictionem, vsque ad diem Magni Iudicij; in tempore illo comburetur, & humiliabitur, & erit deficiens, ac tabescens, sicut cera ab igne; sic incendetur circa omnia opera eorum. Et nunc ego dico vobis, Filij hominum: Ira magna contra vos, & contra filios vestros, & peribunt charissimi vestri ab omni terra. Quia omnes dies vitæ ipsorum, ex nunc non erunt plures, quàm centum vigin-

ti anni, neque inducatis in animum vos diutiùs victuros, nam in eo nulla est via effugij ex nunc, ob iracundiam, qua vobis iratus est Rex omnium sæculorum, nolite putare vos hæc euasuros.

TRaditionis Theologicæ Principatum sua ætate obtinuisse Henoch dicitur, eaque est omnium Hebræorum hac de re sentientium opinio. Quin R. Ghedolias in sua Catena Traditionis rem notatu, & admiratione dignam scribit. Cùm enim dixisset, ab ipso Adamum fuisse tumulatum, quò credibile est, eum & adfuisse morienti, & postremas ab omnium Parente faustas apprecationes retulisse, & si quid arcani hactenus reconditum seruabat, ei patefactum; addit Hebraicè hæc verba: וראי יתי במערכת האלהות שהוא כמר דנה יומר גדולה ממשה ואליהו *Quin legi in libro, qui Maarecheth Ha Elohim, idest Comparatio Diuinitatis inscribitur, hunc fuisse in gradu Sapientiæ altiorem, quàm Moyses, & Elias.* Quod notatu quoque dignum æstimo, ob sacrilegum os quorumdam Hebræorum, qui Moysi Christum anteferri ægrè ferunt, cui tamen hunc anteferunt. Ergo Henoch ab Adamo diuinitùs acceptæ sapientiæ traditione ditatus, eam transmisisit ad posteros, vt quamquam longo interuallo ab eo distaret Abrahamus, tamen ei quicquid in Theologia sciret, acceptum referret, vti ex Alexandro Polyhistore nuper afferebam. Singulariter autem ei temporum scientiam, ex Adamo haustam, tribuunt, qua de re sic R. Eliezar capite 8. אדם מסר לחנוך ונכנס בסוד העיבור ועיבר את השנה שנאמר ויתהלך חנוך את האלהים ונומר והתהלך חנוך ברוכי מנין העולם שמסר אלהים לאדם וחנוך מסר לנח סוד העיבור *Adam tradidit Henocho* (Doctrinam Temporum) *Et ingressus est Henoch Secretum Intercalationis, & anni rationem distinxit. Idcircò dictum est: Et ambulauit Henoch in via numerationis sæculi.* (Hoc est, ingressus est adyta cœlestium motio-num,

num) quam tradidit Deus Adamo. Et Henoch postea idem Intercalationis arcanum tradidit Noe. Hæc de Academia, & studijs Henoch. In quo illud est diligenter animaduertendum, hominem, qui tam sapiens esset, tamve omnium artium notitiá valeret, dici simplicem puerum, atque ignarum doli; ideò enim dicitur: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona.* Ex quibus intelligimus non pertinere ad Sapientiam omnem fraudis humanæ notitiam: atque adeò, qui hæc ignorant in Terra, sapientiores esse, quàm qui sciunt. Nam, vt vides, ait animam fictione decipi, qui autem decipitur, errat, atque excidit à veritate, & sapientia. Cum autem ad omnem, vel domesticam, vel publicam administrationem, satis sit esse sapientem, hinc intelligimus fraudum humanarum nihil prodesse notitiam; nam neque intelligi omnes possunt; & multò minùs vitari; & vt in prouerbio est: Rectum est iudex sui, & obliqui, ita est re vera simplex animus, & bene compositus ad omnem fraudem agnoscendam, & redarguendam idoneus.

TITVLVS XIV.

Mathusale.

מתושלח

Mathusale Parentem Henoch studio Religionis æquasse dicitur; sapientiâ verò, vti ætate, superasse. Nam pari gradu fermè eo tempore progrediebatur sapientia, atque ætas. Siquidem vitæ hominibus prorogandæ non alia erat causa, quàm vt necessarias vitæ artes longo vsu excolerent, atque ad perfectum educerent. Hinc ille, qui se doctissimis doctiorem dicere voluit, aiebat: *Super Senes intellexi*. De hoc R. Abraham Seba *in libro*

Zeror Hammor, idest Fasciculo Myrrhæ, sic scribit: מתושלח הצדיק היה גדול בחכמה כפי מה שהזכירו [illegible] Mathusale iustus vir fuit, & magnus in sapientia, quemadmodum à nostræ Gentis Sapientibus traditum est. Huic igitur hæc tribuuntur.

Traditio. קבלה

Theologia. חכמת האלהים

Prouerbia. משלים

I. TRaditionis Hebraicæ successio hæc est. Adam, Seth, Enos, Henoch, Mathusale, Lamech, Noë. Nam vt generatione septimus Henoch, ita successione Traditionis Noë, qui etiam septimus à quiete nomen inuénit. Mathusale tamen acceptam ab Henocho traditionem longo vitæ spatio assidua contemplatione auxit in immensum. Hebræi enim dicunt, eum anno vitæ suæ centesimo compleuisse Fasciculi triplices apud Henoch parentem: in vniuersum autem, penè quot annos vixit, tot edidisse libros sacrarum Cōmentationum in Traditiones Patrum. Vetus liber Midras Abchor de eo dicit, היה שונה ט׳ מאות כרך משנה *Docuit, siue innouauit nongentos ordines Misnæ*: Misnam vocant opus Traditionum, quod modò constat Ordinibus sex, in quibus Tractatus sexaginta.

II. THeologiam quoque summo opere auxisse, non modò priuatis studijs, sed etiam consuetudine cum Angelis, quos eo tempore cum hominibus versari solitos fuisse iam diximus. Eupolemus apud Eusebium lib. 9. de Præp. c. 4. *Henoch genuit Mathusale, qui ab Angelis Dei multa didicit, & Posteros docuit.*

III.

Prouerbiorum. Hic primus est, cui tribuitur antiquissimum illud genus Philosophiæ, quod fabulis, comparationibus, & prouerbijs constat. Midras Abchir, ex quo Ialkut in Genesim.

אמרו על מתושלח צדיק גמור היה וכל דבור ודבור שהיה יוצא מפיו היה משל והיה מושל כל משלים בשבחו של הקב״ה Dixerunt de Mathusale: Iustus erat, perfectus, & quodcumque oris eius effatum, erat parabola, seu prouerbium, & pronunciabat DCCCXXX Parabolas in laudem Dei O. M. Quidam dicunt nomen ipsum hùc spectare; nam Mathusale מתושלח transpositis literis est מושלת״ח, idest is, qui parabolicè, siue allegoricè philosophatur; duas verò literas ת״ח explicant תכונות חכמות Astronomiam & Arcana, siue Sententias. Sed hæc more Iudaico, leuiter, obseruata censemus.

De Mathusale autem Ialkut in Genesim, de Noe agens, inscribit: *Mathusale sapientissimus vir erat: hic monuit Lamechum Parentem Noe, ne nomen eius proprium in vulgus prodi pateretur. Viri enim eius ætatis, qua diluuium accidit, Malefici, & Magi erant, qui facile potuissent ad eius perniciem nomine abuti.* Quidam, vt Noe *Ianum*, ac *Deucalionem* faciunt: Tubalcain *Vulcanum* (quod etiam Eusebius notat; & nomen ipsum indicat.) Ita Mathusalem *Tithonum*: Tum ob senium, tum quia Syderum obseruationi deditus, dictus est Auroram coniugem duxisse, Tum ob quorumdam opinionem, qui eum pluribus annis dicunt superfuisse diluuio, raptum scilicet aliquo; & fortè ad Patrem. Eusebius [illegible] μακροβιώτατος [illegible]. *Hic omnium, qui ante ipsum obiere, diutissime vixit. Hic iuxta omnes editiones annis 15. post diluuium vixit; adeo vt incertum sit, vbinam seruatus sit.* Verùm Hebræi fatentur eum anno ipso diluuij mortuum. Jalkut loco citato. *In eius morte*, inquit, *audita vox è Cœlo, tamquam illic quoque funus ei concla-*

cla-

clamaretur. R. Salomo septem diebus ante diluuium scribit obijsse, quibus Noë eius nepos eum luxerit; Velut eousque producta vita, quò longior hominibus iram Dei pœnitentiâ mitigandi opportunitas esset, tamquam eius viâ salus Orbis niteretur.

TITVLVS XV.

Lamech. למך

LAmech parentis, & filij, gloriâ, & virtute celebrior, quàm suâ, vir fuit, vt par est credere, non indignus hac stirpe, nihil de illo literis adnotatum reperio, nisi quod ei tribuitur.

Historia.

QVA prosecutus dicitur ea, quæ Adamus cœperat, Henoch prouexerat, atque ei absoluenda, reliquerat. Credidit hoc quoque Annius in Berosum. Alius hic ab eo, qui Cainum occidit. Quærunt Hebræi, quare scripserit Moyses ויהי כל ימי למך *Et fuit omnes dies Lamech*; Cùm dici debuerit יהיו: fuerunt? Respondent, ideò vsum esse velut mutila voce, quòd Lamechi vita fuerit breuior, quàm Parentis, & Filij. R. Abraham Seba. *Hoc*, inquit, *positum est ad significandum, perfectionem, & sanctitatem ipsius. Quòd omnes dies eius fuerint sicut dies vnus, & vita eius vita constans, & verax, absque immutatione, perindè ac si esset vnus dies.*

TITV-

TITVLVS XVI.

Noë.

נח

NOë multa sortitus est nomina. Hic enim Græcis est proculdubio Deucalion, quod & Philo libro de Præmio, & Pœna, & Lucianus libro de Syria Dea, & alij plures indicant. Nec videtur absimile vero nomen hoc illi Syriacè inditum, *Degal-Ion*, idest, *Vexillum Columbæ*; Nam cùm eo vexillo semper Assyria Gens antiquissima vsa fuerit, vero simile fit, à Noë cœpisse eius vsum, qui scilicet ob felicissimum Nuncium à Columba acceptum, eius effigiem prætulerit. Chaldæis hic idem vocatus est Sisuthrus, aut Sisithrus, vt scribunt Alexander Polyhistor, & Abydenus, vterque Berosum secutus, vterque apud Eusebium omnimodæ histor. lib. 1. Italis hunc fuisse Ianum ætatis vtriusque conscium, dixit Annius, quod etsi quibusdam minùs probauit, non opinor probabili coniecturâ carere. Fauent nomina, vt Ianus à Vario dictus sit, quòd reperit, vnde & primum Italiæ nomen Oenotria. Fauet, quòd in Italiam naui appulisse Ianum, antiqua narratio est, & numismata docent, in quibus tunc Ianus; tunc Nauis est. Fauet, quòd is mensis, quo Sol Aquarium subit, à Iano Ianuarius dictus est, velut memoria Eluuionis, quam Noë subijt. Fauet, quòd Orbis Terræ Principem nulla magis decuit Prouincia; nec melioribus auspicijs excitari potuit Romana Maiestas. Fauet, quòd vt Hierosolymis Adamum iacére permulti veterum scribunt, ita Romam Noë tumulum dedisse, vel fabulantibus non esset admodum repugnandum. Aut proferant certiora, qui tantùm huic narrationi aduersantur. Nam quòd Iani ætas feratur aliquantò recentior, quàm Noë, nihil obstat. In tanta enim vetustate quis nobis adeò certus est auctor, quo tempore Ianus vixerit? Venio ad Hebræos. Horum vetus allegoria est, ex quo primum Adamus

in Deum deliquerat vsque ad Noë tempora, terram quotidie steriliorem euasisse, totumque Orbem nutabundum numquam eodem stetisse vestigio, sed vacillasse perpetuò. Natum vero Noë malo vtrique remedium attulisse. Quin ideò Noë vocatum, quòd eo nascente, & Mundi inquieta nutatio cessarit, & labores hominum in excolenda Tellure leuiores fuerint. Nam & Orbem stetisse, & feraciorem ex eo redditam esse Tellurem. Placet ea de re celebris Rabbini Abraham Sebæ Hispani locum breuiùs adscribere, ex eius libro, qui Fasciculus Myrrhæ inscribitur. *Pater eius eum vocauit Noë, idest quietem, perindè ac si diceret. Quoniam a tempore Adam, huc vsque maledictio eius perpetuò augetur in Terra, iste consolabitur nos à laboribus, & operibus manuum nostrarum in Terra, cui maledixit Dominus. Quare Lamech Propheta erat. Verùm in Midras dicitur, Deus O. M. vocauit nomen eius Noë, idest quies. Nam ob scelus Adami Primi Mundus nutabat, & vacillabat, velut res, quæ non habet cui innitatur, & quo firmetur. Ea de causa propè erat, vt interiret. Deus igitur dixit: hic consolabitur nos de opere nostro, quod scilicet fecimus in rerum conditione, ac si diceret: hic mihi nutantem Orbem statuet, ac firmabit. In id enim scriptum est, Iustus fundamentum Mundi.* (Prou. x. n. 25.) *Vel certè dixit Deus, hic nos consolabitur de opere nostro, quod faciemus, quòd Mundum diluuio perdemus. Nam propter Noë relictæ sunt Mundo reliquiæ, sicut scriptum est: Noë autem inuenit gratiam.* Verùm aliqua de Noë habet liber Zohar hic adscribenda. *Noë cum natus esset, animaduertit opera filiorum hominum, quòd impia essent, & abscondebat se, & studebat obsequio Dei, ne eorum fieret imitator. Quòd si quæras, quibus se detinebat? Libro Adami, & libro Henoch, & in his studebat, vt Domino suo seruiret. Quod vt ita esse perspicias? Vnde cognouit Noë, quo pacto oporteret offerre oblationes Domino, nisi quòd in his libris adinuenerit scientiam, quæ res Mundum sustineat? & inuenit, quòd oblationes, seu sacrificia Mundum sustineant, quæ si non essent, neque superiora, neque inferiora subsisterent.* Hæc Zohar pag. 47 de Noë, cuius nomen lepidè Suidas deducit à Latina voce No, quod nauit in diluuio. Verùm id referamus, quæ ab illo scripta dicuntur, ac tradita. Præ-

מצות 1 Præcepta.

דברי הימים 2 Historia temporum exactorum.

עבודת הארץ 3 De Agricultura.

עבודת הקדש 4 De Ritu colendi Deū.

צואה 5 Testamentum.

זכרון המבול 6 Historia Diluuij.

עיבור 7 Anni ratio.

I. PRæcepta, quæ Noë dederit, Hebręi disputant capite *Quatuor Mortes*. Dicitur Noë statuisse hominibus septem præcepta, quæ Geneseos 1x. leguntur. Primum, Ineundi coniugium. Secundum, Subigandi Feras, quò terra incoli posset. Tertium, Ne ab esu animantium abhorrerent, neue sibi vetitum putarent. Quartum, Abstinentiæ à sanguine. Quintum, Vitandi homicidij. Sextum, Vindicandi cædes legitimâ auctoritate. Septimum, Diuidendi Orbis, & Prouinciarum sortiendarum. Primum illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*. Secundum illis: *Terror vester, ac tremor sit supra cuncta animalia Terræ*: Tertium illis: *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*. Quartum illis: *Carnem cum sanguine non comedetis*. Quintum illis: *De manu viri, & fratris eius requiram animam hominis*. Sextum illis: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Septimum illis: *Ingredimini super terram, & implete eam*. Itaque secundus hominum Legislator Noë.

Non diu autem Legem eius durasse Hebræi sic scribunt in Berescith Rabba sectione 34. רבי יודן בשם רבי שמואל מסובבין בני נח שבריתם כרותה ועומדת לעד אלא כל זמן ששמים וארץ קיימין בריתם קיימת כשיבא אותו היום שכתוב בו כי שמים כעשן נמלחו והארץ כבגד תבלה באותה שעה נתופה בריתם ביום ההוא *R. Iudam, nomine R. Samuelis, dixit. Quid putabant Filij Noë Fœdus cum ipsis initum, esse decisum, itaut perpetuò vigere deberet? Minimè verò; sed tamdiu, quamdiu Cœlum, & Terra stabit, Fœdus eorum stabat.* (Sic enim dicitur *Gen. 8. n. 22. Ergo vbi aduenit ille dies, quo, sicut scriptum est Isaiæ l. 1. n. 6. Cœli sicut fumus liquefacti sunt, ac Terra sicut vestimentum attrita:* (quod scilicet accidit, cum data est lex Moysi) *tunc Fœdus quoque, seu Lex posita à Noë euanuit.* Alij septem Noë præcepta aliter numerant. Seder Olam, & R. Salomo v. 11. cap. Ieremiæ.

II. H*istoriam* temporum exactorũ scripsisse illum facilè inducor, vt credam; non tamen facilè Hebræis quibusdã aßentior, qui putant hoc indicari à Moyse, cum dicit: *Hæ sunt Generationes Noë* אלה תולדות נח hunc enim locum respondere illi, quo de Adamo dixerat זה ספר תולדות אדם *Hic liber Generationum Adam*; perinde ac Moyses prima illa è Commentario Adami; posteriora hæc è Commentario Noë descripta retulisset in suum. Sed Berosus lib. 1. rerum Chaldaicarum, apud Alexandrum Polyhistorem refert Sisuthrum, qui ipsis est Noë, à Saturno admonitum in somnis, vti properè sibi, ac Posteritati consuleret: τὸν Χρόνον αὐτῷ κατὰ τὸν ὕπνον ἐπιςάντα φάναι, μηνὸς Δαισίου ιε', τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ κατακλυσμοῦ φθαρήσεσθαι; κελεῦσαι οὖν, διὰ γραμμάτων, πάντων ἀρχὰς, καὶ μέσα, καὶ τελευτὰς, ὀρύξαντα θεῖναι ἐν πόλει Ἡλίου Σιππάροις, καὶ ναυπηγησάμενον σκάφος ἐμβῆναι. *Saturnum ei adfuisse in somnis monentem, Dæ-*

sij mensis 15. fore vt eluuione homines perirent. Iussisse igitur ab eo inscripta referri rerum omnium originem, medium, & finem, eaque Sipparis, Solis vrbe, defossa, terræ mandari. Deinde constructo nauigio sibi consulere. Rursum addit, Oraculo monitum post diluuium, vt libros humi depositos quæreret, atque hominibus traderet. At verò Abydenus ex eodem Beroso aliter narrat, non illum scribere iussum, sed quicquid scriptum erat librorum recondere. κελεύει δὲ πᾶν ὅ,τι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον, ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάρεσιν ἀποκρύψαι. *Iubetque librorum quicquid habebatur in Solis vrbe, quæ Sipparis est, abscondi.* Nomen hoc Sipparis Hebraica origine significat libros, & idem est, quod *Sepharim*. Idem Berosus, dum Reges Chaldæorum, qui ante diluuium fuerint, recenset, eorum aliquos ortos narrat ex Vrbe, quæ πανΤίβιβλα diceretur, ac si: *Omnilibriana* voces, quæ vox non abest ab ea, quæ in sacris literis est, *Kiriath Sepher*, idest *Ciuitas libri*.

III. DE *Agricultura* primus Noë præcepta dedit, vt *Zohar* sect. 2. notat, & R. Theodolus in Catena refert: quippe ante diluuium durior fuit, ac rudior Terræ cultura. Et hoc sensu dictum à Lamech; *Iste consulabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in Terra, cui maledixit Dominus*, vt notat Philo libro, quem de plantatione vineæ à Noa, scribens de *Agricultura*, inscripsit. Quidam dicũt eum adinuenisse artem subigendi Tauros aratro, atque ita laborem hominum leuasse. Hinc Prometheum, quem putant eumdem esse cum Noë apud Heschylum gloriari: καὶ ζεῦξα πρῶτος ἐν ζυγάισι κνώδαλα. Verùm ego nec Prometheum puto esse Noë, neque Arationi tantummodo, sed cæteris rusticæ partibus, maximè autem Vinearum culturæ præcepta à Noë tradita. Non piget hoc loco memorare Apologum ex vetere libro *Midrat Abchir*. Cùm Noë vitem plantaret, adfuisse malum Dæmonem, & voluisse operi manum admouere, tamquam ei perplaceret id nouum inuentum, vite humi depacta, & adobruta, Satanam continuò ibi Ouem occidisse, deinde Leonem, tertiò Suem. Interroganti Noë, quid hoc sibi vellet? respondisse, fore, vt qui primum poculum è succo vitis ebiberet,

ret, mitis, Ouiculæ instar, euaderet: qui secundum, fieret gloriosus, & iracundus, vt Leo: qui verò etiam tertium, sordidus, & obscenus, vt Sus. Qui certè Apologus non intempestiuè confictus videtur, cùm Apostolus quoque dicat in vino esse luxuriam.

IV DE *ritu Deum colendi*, præcepisse idem Noë dicitur. Nàm & sacrificasse eum scribit Moyses, & Sacrificium Deo placuisse *in odorem suauitatis*: & notant Hebræi, nunc primùm in sacris literis audiri discrimen victimæ mundæ ab immunda. *Et tollens*, inquit, *de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare*. Quo videtur significari, Noë docuisse primum Suos, quæ animalia Deo mactari deceret. Quem ritum postea Melchisedech docuit Abrahamum. In capitibus R. Eliezer narratur, Noë obtulisse hæc holocausta in eodem Altari, in quo prius obtulerant Abel, & Cain: quod intellige de ritu potius instaurato, quàm de loco; nam neque idem fuit altare, vt reor, Caini, & Abelis; neq; hi videntur in Mõtibus Armeniæ obtulisse sacrificia, vt Noë. Addã & quæ de libris Noë Berosus Annij scribit lib. 3. *Senissimus omnium Pater Noë iam antea edoctos Theologiam, & sacros Ritus, cœpit etiam eos erudire humanâ sapientiâ; siquidem multa naturalia rerum secreta mandauit literis; quæ solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant. Neque enim fas est, illa vlli inspicere, aut legere, vel docere, quàm solis Sacerdotibus, & inter Sacerdotes dumtaxat. Sicut & quos reliquit libros rituales: ex quibus illi primum fuit Saga nomen inditum, idest. Sacerdos, & Sacrificulus, & Pontifex.*

V. TE*stamentum*, siue sortitio Prouinciarum scriptô à Noë tradita dicitur; de qua sic Eusebius omnimodæ hist. lib. 1. Τῷ (βφοβ) ἔτει τοῦ κόσμου, ἐννακοσιοστῷ τριακοστῷ ἔτει τοῦ Νῶε κατὰ θεῖον δηλονότι χρησμὸν ἐμέρισε. Νῶε τοῖς τρισὶν αὐτοῦ υἱοῖς τὴν γῆν, οὕτω. *Anno MMDCCLXXII. Mundi; Noë verò nongentesimo trigesimo, ex Diuino proculdubio Oraculo, Noë tribus Filijs Terram partitus est, in hunc modum*: ac post singulorum enumeratas Prouincias addit: οὕτω μερίσας ὁ Νῶε ἐγγράφως διαθέμενος, ὥς φασιν, ἐπαναγνοὺς τε αὐτοῖς τὴν διαθήκην αὐτοῦ, ἀπεσφραγίσατο ἕως τοῦ ἑαυτοῦ κατασχόντος. *Cùm sic diuisisset, & scriptô constituisset, vt*

ferunt,

ferunt, suum ipsis Testamentum, recitans obsignauit illud, atque apud se habuit: verùm morti proximus τὴν διαθήκην αὐτοῦ δίδωσι τῷ Σὴμ τῷ πρωτοτόκῳ υἱῷ, ὡς θεοφιλεστάτῳ, ὃς καὶ ἡγεμονίαν κατεδέξατο. *Testamentum suum dedit Semo primogenito Filio, & Religioni addictissimo, qui & Principatum suscepit.* Idque adeò apud Priscos Ecclesiæ Patres inualuerat, vt si quis eiusmodi Testamentum, ac descriptionem Orbis à Noë factam, dubitaret, Hæreticus apud nonnullos audiret, vt apud Philastrium: *Sunt*, inquit, *quidam Heretici, qui de diuisione Orbis Terræ, & partitione habitationis recte non sentiunt, disputantes quod Græci cæperint, aut Ægyptij, aut Persæ describere Orbem Terræ vniuersum: non beatus Noë suis Filijs tribus post diluuium diuiserit, dederit, definierit, ac partierit ordine.*

VI. *Historiam Cataclysmi* scriptam à Noë, si nemo diceret, suspicari æquum esset. Ast Africanus apud Eusebium testis est: lib. i. Omn. Hist. Deucalionem tradi auctorem Historiæ Cataclysmi, quàquam Græci suo Pomario cuncta definiunt, atque hunc non nisi Græcum, nec nisi de Græciæ rebus scripsisse autumant. Crede Beroso Anniano, vel ficto, cùm sic scribit lib. 3. *Noë cum familia de Monte Gordiæ descendit in subiectam planitiem plenam cadauerum, & inscripsit in lapide in monumentum rem gestam, & vocant Incolæ egressionem Noë.* Quin eius rei testem producit oculatum, qui ex Armenia venerit, à quo se hoc Breuiarium Berosi habuerit. Is narrabat esse adhuc idem loco nomen.

VII. *Anni rationem* Noë docuisse dicitur, ex ijs, quæ ab Henocho acceperat. R. Eliezer cap. 8. *Henoch tradidit anni rationem Noë, secundum quam ille disposuit anni tempora: hinc de eo dicitur, cunctis diebus terræ, Sementis, ac Messis, Frigus, & Æstus, Æstas, & Hyems. Sementis, hæc est* תקרפת תשרי Conuersio Mensis Thisri: Messis, hæc est תקרפת ניסן Conuersio Mensis Nisan: Frigus, hæc est תקופת טבת Conuersio Mensis Tebeth: Æstus, hæc est תקופת תמוז Conuersio Mensis Ham-

mus. Et suo tempore Æstas, suo tempore Hyemis, *numeratio Solis, ac diurni: numeratio Lunæ, & nocturna non quiescent.* Hæc sanè valde congruunt cùm ijs, quæ plurimi tradunt, Noe nimirum esse Janum; nam Ianum constituisse anni tempora, ex quo dictus est bifrons, quòd præterita, ac futura disponeret, necnon primus mensis illi addictus in omnium ore, ac literis est.

TITVLVS XVII.

Bath-Enos.

בת אנוש

BAth-Enos vxor Noë, cuius etiam Epiphanius Hæresi 36. meminit (licet vitium Codici irrepserit, vt Barthenos scribatur) apud Hebræos prima post Euam sapientiæ laude celebratur, & multa illi cum Eua congruunt, illa enim ex Adamo nata, hæc vt nomine præfert, filia Enos: vtrumque autem nomen (*Adam*, & *Enos*) hominem significat. Eua mater viuentium, & hæc. Quare Vestam, Rheam, Cybelem, matrem Deûm, vario cultu, ac nominibus Gentes cognominabant. R. Ghedolias, & multi ex antiquioribus Noëmam vocant. Alij Thetiri. Annius, nisi literæ sunt in Beroso corruptæ, Titheam, Græce Τιτθὴ, *Nutrix* hominum, vt Eua olim *Mater*. Inuentæ Poëseos, & canendi artis huic laudem tribuunt Thargum Hierosolymitanum, & plures Hebræorum. Atque idcò Noëmam, idest suauem vocatam; Gnostici vocabant *Noriam*, vt Græci *Pyrrham*: atque è Græcis, prauâ imitatione, nomen hoc expressisse Gnosticos arbitratur Epiphanius, quòd נהר Syriacè sit Ignis, & *Ner* Hebraicè, Lucerna; Arabicè ignis; ergo quia Pyrrha dicta est ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ideò *Noriam* Gnosticos velut *Igneam* finxisse. At quid si ex Apocryphis Hebræis antiquum nomen hoc sumpserint Gnostici, è quibus & Pyrrham Græci habeant? Certè Latinis etiam *Vesta*

Mater Ignis est, quanquam diutiùs hic hærere non oportet. Huic Gnostici librum adscribebant, qui eius nomine, diceretur

Noria,

plenum imprudenti, atque impudica mendacitate.

TITVLVS XVIII.

Academia Chaldaica sub Cham.

הם ובית מדר שר

CHam Liberorum Noë natu minimus cæteros præibit, quòd inuiso nomine memoriam exonerare quàm citissimè libeat; nam tres Noë Liberos, & Parentes totius humanæ gentis, ita eiusdem fuisse Præceptores, Magistros, ac Legislatores nemo dubitabit. Erant enim eo tempore eædem Disciplinarum, & Familiarum Sectæ, vt Geneseos 4. 21. de Iubal dicitur: *Ipse fuit Pater omnium canentium cythara, & organo*: nempe vnicuique suos Liberos instituendi cura incumbebat. Tres igitur Noë Filij, supremi Gentis Humanæ Institutores, ac Magistri fuere. Hinc Hebræi vocant Columnas Orbis terræ. R. Abraham Seba in Zeror Hammor; *Tres filios genuit Noë*, qui respondent tribus fundamentis, quibus Mundus insistit, Iudicio; Veritati, Paci: quæ longius ex intima Kabbala explicans docet has tres מדות Mensuras conuenire his tribus, Iudicium Chamo damnato, Veritatem Iapeto Philosopho, Pacem, seu Perfectionem שלום Semo viro sanctissimo. Ex his maximè Chaldaica Academia Chamo tribuetur, Ionica Iapeto, Syriaca Semo.

Chamus ex quo Parentis irrisor, ab eo Diris deuotus est, excidit Patria hæreditate, quæ demum nihil aliud erat, quàm Theologiæ sanctioris incorrupta Traditio: factus ex eo malorum Dæmo-

monum cultor, auditor, imitator, Artium noxiarum excogitator, & Magister. Ex eo creditur manasse quidquid est infrugiferæ, aut lethiferæ sapientiæ; vt non aliam Dauid indicasse videatur Psalmo 1. *Cathedram pestilentiæ*, Hebræi legunt *Cathedram Irrisorum.* Plures eius nomine Libri feruntur: & quia idem putatur esse cum Zoroastro (quod si esset, ideò putarem de Zoroastro, eum, statim ac natus est, risisse, quia Cham, statim atque ex Arca prodijt, Patrem irrisit) præter eos libros, qui Cham nomine censentur, illi etiam commemorandi sunt, qui tribuuntur Zoroastro. Primùm igitur vniuersè de Chami libris hæc Serenus Abbas apud Cassianum coll. 8. c. 21. *Scientiam omnium naturarum per successiones generationum Semen Seth ex paterna ab ipso Adam traditione suscipiens, donec diuisum à sacrilega propagine Cain perdurauit, quemadmodum sanctè perceperat, ita etiam, vel ad Dei cultum, vel ad vtilitatem vitæ communis exercuit. Cùm verò fuisset impia generatione permixtum, ad res profanas, & noxias, quæ piè didicerat, instinctu quidem Dæmonum deriuauit, curiosasque ex ea maleficiorum artes, atque præstigia, & magicas superstitiones instituit, docens Posteros suos, vt sacrâ illa cultura Diuini Numinis derelictâ, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos Dæmones venerarentur, & colerent. Hæc igitur curiosarum rerum peritia quomodo diluuio non perierit, ac superuenientibus sęculis innotuerit, breuitèr perstringendum puto. Quantum itaque antiquæ Traditiones ferunt, Cham filius Noë, qui superstitionibus istis, & sacrilegis fuit artibus infectus, sciens, nullum se posse super his memorialem librum in Arcam inferre, in quam erat vnà cum patre iusto, & sanctis fratribus ingressurus, scelestas Artes, & profana Commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperentur iniuriâ, & durissimis lapidibus insculpsit. Quæ diluuio peracto, eâdem quâ illâ celauerat curiositate perquirens, sacrilegiorum, ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in Posteros.* Hic ergo primus Fatum, & Fati pedissequam Genethliacam inuenit. Hic autem Chemiæ primus fertur, & vox ipsa coniecturam afferens prodit auctorem; Hebraicè enim *Cham* חם

vel

vel calorem, vel Solem significat, quorum vtrumque maximè ad hoc genus artificij pertinet, quod Chemiam, siue Alchimiam vocamus. Idem primus Magicas artes, & præstigias dicitur tradidisse. Idem, vt ferunt, Idololatriam primus inuenit, Solem colendum docens; nam & ipse Sol vocabatur. Hunc denique hominem Sethiani Hæretici apud Epiphanium hæresi 39. ab aduersis Potestatibus, & malis Angelis conditum fabulantur. *Cùm enim*, inquit, *seruatæ sint octo animæ in arca Noë, septem quidem fuisse puri generis dicunt, vnum autem fuisse Cham alterius virtutis, qui ingressus est clam matre superna, ab Angelis autem hoc constructum* (scilicet ab ijs Angelis, à quibus genitos putabant perditos homines, qui ante diluuium fuerunt); *quandoquidem enim sciebant Angeli, quòd vniuersum ipsorum semen delendum esset in diluuio, per calliditatem quamdam prædictum Cham ad conseruationem creati ab ipsis generis clandestinè immiserunt, & ex hoc obliuio, & error circa homines, & confusi peccatorum impetus, & multiplex vitiorum mixtura, & sic Mundus ad priscam confusionem rediit, & impletus est malis, sicut ante diluuium*. Hæc Sethiani, ex quibus intelligis, quàm impius fuit Cham, ex quibus sceleribus huius fabulæ Sethianis oblata est occasio. De hoc & Chronicon Alexandrinum scribit: Ἐφευρετὴς οὗτος ἐγένετο τῆς κακῆς διακονίας, Ἀστρολογίας τε, καὶ Μαγείας, ὃν ὁ Ζωροάστρον οἱ Ἕλληνες ἐκάλεσαν· τοῦτον ἠνίξατο Πέτρος εἰπών, ὅτι μετὰ τὸν κατακλυσμὸν πάλιν οἱ ἄνθρωποι ἀσεβεῖν ἤρξαντο. *Inuentor hic fuit mali ministerij Astrologiæ, & Magiæ, quem etiam Zoroastrem Græci nuncuparunt: hunc Petrus indicauit, cùm dixit, post diluuium cæpisse homines rursus impiè agere*. Atque idem Petrus apud Clementem lib. 4. Recognit. c. 6. si qua ei scripto fides, ita describit, quo pacto nefarij Spiritus Chamum docuerint magicas artes; ille autem ab ijs acceptas traduxerit in posteros, & cur Zoroaster sit vocatus: *Cham*, inquit, *cuidam ex filijs suis, qui Messaim appellabatur (à quo Ægyptiorum, & Babyloniorum, & Persarum ducitur genus) malè compertam* (idest opera malorum Dæmonum) *magicæ artis tradidit disciplinam. Hunc Gentes, quæ tunc erant Zoroastrem appellarunt, admirantes primum Magicæ*

artis auctorem, *cuius nomine etiam libri super hoc plurimi habentur*. Deinde pluribus explicat Zoroastrem vocatum, quasi Ζώον ἀστέρ, *Viuum Sidus*, quòd,cùm soleret ex Astris ignes euocare, eodem igne haustus aliquando creditus sit in Sidera excessisse. Etymologia quidem Græcæ linguæ innixa parum quadrat in eum, qui nihil habuit cum ea gente commune. Verùm *Aster* Hebraicè quoque Sidus est, & Persicè *Ster*. Prior verò dictio an *Sar Princeps*, an *Zar Hostis*, an aliud quippiam simile sonet, iudicent peritiores, & in hisce diuinationibus feliciores.

Chamo igitur libros aliquot adscribemus ex coniectura, & Veterum indicijs, atque hi sunto:

לרחרת	1	Tabulæ.
נבראה	2	Prophetia.
כתב	3	Scriptura.
דִיבור	4	Oracula.

Argumenta verò Librorum hæc.

מלאכת הזהב	5	Chrysopeia.
כשופים	6	Magia.
תכונה	7	Astrologia.
קבלה מעשית	8	Kabbala operatrix.

I. **T***Abulæ Cham*, duplices, Lateritiæ, & Marmoreæ, quarum illæ aduersus incendia, hæ aduersus inundationes essent paratæ, similes ijs, quæ à filijs Seth sculptæ dicuntur ante diluuium. De ijs Serenus Abbas loco allato, Petrus Comestor in historia scholastica, quatuordecim fuisse, æquo scilicet numero Lateritias, & Marmoreas, arbitrantur.

II. **P***Rophetia Cham*, hanc Basilidiani Hæretici inter sacros suæ sectæ libros habebant, ex qua testimonium pro eorum errore firmando citatum ab Isidoro eius farinæ homine, refert Clemens Alexandrinus, lib. 6. Stromatum.

III. **S***Criptura Cham*, Liber magicus, quem eius damnatæ Artis venditator Ciccus Asculanus citat, Commentario in Sphæram, vt refert Sixtus Senensis.

IV. **O***Racula*, hæc Zoroastri nomine extant, in quæ Scholia edidit Psellus. At Clemens lib. 1. Stromatum ait, eos qui Prodici hæresim sectabantur iactare solitos, se libros Zoroastri habere in arcanis.

V. **C***Hrysopeiam* tractasse primus hic, vti dixi, putatur, & nomen ei fecisse de suo nomine. Cùm autem Petrus peculiariter à Chamo libros magicos Mesraimo Ægyptiorum parenti datos scribat, atque aliunde constet Ægyptios antiquo Patrum instituto Chæmiæ semper operam dedisse, & vetustos eius artis libros ijs ablatos à Diocletiano, quæ omnia scribit Suidas verbo χημίας; cùmque etiam Ægyptijs ipsa dicta sit Chemia, vt Plutarchus libro de Iside, atque Osiride annotat, non videtur absimile vero, si quis Chrysopeiam disciplinam, ac libros Mesraimum à Chamo dicat habuisse.

VI. **M***Agia*, è tribus conflata, ex elementarium vsu secretiore, ex diuinatione per Sidera, & ex superstitiosa inuocatione Geniorum, ad Chamum refertur auctorem: de qua sub Zoroastri nomine vicies centena millia versuum scripsisse perhibetur. Huius partes fuisse Theurgiam, Goetiam, & Necromantiam, ex Porphyrio refert Augustinus lib. x. de Ciu. cap. 9. Pharmaciam addit Philo libro de legibus specialibus.

VII. A*Strologia* est ea quidem Magiæ pars, verùm, & seorsim adnotanda ideò fuit, quia ex his tribus disciplinis Chrysopœiâ, Magiâ, Astrologiâ, videtur Cham singulas singulis tradidisse totidem Gentibus, quæ ex eo propagatæ sunt: Chrysopœiam Ægyptijs, Magiam Persis, Astrologiam Assyrijs.

VIII. K*Abbala operatrix.* Hæc nil aliud ferè est, quàm damnata illa Magia Hebraicè tradita, nisi quod tota diuinis hæret addicta nominibus, quæ in profanum vsum traducit. Hanc proinde Chamum docuisse probabile est. Quin libros eum dicunt, ea de re scriptos, suffuratum esse in arca è pluteo Noæ Patris. Sed Kabbalistarum hæc fortè vana sunt somnia.

Chami verò Academia non modò in Perside, Chaldæa, Ægypto viguisse dicitur, sed eam quoque disciplinam secuti feruntur in Græcia Telchines, in Italia Cimmerij, vtraque gens veneficijs infamis, & vaticinijs emortualibus, ac scelesta familiaritate Geniorum. Telchines quidem adeò, vt etiam ipsi Lemurum genus putarentur, potiùs quam homines. Hinc Suidas Τελχῖνες πονηροὶ δαίμονες, ἢ ἄνθρωποι φθονεροὶ καὶ βάσκανοι. *Telchines mali Dæmones, aut homines inuidi, & malefici.* Fascinatores præcipuè fuisse ait Ouidius, & ob eam causam ab Ioue vndis mersos, lib. VII. Metamorph.

Phœbeamque Rhodon, & Ialysios Telchinas,
Quorum oculos ipso mutantes omnia visu
Iuppiter exosus, Fraternis subdidit vndis.

CImmerijs familiaris illa pars deterioris Magiæ fuit, quæ Necromantia dicitur: eam sub terra factitabant in speluncis ad Cumam. Non me latet quosdam esse, qui negant Zoroastrum eius antiquitatis esse, quæ Chami ætatem possit attingere. Nam Xanthus Lydius apud Laërtium à Zoroastro ad Cyrum minorem, annos numerat DC. Sed quid prohibet credere Zoroastros plures fuisse in Perside, & Chaldæa, quemadmodum in Ægypto plures fuere Mercurij: neque id omittendum, Auctorem vitæ Isidori apud Photium scribere, ex vetere Phœnicum historia, duos

fuisse

fuisse Neptuni filios, Dicæum, & Sylea, idest justum, & sacrilegum. Quorum cùm constet Dicæum eundem esse, qui Sadicus, & Melchisedech, & Sem vocatus, necesse est Syleum, siue sacrilegum esse Chamum. Ambos verò dictos esse Neptuni filios, velut è mari editos, idest è communi eluuione, qua totus Orbis vnum erat mare; Chamum verò alij dixere Chamasenum.

TITVLVS XIX.

Academia Ionica sub Iaphet.

יפת ובית מדרשה

IAphet Græcis Iapetus, & Xuthus olim vocatus, totius Europæ, nec non Asiæ minoris, & qua parte Africa Græcos mores, & linguam coluit, Parens habitus est. De quo primùm quæritur: An trium Noæ filiorum fuerit natu maximus. Id Hebræi constanter affirmant post R. Salomonem, qui in cap. x. Geneseos id probare conatus est. Fauent Septuaginta Interpretes, & coniectura, qua nititur R. Salomo. Nam certum est, Noæ, cùm quingentorum esset annorum, natos esse Liberos. Certum item Semum, biennio post diluuium fuisse C. annorum, qui tamen si natus esset anno quingentesimo, Noë centesimum secundum annum ageret. Superest igitur, vt quingentesimo Noæ anno natus sit Iaphet, proximo Cham, tertio Sem. Qui tamen Fratribus præferatur, vt Isaac Ismaeli, Iacob Esau, tum quòd virtute præstantior fuerit Iapeto, tum quod ex eo gens Hebræa, & Christus originem ducerent. Nè tamen his facilè assentiamur, obstat auctoritas grauissimorum Scriptorum. In primis vulgatæ Editionis. Nam Geneseos x. v. 21. *Sem vocatur Pater omnium Filiorum Heber, & Frater Iaphet maior.* Et licet eumdem locum Hebræi pro sua opinione afferant, qui legunt

Fra-

Fratrem Iaphet maioris (nam vtrumqve poteſt æquè ex Hebræo verti); nobis tamen vulgati Interpretis maior eſt, quàm Sinagogæ totius auctoritas. Accedit & Septuaginta Interpretum antiquior editio, quæ Iapetum Semo minorem natu faciebat; ſic enim citat Auguſtinus lib. 16. de Ciu. c. 3. Denique Hieronymus epiſtolâ ad Euagrium tradit hanc Hebræorum quoque traditionem fuiſſe. Deinde, quod proprius noſtra refert, de Iapeti eruditione, ac ſapientia quæritur. Græci quidem Iapetum Græcanicæ omnis, & Barbaricæ literaturæ parentem faciunt. Nam quia apud eos nihil antiquius eſt Prometheo inter Philoſophos, qui & primus hominem dicitur finxiſſe de luto, & ignem deuocaſſe de Cœlo (quòd ſcientiâ rerum cœleſtium homines imbuens, eos è luto excitarit) Promethei autem Patrem, ac Magiſtrum Iapetum faciant, quem Hyginus è Terra, ac Tartaro genitum ſcribit(quòd eius antiquior Pater nullus extaret) omnis ſapientiæ origo Græcanicæ, ac Barbaricæ ſiſtere videtur in Iapeto. Hunc etiam idem Hyginus Atlantis parentem facit, quem conſtat in Lybia primum ſcientiæ ſideralis auctorem fuiſſe, vnde & capite Cœlum ſuſtinere dictus eſt; & Mons, in quo ſiderum contemplationi vacans hærebat aſſiduè, dictus eſt Atlas; & qui eum ſecuti eadem ſtudia vrgebant, æquè Atlantes vocati. & Pleiades, quas ille primus notauerat, Atlantides dictæ. Cuius Academiæ, ac Sectæ in Libya diù nomen viguit; ex eaque Virgilius in aula Didonis inducit carmine philoſophantem Iopam.

------ Cytharâ crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas;
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores,
Vnde hominum Genus & pecudes, vnde imber, & ignes;
Arcturum, pluuiaſque Hyadas, geminoſque Triones.

Cùm autem Hebraicè יפת, ab alijs Iaphet, ab alijs verò, vt à Germanis, Iopheth vocetur, haud obeſt coniectura idem nomen eſſe Iopam. Nec Iupiter aliunde meliùs quàm ex hoc nomine dictus fuerit, quod etiam *Iophi* enunciant, vnde Latinis Iouis quoque vocatus credi poſſet. Summa eſt ab hoc homine totam pendere cùm generis, tum eruditionis propaginem in Ionia, Græcia, Hiſpanijs, Gallijs, Britannijs, Germanijs, Pannonia, Illyrio, Scithia.

Qui-

Quibus omnibus sui Philosophi, suæ Disciplinæ fuerunt: ex ijs clari Galeotæ in Sicilia, in Italia Semones, & Fauni: in Græcia Curetes, & Corybantes, in Gallijs Druides, & Bardi.

Libros Iapeto tribui non memini vsquam legere; nisi quòd, si Iupiter est, ei adscribi possunt διφθέραι, pelles, in quibus scripta omnia contineri dicebantur, quæ acciderant, & quæ mox euentura erant, de quo & vetus Prouerbium:

Ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας.

Dixi eius Filios Prometheum, Atlantem, Epimetheum, Ionem, claros sapientia fuisse. Eusebius Omn. Histor. l. 1. Προμηθεὺς ὃς ἐμυθεύετο πλάττειν ἀνθρώπους ἐξ ἀπαιδευσίας, καὶ ἀλογίας εἰς παίδευσιν μετάγων: *Promtebeus, qui fabulis tradebatur homines fingere, ex ignorantia, & bruto vitæ genere, ad vitam bene institutam transferens.* De Atlante Africanus apud eundem: Ἄτλας Προμηθέως ἀδελφὸς, ἄριστος ἀστρόλογος, ὃς ἐπιστήμης ἕνεκεν τὸν οὐρανὸν αὐτὸν φέρειν πεφήμισται: *Atlas Promethei frater optimus Astrologus, qui scientiæ causa Cœlum ipsum ferre vulgò dictus est.* De Epimetheo idem: Ἐπιμηθεὺς τὴν μουσικὴν ἐξεῦρε: Epimetheus Musicam adinuenit.

TITVLVS XX.

Sambetha Sibylla.

NEque hæc omittenda, quam faciunt vxorem Iapeti, & Sibyllam, quæ in Sibyllinis ψευδωνύμοις vnà cum viro se in Arca fuisse gloriatur.

Ὡς γενεῆς ἐκ τῆς πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα
Ἧς ἔτυχον, μετέπειτ' ὅτε ἐκφυγον αἰπὸν ὄλεθρον
Πολλὰ κλοδωνηθεῖσα ἅμ' ἐμῷ πόσει, ἠδ' ἀδελφοῖσιν,
Ἠδ' ἑκυρῷ τ' ἑκυρῇ ὁμονύμφοις τε παθοῦσα.

O Æui sexti primum genus! o bona sæcla,
Quæ sortita fui, postquam discrimina mortis
Effugi, iactata meo cum coniuge, & unâ
Leuiri, & ipsorum vxores, socrusque, socerque.

Nec mirum esset Græcè scripsisse, post linguas Babylone confusas diu superstitem; nam septingentos annos vixisse perhibetur, nec incredibile carminis Heroici tam veterem fuisse vsum, cùm ante diluuium Poësis in maximis hominum delicijs fuerit, quam Noëma, siue Bat-henos Noë vxor dicitur inuenisse. Etsi non sum nescius apud Methodium Poëseos auctorem scribi malum Genium; sic enim narrat. Ἰουβὴλ, ϗ Θουλουσιὴλ τέκνα Λάμεχ. ὧν κατακυριεύσας ὁ Διάβολος ἐτροπόσατο αὐτοὺς εἰς τὸ πᾶν εἶδος μουσικῶν κατασκευάσαι: *Iubel, & Thulusiel filij Lamech, quos inuadens malus Dæmon effecit, vt omne genus musicorum pararent.* Sed fortè lasciuior poësis, ac vanior ad hos refertur auctores; sanctior ad Sethum, atque Adamum. Denique videtur Sibylla Genebrardo Sambetha nomine vocata: nec dubitat, *scripsisse quædam ante Saturni tempora, quæ seruituti Ægyptiacæ, & liberationi respondent, nam lib.* 1. *Oraculorum Sibyllinorum de Titanibus vaticinatur: libro autem* III. *& enarrat, & vaticinatur. Denique sub senium se scripsisse ipsamet profitetur libro septimo.* Idem huius ait esse de Christo vaticinia, quæ Theophilus, Lactantius, atque alij celebrant: & quæ Paulus legi iussit apud Clementem.

Ti-

TITVLVS XXI.

Academia Syriaca sub Sem, qui & Melchisedech.

שם ובית מדרשו

SEM, Noæ filius illustris, & sapientiæ, & probitatis Heros, difficilem nobis, ac multiplicem affert quæstionem. Cùm enim is idem fit, qui Melchisedech, vt non improbabilis opinio apud Christianos, certa verò apud Hebræos, atque indubitata traditio fert, venit in mentem id, quod Paulus ad eosdem Hebræos cap. v. v. 11. scribēs insolito genere sermonis in hæc verba dixit: περὶ οὗ (Μελχισεδὲκ) πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος καὶ δυσερμήνευτος λέγειν, ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς. καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. *De quo* (Melchisedech) *nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cùm deberetis Magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.* Quibus verbis Hebræos iaguens, qui de Melchisedecho plurima traditione maiorum accepta differerent, nihil autem eorum intelligerent, quæ docerent; simul indicat habere se in arcanis, quæ de eo multa, & magna proferret. Nos verò antequam de ijs, quæ Semus scripta reliquerit, aut scribenda tradiderit, pro huius instituti ratione dicamus, nonnulla de viri nomine, ac loco inter Noë Liberos præmittemus. Vter natu maior Sem, an Iaphet, non longè ante quæsitum est. Dictumque Hebræos facilè prærogatiuam ætatis Iapeto concedere, vt Semo prærogatiuam gloriæ largiantur. Quippe quò hic natu minor, eò pulchriùs fratri esse prælatum, & Benedictionem à Parente retulisse. Verùm, vt dixi, nostri id

Theologi negant secuti Augustinum libro XVI. de Ciu. cap. 11. quibus libentèr, ac meritò assentimur. Num verò idem Sem, qui Melchisedech? Negant primò qui hunc faciunt è filijs Cham: cuius rei testem anonymum profert Chronicon Alexandrinum. Διηγήσατό τις γέρων περὶ τοῦ Μελχισεδὲκ διαβεβαιούμενος, καὶ λέγων ὅτι ἄνθρωπος ἐστὶ ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Χάμ, εὑρεθεὶς δὲ ἐν τῇ φυλῇ αὐτοῦ ἅγιον γέννημα εὐαρέστησεν τῷ θεῷ· καὶ μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐκ τῆς ἰδίας αὐτοῦ γῆς εἰς τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, καθ' ὃν τρόπον τὸν Ἀβραὰμ ἐκ τῆς χώρας τῶν Χαλδαίων μετέθηκεν: *Narrabat quidem Senex de Melchisedecho asseuerans, ac dicens eum fuisse virum è familia Cham, qui, cùm in sua familia sanctum germen esset inuentus, placuit Deo: transtulitque illum Deus ex propria sua regione in eam, quæ trans Iordanem est; quemadmodum est ab eodem translatus Abrahamus è Chaldæorum regione.* At Glycas, & Cedrenus Ægyptium illum faciunt, sed ab Ægyptiorum Rege natum. Contrà Epiphanius Sidone ortum putat, Hæresi LXVI. non tamen abnegat è Stirpe Chami fuisse; nam & Chana natum facit: vti & Hyeronimus epistola ad Euagrium. Alijs placet Herculis, & Astaroth filium dicere, vt idem tradit Epiphanius, Hær. LV. Secundò id negant, qui volunt huius viri aut penitus ignotam genealogiam esse debere; aut prorsus nullam. Penitus ignotam esse contendit Theodoretus quæst. LXIII. in Genes. ex Paulo, qui eum vocat *Sine patre, sine matre, sine Genealogia.* Prorsus nullam putabant, qui Melchisedechum Spiritum Sanctum esse dicebant Hæretici ab eo dicti, & qui Angelum somniarunt Origenes, ac Didymus. Verùm hæc obstare non puto, quominus probabile iudicem, Melchisedechum esse ipsum Semum filium Noæ. Quod primum suadet auctoritas veterum: Ionathan F. Uzielis, qui ante Christum scripsit, in Targum Geneseos XIV. u. 18. sic scribit: *Melchisedech fuit Sem filius Noe Rex Hierusalem.* Sed huic testimonio multùm derogat, quod hoc Targum in Pentateuchum creditur non esse Ionathanis. Alterum Targum Hierosolymitanum ibidem. *Melchisedech Rex Salem is erat Sem ille magnus, quibus accedens Rab: Salomo ait. In Medras, idest veterum commentarijs dicitur*

idem

idem esse Melchisedech, & Sem Filius Noë. Hebræorum hanc traditionem non reijcit Hieronymus Epistolâ ad Euagrium, & sequuntur Isidorus, libro de vita, & morte Proph. c.v. Rupertus Abbas lib.v. de Trin.& in Genesim c. XII. Villalpandus in Ezechielem tom. 3. p. 1. lib. 1. cap. 12. Tum plurimi Interpretes in Geneseos XIV. Abulensis, Caetanus, Lipomanus, Lyranus. Deinde non incommodè ratio id suadet. Nam constat Semum Abrahamo superstitê fuisse. Extat Genes.XI.à versu 10.vsq;ad 26.series annorum, quibus à Sem ad Abrahami mortem tempora censentur. His constat Semum vixisse annos sexcentos; eius autem anno trecentesimo nonagesimo natum Abrahamum, qui cùm annos vixerit CLXXV. consequens est, vt anno vitæ Semi D.LXV. mortuus sit, atque adeò quinque ac triginta annos superfuerit Semus Abrahamo: quòd cùm ita sit, credibile est, non alium fuisse, qui Abrahamo, decimo ab se, occurrerit, & cui iure gentilitio decimas persoluerit Abrahamus. Neque tam facilè Deus tantum virum, ac fidei parentem passus esset alteri succumbere, aut ab altero benedictione augeri, quàm ab eo, qui primariam illam Generis Humani benedictionem ex Noë Parente sortitus fuerat. Proinde ad seriem rerum, ac Diuinæ Prouidentiæ concinnitatem, & cohærentiam facit, vt Semus fuerit Melchisedechus. Nec mirum videri debet eum nomen mutasse; nam *Sem* nihil aliud Hebraicè est, quàm *Nomen*. Quæ appellatio tot iam hominibus aucto orbe terrarum videri poterat parum apta, cùm nemo esset, quin vocari posset hoc nomine. Vel fortè à nouo Regno nouum nomen accessit *Melchisedech, idest Rex Iustitiæ*. An verò Salem ab eo condita fuerit Hierusalem, cùm id Hebræorum, ac Nostrorum plerisque persuasum sit, moneo tamen Chronicon Alexandrinum dicere, eo nomine censeri Villulam, quam se vidisse Auctor affirmat, & cuius olim ille Rex fuerit. Enituit in eo quoque liberalis in homines Numinis indulgentia, quòd Semum quingentis annis voluerit superstitem esse diluuio, quo tempore quæcumque à maximis generis hamani præceptoribus ante diluuium, & eorum celeberrimo Noë didicerat, hominibus tradere potuit. Itaque con-

stituta Vrbe Hierosolyma (sequimur enim plures, ac meliores) in ea velut arcem Sapientiæ, ac Religionis, erexit. Ac Martyr Ignatius quidem Epistolâ ad Philadelphienses tradit Melchisedechum cælibem, ac Sobolis expertem vitam egisse. Paulus quoque eum, velut nulla Prosapia nobilem describere videtur. At Paulus nil aliud notat, quàm non fuisse Melchisedechum ex stirpe Aaronis; quòd eo loco animaduertit Euthenius. Alludit autem ad Hebræorum morem, apud quos Sacerdotium capessere non licebat, nisi quis prius exhiberet *Iachus*, idest libellum suæ prosapiæ indicem, quo se stirpe maternâ, ac paternâ ortum è filijs Aaronis ostenderet. *Atqui*, inquit Paulus, *Melchisedechus Sacerdos tantùm nullam sui Sacerdotij profert eiusmodi probationem*, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Itaque hoc nihil obstat, quominus credatur hic Semus fuisse. Neque verò obstat Ignatius, nam & hic nihil aliud notat, quàm Melchisedechum, ex quo Sacerdos, panis, & vini oblator inducitur, nullius Sobolis parentem in sacris litteris exhiberi. Sanè verò credibile est, eum extrema iam ætate desijsse Liberis operam dare, vt Sacerdotij Christiani hac quoque ratione præiret cælibem castitatem; interea dum noua quotidie discipulorum gignit examina, nequaquam illum è Sapientiæ coniugio edita prole caruisse. Tribuuntur autem Semo, & Melchisedecho hæc maximè

Tradi-

קבלה	1	Traditio Theologica.
עבודת הקודש או כהונה	2	De Ritu Sacerdotali.
סדר העתים	3	De ratione Teporum.
נבואות	4	Prophetiæ.
פילוסופיא	5	Philosophica.
משפטי מלכות	6	Politica.
תקנות	7	Leges.
מזמורים	8	Psalmi.
ספר רפואה	9	Liber de Medicina.

I. TRaditio Theologica Semum agnoscit Auctorem. Huic enim Noë tradidit quicquid à Maioribus de Deo acceperat, quòd Benedictionis nomine significari Hebræi putant. Nec dubium quin grandis ille sermo Pauli huc tenderet, vt quæ Melchisedech Abrahamo de Christo maximè tradiderat, ea Hebræis in medium reuocaret, sed res erat ἀνερμήνευτος, tum ob rei sublimitatem, tum quòd adhuc imbecilliores Hebræi non libenter audituri essent, Abrahamum à Melchisedecho ea Theologiæ

arcana didicisse, quæ ad Christum spectarent. Sequens verò noster sermo pluribus locis ostendet, Heberum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Semi, seu Melchisedechi fuisse discipulos. Minimè tamen hìc silendum, Hebræos dicere Semum ante diluuium Mathusalæ magistro operam dedisse annis LXXVIII. Sic enim Rab. Eliezer in capitulis scribit. Adde, quòd Phænices Theologorum antiquissimi, suæ totius disciplinæ primum auctorem *Zedechum* nominabant, vt scribit Eusebius lib. IX. de Præpar. haud dubio hoc nomine Melchisedechum intelligentes, idest Regem Zedechum.

II. DE *Ritu Sacerdotali* præcepta dedit Sem, Noæ Filius. Hebræorum opinio est, Semum obtulisse sacrificium illud, quòd narratur Noë obtulisse. R. Ghedolias: *In exitu ex arca Noë à Leone ictus eum occîdit, quare cruentatus minùs erat aptus offerendo sacrificio: proinde obtulit Sem eius loco*. Fabula profectò. Celebrior est eorum sententia, qui dicunt Melchisedechum tradidisse Abrahamo ritum sacrificandi, totamque Religionis, ac Rei sacræ diuinitùs acceptam disciplinam, ex qua postea legatur Abrahamus victimas immolasse. Alij verò putant, eum diuinitùs accepisse legem ante Moysem. *Berescith Rabba sect.* XLII. *Melchisedech dictus est quasi* מצריק, *quòd eos, quibus præerat, iustos redderet. Vocatus est etiam Adoni Zedech; Hierusalem autem dicebatur Zedech; idest Iustitia, ex quo dictum est: Iustitia habitabit in ea: Vocatus est etiam Melchisalem, idest Rex pacis, vel certè Rex perfectus: Hic obtulit panem, & vinum; nam docuit Abrahamum Quæstiones, Ritusque Sacerdotij Magni. Quòd enim panem dicit, intellige panem Propositionum, & quòd ait vinum, intellige vinum Libaminum, Magistri nostri dixerunt: Legem Moysis ostendit illi*. Hæc Traditio.

III. DE *Ratione Temporum* scripsisse, vel tradidisse dicitur Semus. Huic enim Noë tradidit, quæ ab Henocho didicerat. Notatu dignus est locus in capitulis R. Eliezeris cap. 8. vbi de doctrina temporum ab Adamo accepta disserens

ait:

ait: *Noë tradidit illam Semo, is ingressus est arcanum intercalationis, & anni rationem dispunxit; atque ideò vocatus est Sacerdos; quamquam Sem filius Noe, etiam aliunde erat Sacerdos, quia Primogenitus; eratque die, ac nocte sacris operans. Vnde & scriptum est, & Melchisedech Rex Salem, &c.* Hæc R. Eliezer, quibus & Semum vocat primogenitum, contra quam reliqui Hebræi sentire videntur, & scribit: Ideò vocatum esse Pontificem, quia intercalauit annum; id enim constat proprium fuisse Pontifici.

IV. **P**Rophetia quoque Semo attribuuntur, atque ille haud dubiè Propheta suorum temporum fuit maximus. Neque enim casu aliquo occurrit Abrahamo, sed eum adfuturum antè diuinitùs edoctus. Centum à diluuio annis elapsis cæpit Prophetam agere; cùm scilicet in pristina vitia relapsus Orbis, iram Dei rursus irritaret. *Tana R. Eliæ*, ex quo *Ialkut* sectione *Balak*: *D. O. M. loquutus est cum Sem. Ecce decem Generationes transierunt ante diluuium, quas ego deleui, & quid profuit deleuisse? Age Tu, assume Prophetiam, & prophetas, si fortè suscipiant legem meam. Et prophetauit Sem annis CCCC. & non receperunt ipsum. Post quem missi sunt Eliphaz Themanites, & Baldach Suchites, & Sepher Netmathites, & Eliu Buzites, & Iob Husites, & Balaam.* Quid vaticinatus sit de Regnis Assyriorum, & Ægyptiorum in epistola ad Nembrothum, dicam postea.

V. **P***Hilosophiam*, rerumque cœlestium non modò traditam à Parente notitiam, sed etiam sua partam industria, transmisit ad posteros. Methodius. Σὶμ δὲ ὁ υἱός Νῶε εἰσῆλθεν εἰς τὴν Ἑώαν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης τὴν ἐπιλεγομένην ἡλίου χώραν, ἐν ᾗ ἀνατολὴ τρίτη τοῦ ἡλίου, καὶ κατῴκησεν ἐκεῖ; ἔλαβε δὲ χάριν παρὰ θεοῦ σοφίας, καὶ ἐφεῦρε τὴν τέχνην τῆς ἀστρονομίας: *Sem verò filius Noa ingressus Orientis transmarinam regionem, quæ vocatur Solis regio, vbi, & Solis tertius est ortus, illic habitauit. Accepit autem à Deo gratiam sapientiæ; & inuenit Artem Astronomiæ.* Quid sibi vult *Regio trasmarina Orientis?* An hæc *Iapon Insula?* Certè Iapon Indigenarum lingua vocari dicitur *Solis In-*

Insula, vt nomen quoque consentiat. Sed quod addit inde tertium Solis exortum esse, puto mendum esse Librarij: πρώτη scribendum, idest *Prima*, vbi est τρίτη, idest *Tertia*. Sunt qui Samios, & Samanes, & Semones à Semo dictos, putant nomina fuisse Sapientium, qui traditam à Maioribus Semi disciplinam sectarentur. Inde Pythagoram gente Phœnicem, à disciplina Samium vocatum, & Græcos postea omnis barbariæ antiquitatis ignaros cognomen in Patriç argumentum vertisse. Samanes Indorum Sapientes vocati. Semones in Italia Heroes. Tenuis est quidem coniectura; sed vtcunque rebus antiquis non contemnenda. Numen Italiæ vetustissimum est *Semo*, vel *Semopater*, qui, & *Sancus*, & *Sanctus*, & sanciendorum Fœderum, ac Sacrificiorum arbiter putabatur, ac præses. Ecquid audaciâ peccauero, si suspicer, quemadmodum ex Noë Ianum factum credunt, ita è Semo Numen hoç extitisse, quandoquidem is Sanctus, & fidei, ac pietatis in Parentem seruator, & Sacerdos fuerit? Notus lapis Romę in Insula Tyberina, in quo scriptum SEMONI SANCO DEO FIDIO. Nam quòd *Semonem dictum* quasi Semi-hominem putant, nimis coactum est; & parum consentaneum huius Nominis dignitati.

VI. Politicis haud minùs, quàm reliquâ Philosophiâ Semum excelluisse constat. Primus enim optimam Reipublicæ formam inuenit, vt Regnum Sacerdotio temperaret, vt apud Maronem ille Rex Anius, Rex idem hominum, Phębique Sacerdos. Methodius scribit, Nembrothum ex disciplina Semi regnare didicisse, qui primus imperium obtinuisse fertur. Cùm enim de Semi sapientia dixisset, addit: πρὸς τοῦτον κατῆλθε Νεμβρὼδ, ὃ αὐτὸς πρῶτος ἐβασίλευσεν ἐπὶ τῆς γῆς: *Ad hunc* (disciplinæ causâ) *venit Nembroth, & ipse regnauit primus super terram*: & postea: ὃ μετὰ τοῦτο ἐποίησαν οἱ υἱοὶ χάμ βασιλέα ἑαυτῶν, οὗ τὸ ὄνομα Πομπίν. Ἔγραψεν οὖν ἐπιστολὴν Σήμ πρὸς Νεμβρὼδ, ὅτι ἡ βασιλεία τοῦ Ἰάφεθ αὐτὴ μέλλει ἐξαλεῖψαι βασιλείαν τῶν τέκνων χὰμ; αὐτοὶ γὰρ βασιλεῖαι ἀνεδείχθησαν ἐπὶ τῆς γῆς, εἶτα ἔμαθον πάντα τὰ ἔθνη καθίσαι βασιλεῖς: *Post hæc verò etiam Filij Cham* (idest Ægyptij, hoc enim loco *Cham* nomen Ægypti est

ex Plutarcho de Iside, non minimi natu filij Noæ; nam Nembroth quoque filius erat Chami) *fecerunt sibi Regem, cui nomen fuit Pompio; scripsit igitur Semus epistolam Nembrotho, indicans fore vt Regnum Iapheth* (ex quo Macedones, & Romani) *auferret Imperium filiorum Cham* (ex quo Assyrij, & Ægiptij). *Namque hæc Regna in Terra vigebant; hinc omnes Gentes sibi Reges constituere didicerunt.* Ex eo verò, quòd Semus Nembrotho amicus fuisse dicitur, Hebræi factum putant, vt familia Heber, quæ in Semi posteritate primaria erat, inter Assyrios, atque in ipsa Nembrothi Regia versaretur, ex qua postea natus est Abrahamus.

VII. Leges à Melchisedecho, seu mauis Semo, Generi humano primùm statutas Hebræi dicunt, post Noæ patris pauca illa præcepta. Semus itaque leges primus instituit, quibus cùm cęteri mortales ex eo propagati, tum Hebræi maximè vsque ad Moysis ætatem vsi sunt. Hinc vbi de Tamaris lapsu, quem Judas incendio vindicandum censuit, agitur, Hebræi dicunt, Semi lege constitutum id esse supplicium. Rab. Abraham Zachut. בית דינו שלשם גזרו על הזנוח שנ׳ ויאמר יהודה הוציאוה ותשרף *Concilium Semi legem tulerat de mulieribus impudicis: huc pertinet illud: & dixit Iudas, educite illam, vt comburatur.* Hinc plurimarum ille vrbium Conditor, & Institutor est habitus non modò in Syria, sed etiam in Africa, atque Europa, nam in Lybia vrbem *Septam* dicitur condidisse. Zemach Dauid initio 11. partis: *Sem filius Noę condidit vrbem, cui nomen est Septa, quę sedet ad mare, quo distinguitur Africa à Bætica.* Quin etiam in Italia Salernum vrbs antiquissima gloriatur se conditam à Sem Noæ filio, idque in quibusdam, quos vetere instituto illa vsurpat Ecclesia, hymnis habetur. Nomen vrbis antiquum erat Sale, ex quo Salernum vsitata olim terminationę factum est. Sic Priuernum, Cliternum, Auernum, Amiternum, Falernum. Quare vrbs hæc Sale dicta videtur eodem nomine, quo Salem, quæ & Hierusalem ab eodem conditore. Obseruo non procul inde antiquissimam vrbem Dicæarchiam, ex qua Sinus quoque

ille Dicæarchæus dicitur extitisse, à Samijs conditam, vt aiunt; quod si nomen hoc non Samum insulam spectaret, sed Semum, qui est Melchisedech (nam Semus Doricè Samus dicitur) crederemus Hebraicum nomen hoc Melchisedech, Græcè dictum esse Dicæarchum; nam vis nominis respondet aptissimè: quando *Dicæos*, *Zedech*; *Archos* verò est *Melech*. Neque alius profectò est Zedechus ille, quem Syri, atque Phœnices auctorem legum suarum celebrant; qui & Iupiter vocatur. Quin, & Iouis stella non aliter Hebraicè dicitur, quàm Zedeck צדק: inde etiam geminos illos Iouis filios Castorem, & Pollucem Διοσκούρους filios Zedeki, dixere Phœnices, allegoriam secuti. Nec putò aliunde factum, vt prima legum adinuentio ad Iouem referretur, vt Cicero l. 1 de legibus eam originem huc referens dixerit: lex vera atque Princeps apta est ad iubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Iouis. Homerus quoque Reges Iouis filios appellat, aut ab Ioue nutritos; Διοτρεφεῖς Βασιλῆας.

VIII. PSalmos Melchisedecho tribuunt Hebræi in *Baua Bathra cap. 1.* atque illum in primis (vt explicat R. Salomo) qui incipit: *Dixit Dominus Domino meo*, quod videtur ab ijs excogitatum ad eludendum Christi argumentum, quo manifestè euicit, Christum esse Deum, ideo quòd Dauid eum vocat Dominum. Huic enim argumento parant eiusmodi responsionem: non esse, qui loquitur, Dauidem, sed Melchisedechum, & hunc de Abrahamo loqui, eumque Dominum vocare. Sed primùm, cur Melchisedech vocat Dominum Abrahamum, à quo decimas exigit, cui benedicit, qui etiam, vt Hebræi dicunt, eius nepos est ab eo decimus? Deinde, si de Abrahamo loquitur, quorsum illa: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?* aut illud? *Ex vtero ante Luciferum genui te?* siue, vt Hebraicè nunc est: *Ex vtero ante Auroram ros infantiæ tuæ?*

IX. LIber de Medicina extat Semi nomine in Bibliotheca Bauarica hac inscriptione ספר רפואות אשר העתקו חכמים הראשונים מספר שם בן נח *Liber*

medicamentorum, quem transtulerunt Sapientes antiqui ex libro Semi filij Noe. Sanè verò credibile est, Semum inter cætera artem quoque medendi à Noe parente didicisse, nec Regem dedecebat ea disciplina; cùm potiùs Regum ea fuerit olim peculiaris, & propria; vt illud indicio est: *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis: nolite constituere me Iudicem Populi.* Isaię 111. v. 7. Tanquam nemo Princeps constitui soleret, nisi idem valeret arte medicinæ, qui est Persarum, Indorumque mos: & apud Homerum Telephus Podalirius, & Machaon Reges, & medici satis ostendunt, haud dubium quin idem hic sit, quem Sadochum, vel Sadycum Phęnices nominant, idest Iustum. Auctor vitæ Isidori apud Photium, de Phænicum antiquitatibus agens: Σαδύκῳ ἐγένοντο παῖδες, οὓς Διοσκόρους ἐκάλουν, ἢ Καβείρους; ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔρμυνος, ὃν Ἀσκληπιὸν ἑρμηνεύουσιν: *Sadyco filij nati, quos Iouis filios, & Kabiros, seu Potentes vocarunt, è quibus octauus fuit Ermunus, quem Esculapium interpretantur.* Posteà subdit: τὸν Ἔρμυνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν: *Ermunum octauum interpretantur,* Hebraica scilicet origine שמונה addito א, אשמונה Vides vt Melchisedecus Medicus, & Esculapij fuerit Pater.

Disciplinæ, & Scripta Phęnicum, & Syrorum.

Videbor instituto defuisse, nisi hoc monuero, disciplinas, & scripta Phænicum, & Syrorum Hebraicæ esse originis. Nam semel constituto Hebraicam & linguam, & institutionem fuisse, qua genus humanum ante diluuium, & vsque ad Turris ędificationem vixit, quoties in linguam, disciplinamue incidimus, quæ sit Hebraicę affinis, eam inde haustam non temerè affirmamus, id quod hoc loco de Phænicum, & Syrorum lingua, ac disciplinis indicare æquum est, quòd ea omnis à Semi institutione manarit, ac semper Hebraicis coniunctissima fuerit; adeò vt affinitate decepti plures ex antiquis Hebræorum, quos ignora-

bant loco, Phænices, aut Syros nominarint, vt Josephus in libris contra Appionem indicauit. Primum igitur constat Syros dictos à *Tzur*, צור quod nomen vrbis in ea Prouincia primariæ fuit, quę Gracè Tyrus vocata est. Distinguendæ enim genti à ciuibus huius vrbis id factum est, vt Ciuitas eliso sibilo sic vocaretur, ac si *Tur* diceres. Gens verò rursus excluso T diceretur à Zur: ita Σύρος, ac Τύρος ex eadem sunt voce. Phænices verò (qui & Pæni, & Punici) vnde dicantur, cùm plures esse possint verbi origines, diuinare non ita facilè est. Josephus Scaliger idem esse nomen admonuit Phænicis, & Phinea, quod Hebraicè פנחס scribitur, vocalibus enim elisis, quarum nulla ratio habetur in linguis Syriacis, remanent quatuor literę P, N, C, S, ex quibus *Phænix*, & *Punicus* fieri potest. At *Bereschith Rabba* vetus liber Phęniciam vocat פנוקיא *Penukia* Sect. xci. tanquam à verbo פנק deducta voce, quod significat affluere delicijs, id enim Tyriorum, atque Phęnicum proprium. Putabam etiam non malè id nomen à פנקס deduci posse, quod verbum mercatorum rationes, ac libros, quibus hæ continentur, significat; Phænicum enim gentilis, ac propria olim mercatura. Quàm verò lingua Phęnicum Hebraicę sit affinis, & cognata, vel ex nominibus, vocibusque ijs discimus, quas Eusebius affert, atque interpretatur lib. ix. de Pręp. c. 4. è quibus hæc sunt.

Phæ-

Phænicia.

צופי שמים	Zophæ Samin
בעל שמים	Baal Samin
מצור	Mesor
צדק	Zadek
עליון	Elion
גביר	Gabiri
דוגן	Dogan
אדון	Adon

2. Deinde ex nominibus Regum, qui Tyri regnarunt, quorum aliquot ex Menandri Ephesij Historia, ordine hæc sunt Hebraicæ originis:

אביבעל	Ἀβίβαλος
הירם	Εἴρωμος
בעלבצר	Βααλβάζερος
עבדעשתרות	Ἀβδάσταρτος
עשתרת	Ἄσταρτος
עשתראמן	Ἀστάρυμνος
פלא	Φίλης

Ad-

Adde hìc, quæ in vita Isidori Photius Num. cc. xlii. Φοίνικες, ὁ Σύροι τὸν Κρόνον Ἠλ, ὁ Βὴλ, ὁ Βολάθην ἐπονομάζουσιν: *Phœnices, & Syri Saturnum El, & Bel, & Bolathan nominant.* Ex quibus illud Bolathes Hebraicè est בעל עת *Dominus temporis*, Saturni propria appellatio. Postremò ex celeberrima literarum origine, & nomenclatura, quas cùm constet ad Græcos à Phænicibus esse delatas, cùmque eorum Græca nomina Hebraica sint, negari non potest Phænices Hebraicæ esse originis. Atqui Phænicum, & Syrorum cùm infinita olim scripta, tum ferè innumera fuere præclara inuenta. Præcipuè tamen gloria Theologiæ, ac Scientiæ Sideralis. Cùm enim eorum alij domi desiderent, alij agendarum opum gratià nauigarent, illi rerum diuinarum contemplationi vacantes Theologiam extulere, hi partim necessitate, partim voluptate, dum nauigant, noctu seruantes astrorum ortus, & occasus, scientiam sideralem excogitarunt. At de hac Plinius lib. v. *Ipsa Gens Phænicum in gloria magna*, inquit, *literarum inuentionis, ac siderum*. Theologiæ verò traditæ maior gloria. Hanc primus apud Phœnices Zedekus, Eusebio veterum dicta referente, dicitur tradidisse, quæ filij eius septem, literis commendasse dicuntur historicè; hos verò septem filios vocatos esse Kabiros. Quo suspicari licebit ex ijs fuisse duos illos, qui Samothracum antiquissima Sacra instituerunt, & nomen ipsum Samothracum à Semo, ac Thara posse deduci. Thaionis postea filij, quæcumque à Kabiris historicè dicta erant ad allegoriam, & fabulas transtulerunt, quibus omnia obscuriora sunt reddita. Post hos Taautus, quem Æpyptij Thoyt nominant, eam diligentiùs explicatam reddidit clariorem. Sequuti magno numero Interpretes, inter quos Surmobolus adeò excelluit, vt vocatus sit etiam Deus. Mulier etiam fuit quædam Thurrha, Græcè Chrysartis, quæ ab hoc secunda est habita. Tertius verò Sanchoniathon, è cuius libris multa decerpit Porphyrius. Epies Theologiam Phænicum communicauit Ægyptijs. Postea Malchas Propheta, qui & Cleodemus, claruit: exinde Pherecydes: postremus Pythagoras.

Aca-

TITVLVS XXII.

Academia Hebraica sub Heber.

עבר ובית מדרשו

HEber, vt nominis, ita gentis, ac disciplinæ Hebraicæ primus conditor nominari iure posset. Hic à Semo Theologiæ auitæ traditione accepta, vt Hebræi scribunt, publicæ institutioni vacauit. Hinc *Berescith Rabba* sect. lxIII. in illud Geneseos: *Iacob autem vir simplex* (Hebraicè תם *Perfectus, & omnibus numeris absolutus*) *habitans in Tentorijs*. Explicant, quæ huiusmodi Tentoria fuerint שני אהלים בית מדרשו של שם ובית מדרשו של עבר *Duo Tabernacula erant, Academia Semi, & Academia Heberi*, in quibus scilicet Iacob adeò profecit, vt vocari posset vir *Tham*, idest perfectus omni scientia. Huic igitur hæc tribuuntur.

נבואה 1 Prophetia.

חלוקת הארץ 2 Diuisio Terræ.

מסורת הלשון 3 Linguæ Sanctæ Traditio.

I. PRophetam eum fuisse Interpretes passim scribunt, inditio inde sumpto, quòd filio nomen fecerit *Phaleg*; ideò quòd eius tempore diuidenda esset humani generis societas linguæ, & habitationis, in plures Linguas, & Prouincias: id quod R. Ioseph dixit, vt refert Seder Olam maior. *Dixit Rab. Ioseph: Propheta magnus erat Heber, quia vocauit nomen filij sui Phaleg, in Spiritu Sancto, sic enim indicatum est verbis: quia in diebus eius diuisa est Terra*. At R. Abraham Zechut alias quoque cau-

causas huius affert nominis in libro Iuchasin: *Vocatus est etiam Phaleg, ideò, quia ab eius tempore diuisæ sunt vitæ hominum, & cæperunt viuere non integram, sed dimidiam priorum vitam. Hinc ipsemet Phaleg mortuus est in medio vitæ Heber parentis sui. Nihilominus Sem filius Noe vidit generationes XII. & peruenit ad annum L. Iacobi. Heber verò eius pronepos vixit vsque ad annum septuagesimum nonum Iacobi*. Eugubinus in Genesim scribens de Phaleg: *Quoniam*, inquit, *præclarè de hac re scribitur in libris* Kabbalæ, *idest his, qui de illa magna Synagoga, cuius caput erat Idras, vt quo auctore facta est, conscripti sunt; ipsa verba subscribam ex libro, qui inscribitur Seder Olam*. Putauit librum Seder Olam à magna Synagoga conscriptum esse, & vnum è plurimis illis esse, quos Kabbalistæ iactant à magna illa Synagoga esse conscriptos, quæ aliter habere suis locis docebimus.

II. Diuisio *Terræ* non modò temporibus Heber facta dicitur ab omnibus, sed à quibusdam etiam scribitur ipse eius auctor, ac distributor fuisse. Suidas: Ἑβραῖοι ἀπὸ Ἑβὲρ τοῦ Σάλα, ὃς ἐμέρισε τοῖς ἔθνεσι τὴν γῆν, τοὺς προσοίκους ὀνομάσας Ἑβραίους. οὗτος δ' οὐ συνεπόνησε τοῖς πυργοποιοῖς, καὶ διέμεινεν ἡ διάλεκτος αὐτοῦ ἀμετάβλητος: *Hebræi ex Heber filio Sala. Hic diuisit gentibus Terram, & sibi proximos vocauit Hebræos. Hic non adiunxit operam suam ædificatoribus Turris, quare eius lingua immutata permansit*. Sanè ex veterum traditione indicamus Noë ipsum de Terræ diuisione scriptum Liberis reliquisse decretum, quod cuique obuenire vellet. Verùm quia id post confusionem linguarum, executioni mandatum est, opus erat Interprete ad Noë Patris scriptum intelligendum, quod hæreditate acceptum à Semo Heber obtinebat, neque alius Interpretis munere fungi potuit, quàm hic; qui veteris linguę vsum retinebat; prętereà nouis partitionibus opus erat ob nouas familias exortas. Hebero autem demandatam fuisse Terrę diuisionem, inde etiam fit verosimile, quòd nulla pars Terrę ei dicitur attributa, velut eo se vnum negligente, alij verò sibi delegisse Chananęam, seu Terram Israel putant. Quæ cùm postea occupata esset à Filijs Chanaan,

iustis-

iustissimè eos à posteris Heberi malè occupata Prouincia pulsos fuisse.

III. L*inguæ sanctæ traditio* eidem debetur. Nam quia, vt notat Suidas, & vetustiores Hebræi tradunt, Heber manum, aut consilium non adiunxit insanis molitoribus Turris; hinc pœnæ quoque illis illatæ immunis fuit. Mansit ergo apud illum Hebraica vetus lingua, siue illa ex Heber, siue à Transitu nomen acceperit. Res enim ipsa certior est, quàm nomen. Sed enim Theodoretus quamquam in Syria Episcopus videtur in verbi interpretationem lapsus quæst. 1x. in Gen. dum ait, linguam Hebræam vocatam ex Hebraica dictione *Hebra*, quę significat Euphratem; nisi fortè, quod reor, descriptoris vitio factum est, vt quod Auctor scripserat περάτων exscriberet Librarius εὐφράτων. Nam περάτης idem est, quod Hebręus עברי, atque ita Geneseos xiv. n. 13. vbi nos habemus: Abram Hebręo, Septuaginta verterunt Ἀβραάμῳ τῷ περάτῃ. Sed vt cætera, plurimis adnotata mittamus, illud hoc loco notatu dignum est, quod R. Ghedolias Catenę par. 2. scribit: *Scriptor est quidam Christianus antiquus, Origenes nomine, qui ait descendisse Angelos de Cœlo, qui singulos Familiarum illarum Duces vnum à reliquis diuersam linguam docuerunt: At lingua sancta non fuit pars vllius Angeli, sed ipsius Domini Dei pars fuit. Idem reperies in Targum Hierosolymitano ad ea verba: & diuisit inde. Scribit quoque auctor libri Bachar (R. Elias) in præfatione ad Methurgheman: tempore, quo diuisæ sunt linguæ, relicta esse complura vocabula è lingua sancta in reliquis linguis, & plura in ijs, quæ loco etiam non longè à linguæ sanctæ commercio recesserunt, vt in Syriaca, & Arabica.* Adscribam & quæ de Sortitione linguarum Hebræi scribunt in capitibus R. Eliezeris, & refert Ialkut sect. Noë בדור הפלגה קרא הקדוש ברוך הוא לשבעים מלאכים ואמר להם בואו ובלבל לשונם והפיל גורלות על כל אומה תפל גורלו של הבה על אברהם וזרעו. *Tempore diuisionis (hoc est ætatem*

Turris ædificatæ vocant) *vocauit Deus O. M. LXX. Angelos: Venite, confundamus linguas eorum. Et iecit sortes super singulas gentes. Et sors Dei cecidit super Abraham, & Semen eius*. Alludit ad versum XXXII. Deuter. *Quando diuidebat Altissimus gentes. Pars autem Domini populus eius.*


Indorum, & Sinarum Disciplinæ.

INdorum quoque, & Sinarum disciplinas ad fontes Hebraicos accersere huius instituti fuerit. Nam horum omnium institutio primò à Sem Noæ Filio, necnon ab ipso Noë (qui cùm Dionysius sit vocatus ob vitis culturam, vt posteà dicemus, cùm de Græcis agendum erit, ad Indos profectus dicitur, eosque omni doctrinæ genere excoluisse) postremò ab ipso Hebero, qui vt Hebræorum, ita Indorum fuit, & Sinarum Pater; Hebręi enim ex Phaleg sunt; Indi, & Sinæ ex Ioctan, qui è diminuendo dictus, vt bene Genebrardus ex R. Salomone in I. Paralip. I. *Quasi ex duobus Heberi filijs vniuersa sapientia manatura esset in homines. Diuina per Phaleg, Hebræorum patrem; humana, & philosophica per Ioctan Indorum, & Orientalium genitorem. Unde Brachmanes, & Gymnosophistæ.* Quare & Indorum sapientissimos Hebræos vocauit antiquitas: Hinc Megasthenes apud Eusebium lib. IV. de Pręparatione: *Omnia*, inquit, *quæ de Natura prisci Græci scripserunt, & alij ante ipsos scripserant: nam & Brachmanes apud Indos, qui & Iudæi vocantur, multò prius philosophati sunt.* Quamquam hunc locum aliter Clemens lib. I. strom. citat. Clearchus quoque Peripateticus primo de Somno, & Numenius apud eumdem Eusebium affirmant Indorum Sapientes, qui Brachmanes vocantur, ex Hebręis ortum ducere. Et Clemens Romanus lib. 2. Recogn. eorum disciplinam accersit ex Abrahamo, Petrum inducens, id cap. VII. docentem. Ac sanè Iudaica quędam est, nostro quoque tempore, eius Sapientum gentis superstitio, ne quem tangant, ne cui se misceant; si fecerint, contaminatos se putant, & lustratio-

ne

ne indigentes. Denique ipsum nomen hoc *Brachmanes* si quis diuinare velit, Hebraicum esse potest, siue tu velis eos ex verbo *Barach* deriuare, quòd fugere significat, quòd vulgi consortium fugiant, perinde atque *Pharisæos* dictos putant quidam, quòd se à cæteris separarent, seu lubet potiùs dicere *Brachman*, quasi *Rachman*, additionem vnius Beth ad pleniorem sonum. Est autem Hebræis *Rachman* Vir misericors, & pius, quales Isaiç LVII. vocantur *Viri misericordiæ*: Aut literis transpositis, *Charmanim*; nam Iudæi, Artapano teste, Charmani olim sunt vocati, sed hæc sola, & leui nituntur coniectura. Illud in certis est, Indos magna cum Hebræis affinitate iunctos fuisse. Partim quòd eumdem Parentem habeant cum Hebræis Arphaxad, partim quòd postea Decem Tribus in captiuitatem eductæ inter Indos maximè dispersæ fuerint. Tabulis quidem apud Hebræos pluribus ea est plena narratio, tum in libello Eldad Danitæ, tum apud eos, qui eam è re nata in Commentarijs referunt. Ex quibus R. Ghedolias prima parte Catenæ fol. XXXVI. Sed non proinde res ipsa in dubium venire potest. Reperio primum apud Indos scientiæ Sideralis auctorem tempore ipso Turris fuisse Andubarium quemdam è stirpe Arphaxad. Chronicon Alexandrinum: Ἐν τοῖς χρόνοις τῆς πυργοποιίας ἐκ τοῦ γένους τοῦ Ἀρφαξὰδ ἀνήρ τις Ἰνδὸς ἀνεφάνη σοφὸς ἀστρονόμος, ὀνόματι Ἀνδουβάριος, ὃς καὶ συνεγράψατο πρῶτος Ἰνδοῖς ἀστρονομίαν. *Tempore Turris ædificari captæ, ex genere Arphaxad vir quidam Indus apparuit sapiens Astronomus, nomine Andubarius, qui etiam primus Astronomiam Indis conscripsit.*

Libri Primi Finis.



ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI LIBER II.


PROOEMIVM.



Vndamenta eius in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. *Inter humana, ac diuina ædificia, illud nouimus interesse, quòd humana nihil in fundamentis solent elaboratum, nihil habere pretiosum. Quæ enim occulta sunt hominum oculis, ea ferè homines nihili æstimant. Diuina autem, cùm nihil sit oculis Auctoris occultum, etiam quæ latent, præclara habent, & pretio, atque arte miranda. Sic fundamenta Cœlestis Hierosolymæ Ioannes è lapidibus pretiosis posita diligenter enumerat, & Regius Propheta non silet etiam terrestris illius, quam sibi Regiam ipse delegerat, fundamenta in montibus sanctis fuisse sublimia. Quænam autem hæc fuisse* dica-

dicamus, *nisi Prophetas*, *ac Viros*, *sapientiâ*, *& virtute præstantes*; *nam sicut hi alterum parietem*, *ita alterum Apostoli deinde fundarunt*, *medio lapide Christo vtrosque iungente*. *Vt verè dicamur*, Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo, & angulari Lapide Christo IESV. *Ex collateralium igitur Lapidum pretio*, *atque præstantia*, *quibus Noui Testamenti est inædificata substructio*, *Veteris quoque potest argui pulchritudo*, *quod ita cum Nouo conspirat*, *& congruit*, *vt olim duo Romæ Theatra sunt facta*, *quæ demum in vnum medio cardine librata*, *& suspensa coierunt*. *Ex Angularis etiam Lapidis excellentia*, *quem electum*, *ac pretiosum sacræ literæ appellant*, *huius quoque lateris dispositafundamenta non leuis pretij arguuntur*. Numquid Sion dicet: *siue vt Græca habent*, Mater Sion, dicet: Homo, & Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus? *Hoc est*, *licèt in ea plurimi olim Prophetæ orti sint*, *qui eius Fundamenta dicantur*, *vnum tamen eius est Fundamentum ipsemet Christus*. *Etenim vna est Petra Christus*, *ex qua ipse dictus est Pastor*, *Lapis Israel*. *Fuit Petra Moyses*, *sed quia Virgam Crucis gessit insigne*. *Fuit Petra Aaron*, *sed quia Christi Sacerdotium præsignauit*. *Fuit Petra Iosue*, *sed quia* IESV *nomen habuit*, *& cum nomine munus populi ad regna ducendi*. *Et ille erat Petra*, *qui dicebat*: Et statuit super Petram pedes meos. *Et omnes Sancti Veteris Testamenti Lapides erant*, *& tamen suos hortabatur Isaias*, *vt à facie iræ Columbæ confugerent*, *Petram ingrederentur*. *Lapides pretiosi omnes muri eius*, *& Turres Hierusalem gemmis ædificatæ olim steterunt*. *Neque enim*, *si duodecim Patriarchæ*, *ob eximia vitæ decora gemmis insculpi meruerunt*, *non id etiam Prophetæ merebantur*. *Sed quis tot gemmarum aut numerum recenseat*, *aut pretium statuat*? *Solus ille nimirum*, *qui earum auctor fuit*: Dominus narrabit in scripturis Populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea. *Ideo nos magnæ nobis felicitati ducimus*, *atque honori*, *quod in huius argumenti scriptionem deuenerimus*, *cuius non exiguam partem Summi Pontifices*, *Reges*, *ac Principes inclyti descripserunt*, *imò quod olim nefas*

erat à quouquam, præterquàm à Sacerdote, vel Rege describi. Neque tamen aut inclytos belli Duces recensebimus, aut Principes enumerabimus regno claros, aut artium ornamenta variarum, aut vicissitudines temporum publicorum, sed in vno sacræ huius Sapientiæ censu, vti cæpimus, persistemus. In hoc enim exordium, in hoc finis totius Hebraicæ gloriæ, potentiæ, maiestatis. Hi Viri Prophetiæ laude præclari cunctis Israelis, atque Hebraici nominis Viris illustribus antecellunt. Hæ Portæ Sion, quibus in eam omnis ingressa est potentia, felicitas, amplitudo. Si peregrinatio Patrum prima regni fecit auspicia, Prophetia deduxit. Si Iosephus è vinculis euocatus ad regnum suis in Ægypto aditum præbuit, Prophetia prouexit. Si Moyses aggressus est populum jugo indebitæ seruitutis eximere, Prophetia perfecit. Prophetia cum Iosue militauit, Iudices armauit in bella, Pontifices instituit, Reges vnxit, Templa construxit, & nihil boni fuit, quod non his Portis exciperetur. Diligit ergo Dominus Portas Sion super omnia Tabernacula Iacob. *Et cùm essent in Vrbe tam multa, ex quibus posset eius nomenclatura constare, ex visione tamen, & contemplatione nomen accepit, vt Sion, & Hierusalem diceretur. His igitur Portis antiquitatum Veteris Testamenti nobis arcana referentur.*



TITVLVS

TITVLVS I.

Prophetæ Israelis.

נביאי ישראל

ANtequam seriem Prophetarum, & eorum scripta exequor, non ab re futurum existimo, si quæ de eorum numero, & classibus varijs Hebræi scribunt, hoc loco adnotem. Inuenio Prophetas interdum vocatos eos tantùm, qui diuina loquerentur ex officio, ac publicè, siue id Numine afflati aggrederentur, seu mali Dæmonis instinctu, seu Marte, ac genio suo. Sic Prophetæ Baalis vocati, & qui aduersus Ieremiam consulunt. Ierem. XXXVI. n. 8. etiam Prophetæ vocantur, & fortè hoc sensu. Hebræi quidam negant Dauidem Prophetam fuisse, vt R. Isaac Abarbinel in *Nechalath Auoth*. Non quod negent eum locutum esse ברוח הקדש *in Spiritu Sancto*. Sed quòd priore hoc sensu Prophetæ vocentur solùm, qui ex officio Concionatores erant, quod munus, ait, publicè non gerebat Rex Dauid. Alter sensus est huius vocis, quo Prophetæ vocantur ij, qui loquuntur *in Spiritu Sancto*, quod est communius. Clemens Alexandrinus Prophetas ait fuisse post Moysem XXXV. lib. 1. Strom. Hebræi verò aiunt, Prophetas Gentium nominari septem in sacris literis, Prophetas verò Israelis XLVIII. & Prophetides VII. Meghilla. cap. 1. *Quadraginta octo Prophetæ, & septem Prophetides Israeli vaticinia ediderunt; & nihil addiderunt, nihil diminuerunt de lege scripta, ne vnam quidem literulam, excepto ritu legendi librum Esther. Præter hos autem alij fuerunt. Quare illud ex lib. Samuel 1. Fuit Vir ex Ramathaim Sophim, R. Abba explicabat; ex Mathaim, Sophim, idest ex ducentis videntibus, seu Prophetis eius ætatis. Quæritur autem quot fuerint Prophetæ Israelis? Tot quot ex Ægypto exierunt: Alij dicunt, duplum;*

duplum, quàm qui ex Ægypto exierunt. Prophetia, quæ necessaria erat ætatibus secuturis scripta est, quæ verò necessaria non erat, scripta non est. Rursum Prophetæ, quorum in sacris literis nominatim mentio est, distinguuntur in eos, quorum scripta extant, & quorum non extant: quorum extant quidem priores, cæteri posteriores vocantur: ex his rursus alij ante captiuitatem, alij in captiuitate vaticinati sunt. Simul omnes enumerantur ab auctore quęstionum maiorum, *siue Halachoth Ghedoloth*, sed duobus omissis, in hunc modum.

אברהם	I	Abraham
ישחק	II	Isaac
עקב	III	Iacob
משה	IV	Moyses
אהרן	V	Aaron
יהושע	VI	Iosue
פינחס	VII	Phinees
אלקנה	VIII	Elchana
עלי	IX	Eli
שמואל	X	Samuel
נר	XI	Gad
נתן	XII	Nathan

דוד	XIII	Dauid
שלמה	XIV	Salomo
עדו	XV	Iddo
מיכיהו בן ימלא בימי אחאב	XVI	Michæas F. Imlæ ſub Achab
עובדיה	XVII	Abdias
אחיה השילוני	XVIII	Achias Silonites
יהוא בן חנני בימי אסא	XIX	Iehu F. Ananiæ ſub Aſa
עזריהו בן עודד	XX	Azarias F. Oded
יחזיאל מבני מתניהו	XXI	Chaziel ex filijs Mathaniæ
אליעזר בן דודו ממרישה בימי יוספט	XXII	Eleazar F. Dodo Moreſites ſub Joſaphat
הושע	XXIII	Oſeas
עמוס בימי יואתן	XXIV	Amos ſub Joathan
מיכה המורשתי	XXV	Michæas Moraſtites
אמוץ	XXVI	Amos
אליהו	XXVII	Elias
אלישע	XXVIII	Eliſæus
יונה	XXIX	Jonas

ישעיה	XXX	Isaias.
יואל	XXXI	Joel
נחום	XXXII	Nachum
חבקוק	XXXIII	Habacuc
צפניהו	XXXIV	Sophonias
ירמיהו	XXXV	Jeremias
אוריה מקריתירים בימי יהויקים	XXXVI	Vrias ex Cariathiarim sub Ioacim
יחזקאל	XXXVII	Ezechiel
דניאל	XXXVIII	Daniel
ברוך	XXXIX	Baruch
נריה	XL	Neria
שריה	XLI	Saria
מחסיה	XLII	Machasias
חגי	XLIII	Haggæus
זכריה	XLIV	Zacharias
מלאכי	XLV	Malachias
מרדכי בלשן	XLVI	Mardocheus Balsã.

Sed

SEd quia huic numero duo desunt, opinatur R. Ghedolias in Catena, eos esse Chanamelem propinquum Jeremiæ, & Sellum virum Choldæ.

Prophetides verò septem hæ sunt:

מרים	I	Maria.	אביגיל	IV	Abigail.
דבורה	II	Debora.	חולדה	V	Cholda.
חנה	III	Anna.	אסתר	VI	Esther.

Et loco septimæ reponunt quatuor Obstetrices Ægyptias, quę in Spiritu Sancto vocatæ sunt vna; inquit R. Ghedolias. Sed de his postea.

Præter hos, plurimos singulis ætatibus Prophetas extitisse, nulli dubium est, quorum numerum cùm nemo inire possit, ad eorum multitudinem ostendendam dictum est (vt supra retuli) eos tot fuisse, quot egressi sunt ex Ægypto, ideſt sexcenta millia. Nec temerè hic numerus apud eos electus est, sed quia sexcenta millia literarum continere dicitur lex, vt Zohar affirmat, idcircò totidem Prophetas fuisse dicunt, velut singularum literarum Interpretes: aut quia duplex Alphabetum Hebraicum erat, quo scripta lex est, alterum Assyriacum, quo Hebræi, alterum Transfluuianum, quo Samaritani vtebantur; idcirco duplicant quidam numerum Prophetarum. Midras: *Centum viginti Myriades Prophetarum erant tempore Eliæ Prophetæ.* Hyperbole est, vt significent plurimos fuisse eo tempore Prophetas, licet Elias dixerit: *Relictus sum ego solus Propheta Domini.* Solus enim erat, qui eo loco publicè veritatem tueretur, interim tum eo loci plures occulti, tum alibi, & maximè in Iudæa manifesti etiam longè plures. Idem R. Ghedolias adnotat discrimen inter נביאי שעה *Prophetas temporarios*, & perpetuos, & horum quidem aut nomina, aut etiam scripta superesse; illorum aut neutrum, aut nomen tantum.

 Ope-

Operæpretium est hoc loco sententias quasdam ex Hebræorum vetustioribus libris desumptas recensere, quæ de Prophetis aliquid peculiare enunciant, quod ipsi de ijs sentiant.

Post Moysem non surrexit Propheta, cui liceret quicquam innouare. Thorath Cohanim אחר משה אין נביא רשאי לחדש דבר

Postquam mortui sunt ultimi Prophetæ, Haggæus, Malachias, & Zacharias; Spiritus Prophetiæ sublatus est ab Israele, etsi postea per Oracula, quæ è cœlo mittebantur dirigerentur. Tractat. Scomachot 5. משמתו נביאים אחרונים חגי מלאכי וזכריה נסתלקה רוח הקדש מש ראלאף על פי שהיו משתמשים בבת קול

Prophetæ non videbant nisi per septem specularia, & sunt qui dicant per speculare impurum. Thorath Cohanim. הנביאים לא ראו אלא מתוך אספלקריאות ויא שראו מתוך אספלקריא מלוכלכת

Futurum est aliquando, ut omnes Israelitæ sint Prophetæ. Tanchuma. לעתיד יהיך כל ישראל נביאים

Quotiescumque ad Prophetæ nomen, additur nomen Patris, tunc is est Propheta filius Prophetæ; secus si non additur, quando ponitur nomen Patriæ, certum est eum illius loci esse ciuem; si nihil additur, Hierosolymitanus est. Meghilla cap. 1. כל נביא שישנם שם אביו בידוע שהוא נביא בן נביא שמו ולא שם אביו הוא נביא ולא בן נביא כל ששם עירו מפרש הרא מאותה העיר ואם לאו הוא מירושלים

Octo Prophetæ vaticinati sunt post primi Templi excidium.

Amos

Amos, *Ioel*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *Eze chiel*, *Ieremias*. Pefikta. שמנה נביאים נתנבאו אחר חורבן הבית ואלוהם עמוס יואל צפניה הגי זכריה מלאכי יחזקאל ירמיה.

Prophetarum, qui de Hierosolymis vaticinati sunt, verba non sunt illustrata, donec venit Ieremias. Berescith Rabba.
כל הנביאי שנתנבאו על ירושלים לא נתבודה נבואתם עד שבא ירמיה

Reliquis Prophetis vaticinantibus obscura erant, quæ vaticinabantur, exceptis duobus Isaia, & Ieremia. Elle Haddabarim Rabba כל הנביאים היו מתנבאים ולא יודעים מה מתנבאים חוץ משעיה וירמיה

Reuelatio fiebat Prophetis iuxta merita Israelis. Mechiltha.
אין הקבה מדבר עם הנביאים אלא בזכותם של ישראל

Spiritus intelligendi, ac prophetandi iis datur, qui discunt, vt faciant; dictum est enim: Tunc intelliges ea. Vaykra Rabba.
הלומד על מנת לעשות זוכה לרוח הקודש שנאמר או תשכיל

TITVLVS II.

Abraham.

אברהם עליו השלום

ABraham, vt Religionis, ita Sapientiæ columen, ac ferè Primus, Antesignanus, ac Parens apud Hebræos vocatur; *Ethan Ezrachites*, aliaque plura obtinet nomina. Pater ei Tharas fuit, quem Zohar ait fuisse Pontificem Maximum Ethnici cultus; addit tamen cum à filio postea edoctum veriorem tenuisse de Deo, ac Religione sententiam. Eius natali die Sidus apparuisse, quod notatum à Sapientibus (è Chami Academia Nembrodi asseclis) scribit Apocryphus liber Iustorum, ex Hebræorum traditione, his verbis: *Nocte qua natus est Abraham, omnes Sapientes Nembrodi, & eius Magi conuiuium celebrarunt in ipsa domo Thare eius patris, quo peracto cùm egrederentur, oculis in Cœlum elatis, ecce tibi Sidus magnum ad Orientem se visendum præbuit. Quod inde excurrens deuorauit quatuor stellas in quatuor Mundi cardinibus, quod illi interpretati sunt de puero recens nato.* Postquam adoleuit, statim Sapientiæ, ac Virtuti colendæ se totum tradidit. Quare cùm in ædificatione Turris videret eos, qui huic labori vacabant, irrito conatu velle Cœlum aggredi, irridebat eorum stultitiam. In Capitulis R. Eliezer hæc scribuntur: *Stetit Abraham, & irrisit eos, & maledixit operi eorum in nomine Dei sui, sicut scriptum est: Præcipita Domine, diuide linguas eorum, sed illis eius verba contemptui, & ludibrio fuerunt, instar abiecti lapidis. Verùm in ijs impletum est id, quod dictum est: lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Pergebat Abraham post linguarũ diuisionem insectari superstitiones, ac vana Cõmenta Chaldæorum, & aduersus eos assiduè differebat. R. Saadias libro, qui *Lapis Philosophorum*

phorum inſcribitur, ſcribit, Abrahami tempore in tres ſectas abijſſe Chaldæos. Quarum prima vnam rerum originem agnoſceret, Solem. Secunda duas: Bonum, & Malum Deum. Tertia tres: Materiam, Formam, & Agentem, ſiue Efficientem cauſam. Contra hos aſſiduè diſputare ſolitum narrat Abrahamum, & ob hanc maximè cauſam ab iiſdem Chaldæis coniectum in fornacem igne ſuccenſam: id etiam ſcribit *Bereſcith Rabba* ſect. XXXVIII. Eum fuiſſe diſcipulum Semi, & Heber, conſtans Hebræorum opinio eſt, ſæpiſſime diſputaſſe eum dicunt, non modò cum hominibus, & cum Aſſyrijs, Chaldæis, & Ægyptijs, ſed cum Dæmonibus, vt in itinere, quo ad immolandum Iſaac proficiſcebatur, in quo ei occurriſſe malum Dæmonem, & longas cum eo diſputationes fabulantur habuiſſe, ſic in Tractatu Sanhedrin, & in Midras. Quin & cum Angelis ſub quercu Mamre; & cum Deo ipſo denique in cauſa Sodomæ, & quatuor Ciuitatum, vt in Baua Bathra, & alibi prolixè narratur. Licèt autem Semi, & Heber diſcipulus fuiſſe dicatur; tamen ab alijs omninò expers magiſtri, ac diſciplinæ omnis traditur, ac prorſus θεοδίδακτος. Sic Ialkuth in Pſalmo n. 702. ait, eum habuiſſe pro Magiſtro Renes ſuos, ſuum ſcilicet ingenium (quod in renibus ſacræ literæ ſtatuunt) Deo illum occultè docente iuxta illud: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum; inſuper & vſque ad noctem increpauerunt me renes mei*. Quid verò Abraham ſcriptum reliquerit, etſi nihil certò conſtat, hæc tamen feruntur.

אלף בית	1	Alphabethum.
מזמורים	2	Psalmi.
תפילת שחרית	3	Preces Matutinæ.
משניות	4	Traditiones.
חזון אברהם	5	Apocalypsis Abrahã.
משא אברהם	6	Assumptio Abraham.
מלחמות המלאכים	7	Pugnæ Angelorum.
יצירה	8	Ietzira, siue Formatio.
על חלומות	9	De Somnijs.

I. HOrum pleraque omnia ficta, apocrypha, suppositicia sunt: *Alphabethum Abrahami*, diuersum ab eo, quo nunc Hebraicè vtimur à Viris doctis memoratur. Sed Suidas eum & literas, & linguam Hebræorum inuenisse dicit: οὗτος εὗρε τὰ ἱερὰ γράμματα, καὶ γλῶσσαν ἐμηχανήσατο, ἧς Ἑβραίων παῖδες ἐν ἐπιστήμῃ ἐτύγχανον ὡς τούτου μαθηταὶ, καὶ ἀπόγονοι. *Hic adinuenit Sacros Characteres, & Linguam adornauit, cuius periti erant Hebræi eius Discipuli, & Nepotes.*

II. P*Salmos*, vt suprà monui, decem Auctoribus Hebræi tribuunt, de qua re scribitur in *Vaykra Rabba*, & refert *Ialkut* in Ecclesiastem n. 976. *Decem filij hominum dixerunt librum Psalmorum, Adam, Melchisedech, Abraham, Moyses, Dauid, Salomo, Asaph, & tres Filij Core.* Omnes Psalmi, qui inscribuntur *Ethan Ezraebitæ*, ab Hebræis tribuuntur Abrahamo, quem vocant hoc nomine. De quo in Dauide.

III. P*Reces Matutinas*, quibus Hebræi hodie vtuntur, Abrahamo tribuunt, Tract. Berachoth. c. 1. sed multò recentioris Auctoris sunt.

Mis-

IV. **M***Isnaioth*, siue *Traditiones Theologicas* Abrahami Veteres citant. Hebræi dicunt מסכת ע״ז של אברהם אבינו ע״ה מאה פרקים היו בה *Tractatus de Cultu externo* (in Traditionibus) *Abrahami Patris nostri centum capita habebat*. Traditiones Patrum eum docuisse Filios constat, non tamen scripto.

V. VI. **A***Pocalypsis Abrahami*, *& Assumptio Abrahami*, Libri, quos Hæretici pro Sacris habebant, re vera ficti, & suppostitij: meminit Epiphanius, & Athanasius in Synopsi.

VII. **D***E pugna inter bonos*, *& malos Angelos*, Liber inscriptus Abrahamo, cuius meminit Origenes Homilia xxxIII. in Lucam, apocryphus & ipse.

VIII. **I***Etzira*, *seu Formatio*, Liber est, Kabbalæ prima rudimenta, & arcana præcipua continens, proculdubio antiquus, vt breuitas ipsa, & stylus docent. Sed non eius antiquitatis, vt possit Abrahamo tribui. Passim adscribitur R. Akibæ: cui sententiæ, quam secutus est Genebrardus, & Capnio lib. II. de Kabbala, non repugno. Non desunt multi tamen, qui tueri velint eum librum revera esse Abrahami, vt eius Interpretes. Extat excusus Venetijs, Sablonetæ, & alibi cum quadruplici Commentario. Mantuæ quoque cum triplici, R. Abrahami Ben Dior, R. Moysis Maimonidis, R. Moysis Botaril. Finis libri est docere, omnia à Deo emanare, quod argumentum ab eo susceptum esse dicunt Interpretes in eum finem, vt Chaldæos oppugnaret, à quibus alia rerum principia ponebantur. R. Abraham Ben Dior ait, huius libri partes esse tres; primam, quę agit de Mundo; secundam, quæ de motu, & tempore; tertiam, quæ de Anima. Quare Symbolũ huius libri ait esse עשן, quæ vox *Fumũ* significat, libri obscuritatẽ, & sublimitatem eâ voce, vt aiunt, indicante; nã singulis literis singulas dictiones significat: ע״, עולם Mundus: ש״ שנה *Annus*: נ״, נפש *Anima*. Exordium librî tale est: בשלשים ושתים נתיבות פליאות חכמה *In triginta duabus*

 portis

portis admirabilibus Sapientia. Quas portas fusè explicat ibi R. Abraham ex libro Iob. Librum hunc non esse Abrahami probare me posse existimo, vel ex eo, quòd inter Dei nomina habeat hoc quoque: *Deus Israel*. Constat autem Abrahamum mortuum multò ante, quam Iacob vocaretur Israel. Sed Hebræi quibus hoc obieci, negabant huic argumento se cessuros, tum quòd Abrahamus Propheta esset, ac nomen imponendum suo nepoti scire potuisset, tum quod ipsemet vocatus esset Israel, vt ipsorum traditio habet in *Berescith Rabba* sect. lxiii. Sed neque hoc facilè credendum, neque illud bene soluitur. Nam hoc Abrahami scriptum Prophetia non est.

IX. DE *Somnijs* librum ab eo scriptum somniare aliqui videntur, occasione somni illius, quo repentè oppressus est, cùm Deo sacrificaret. Gen. xv. n. 12. Quamquàm huius libri ab eo scripti, imò plurium in hoc argumento meminit Suidas, verbo Abraham: ἐκ τούτου δὲ τὰ ὀνείρων βιβλία ἐσφετερίσαντο Ἕλληνες: *Ex hoc & libros de somnijs Græci sibi vsurparunt*. Deinde ait, his libris vsum Iosephum exposuisse Pharaonis somnia, quod & falsum; nam illa diuinitùs intellexit. Cæterùm quàm omni doctrinæ genere præstans fuerit Abraham, neque Hebræi, neque Exteri silent. Exteros affert Eusebius. Ex Hebræis Iosephus ait Theologiam, Astrologiam, Arithmeticam, ac cæteras ferè disciplinas omnes Abrahamum Ægypto intulisse. *Cùm*, inquit, *Ægyptia gens in diuersos ritus, & opiniones scinderetur, & per mutuum contemptum, & irrisionem infensis inter se animis agerent, collisos inter se eorum de Religione sermones, & à seipsis confutatos, vanissimos esse, nihilque prorsus veritatis habere declarauit. Ob hæc in pretio habitus, vt qui magnam tam intelligendi, quàm eloquendi, docendique facultatem præseferret, & Numerorum scientiam, & Siderum benignè illis communicauit. Nam ante Abrahami ad se aduentum Ægyptij rudes erant eiusmodi disciplinarum, quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, ab his ad Græcos tandem peruenerunt*. Berescith Rabba sect. xlix. in illa verba Gen. xviii. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Multa de ijs, quæ Deus Abrahamo

namo reuelauit ex Veterum traditione scribit: inter alia sic Deum inducit loquentem. *Ostendi illi legem, quam daturus sum, & iudicium Sodomorũ non indicabo illi? R. Acha nomine R. Samuel, F. Nachman, qui hoc habuit ex R. Nathan, dixit: Vsque ad leuissimas quæstiones, quæ posteà exagitatæ sunt in lege, Abrahamus sciebat: etiam nomen nouum quod Hierosolymę impositurus Deus erat, vt scriptum est, & vocabitur Hierusalem solium Domini, Abrahamus sciebat. R. Chayn, & Rabbini Thermanenses ex nomine R. Iudæ dixerunt: Nullus dies transit, quo Deus non aliquam nouam quæstionem proponat in suprema illa Academia, & has etiam quæstiones Abraham sciebat.* Pluribus quoque locis dicunt, Abrahamo Deum ostendisse præcipua quæque Hebræis euentura: vt in *Ber. Rabba.* cap. lvi. vbi inter alia dicitur Deus ostendisse Abrahamo Templi ædificationem, ac destructionem, & rursus ædificationem. Meliùs, ac certiùs dicerent, Abrahamo ostensum à Deo Messiam; quandoquidem id tam apertè Messias ipse testatus est: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Mechilta, & refert Ialkut sect. Iethro, ait, Deum ostendisse Abrahamo transitum maris Rubri, legislationem, & statum animarum in Gehenna. *Vaykra Rabba* addit ostensa illi Regna quatuor Asyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, eorum initia, progresiones, casus. *Baua Batbra* cap. 1. ait, Abrahamo Deum concessisse vt adhuc viuens fontem vitæ æternæ degustaret. Abrahamum sedere ad Inferi portas veluti iudicem, & cognitorem causarum traditio Hebraica est in *Berescit Rabba*, & refert Ialkut in psal. n. 773. Alij Abrahamo addunt Isaacum, & Iacobum. Hinc forte Græcis fabula, qua tres apud Inferorum ostia Iudices constituuntur.

Primum ex hominibus Abrahamum Angelos vidisse, quin etiam ignotos omnino priscis hominibus fuisse Angelos, quidam veterum dixere. Iobius Monachus cap. xix οἰκονομικῆς πραγματείας apud Photium: Ἀπὸ τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ μέχρι τῆς Νῶε γενεᾶς Ἀγγέλων φύσις εἰς ἀνθρώπων γνῶσιν οὐκ ἀφίκετο. περίοδος δ' ἂν εἴη αὕτη τοῦ χρόνου πρώτη, οὐ μὴν οὐδὲ κατὰ τὴν δευτέραν περίοδον ἥτις εἰς πυργοποιίας ἀπολήγει τόλμαν. Ἀλλ' οὐδὲ ἡ τρίτη τοῦ χρόνου περίο-

δας τῇ τῶν Ἀγγέλων ἔχει γνώσει σεμνύνεσθαι ἥτις μέχρι τῆς τοῦ Ἀβραὰμ θεογνωσίας παρατείνεται. *A Transgressione Adami vsque ad Generationem Noæ non venit ad hominum notitiam Angelorum natura; atque hæc prima temporis periodus fuerit: neque verò in secunda periodo, quæ in ædificationem Turris finitur audacia; sed neque tertia Periodus temporis Angelorum iactare notitiam potest, quę vsque ad id tempus pertinet, quo Dei cognitionem accepit Abrahamus.* Haud omittenda hoc loco, quæ Clemens velut à Petro accepta de sapientia scripsit Abrahami lib. 1. Recogn. cap. 6. *Hic*, inquit, *cùm vniuersus iterum Mundus diuersis esset erroribus oppressus, & pro immanitate scelerum maturum ei pararetur excidium, non iam per aquam, sed per ignem, cùmque iam plaga, initio à Sodomis sumpto, immineret vniuerso Orbi Terrarum, pro amicitijs, quibus ei erat familiaritas cum Deo, vniuersum Mundum, ne pariter periret, eripuit. Ab initio etenim cæteris omnibus errantibus, ipse, cùm arte esset Astrologus, ex ratione, & ordine stellarum agnoscere potuit Conditorem, eiùsque prouidentiam intellexit cuncta moderari. Vnde & Angelus assistens ei per visum pleniùs eum de ijs, quę sentire cæpit, edocuit. Sed & quid generi eius, ac posteritati deberetur, ostendit, & non tam danda eis hæc loca, quàm reddenda promisit. Igitur Abraham cùm causas rerum desideraret agnoscere, idque secum intensa mente peruolueret, apparuit ei verus Propheta, qui solus hominum corda, & propositum nouit, & omnia, quæ desiderabat, ei aperuit. Diuinitatis scientiam docuit, Mundi originem, finemque pariter indicauit, animæ immortalitatem, viuendi instituta, quibus Deo placeretur, ostendit; resurrecturos quoque mortuos, ac iudicium futurum, bonorum remunerationem, malorum pœnas, iusto cuncta moderanda iudicio declarauit: omnibusque ritè, ac sufficienter edoctis ad sedes rursus inuisibiles secessit.* Hæc scribit Clemens, quæ procul dubio ex Hebræorum hausta sunt fontibus, quisquis ea demum aut scripserit, aut scribenda dictauerit. Tres ergo Magistri hac traditione dicuntur Abrahami. *Cœlum, Angelus, Deus.*

TI-

TITVLVS III.

Isaac.

יצחק

ISaac Abrahami Filius, Patris haud minùs sapientiæ, quàm rei familiaris ex asse hæres fuit: hinc illa verba Gen. xxv. *Dedit Abraham cuncta, quę possederat, Isaac; Filijs autem Concubinarum largitus est munera.* Explicant Hebræi de Traditionis, ac Doctrinæ Theologicæ hæreditaria notitia, quam cùm non expediret integram, atque perfectam omnibus tradi, nè paulatim in vulgus effusa vilesceret, vni eam commendauit Isaaco; cæteris Filijs ea tantùm tradens, quæ ipsis opportuna, ac necessaria nouerat. Sed absurdè errant quidam secuti R. Ieremiam in C. Chelek; qui ait hæc munera, quæ illis largitus est Abraham, fuisse artes superstitiosas, & nomina quibus Dæmones mali cogi possent: scilicet quòd cùm Isaaco tradidisset cultum veræ Religionis, ac bonas artes, & disciplinas omnes, cæteris quid boni traderet, non haberet, nisi has scelestas artes illis relinqueret, quibus vtcumque se iuuarent. Sed hoc non fuisset illis munera largiri, sed venena porrigere: quare hoc impium, & execrandum est. Aiunt Isaacum ad Semi, & Heberi scholas iuisse. Quin Medras (& refert Ialkut sect. וירא) ait: Cùm Abrahamus Dei iussu proficisceretur in Montem Moria, vt ibi filium immolaret, Saræ interroganti, quò pergeret, dixisse velle, se filium Semo sistere, eique erudiendum tradere. Nè verò postea mendax deprehenderetur, res ipsa sic tulit: Cùm enim è præsentissima nece ereptus esset, à Patre ductus est ad Semum, atque Heberum, à quibus eruditus est, R. Ghedolias in Catena Kabbalæ: *Isaac, postquam immolationem euasit, missus est ad Academiam Sem, in qua fuit, quoad Eleazar illi attulit Rebeccam vxorem.* Berescith Rabba sect. lvii.

Misit illum Abraham ad Sem, vt ab eo disceret legem Dei. Deinde addit: *R. Iose filius Canina dixit, eum clam, & noctu esse missum, ne scilicet* (ob gloriam illustris illius facti) *inuidiam subiret. Sic Ananias, Azarias, Misael, postquam caminum ignis euaserunt, non commemorantur amplius, nec scitur quò iuerint.* Erat autem eo tempore Isaac, vt Seder Olam recenset, annorum XXXVII. Non pigebit & quædam alia ex ijs, quæ de ipso Hebræi dicunt, quæ ab instituto minùs abhorrere videntur, indicare. Tanchuma, & ex eo Jalkut sectione תולדות aiunt, ei à Deo ostensam esse gloriam Templi Primi, Secundi, & Tertij. De tertio quidem, nisi allegoricè loquuntur, somniant. Nullum enim erit, quod illi pollicentur, Tertium Templum. Berescith Rabba sect. XCVIII. ait, Isaac voluisse Esau Filio, quem tantoperè diligebat, multa è futuris, & præcipuè Finem Temporum, idest Messiæ aduentum, indicare; sed cùm hoc tentare vellet וסתלקה ממנו שכינה. *Sublata est ab eo Diuina præsentia,* hoc est Spiritu fatidico destitutus est. Nomen hoc Isaac, Hebraicè יצחק ita interpretatur ex numeris literarum eadem Berescith Rabba sect. LIIII. י idest X̄. ob decem præcepta, quæ studiosissimè seruauit, צ, idest XC̄ ob totidem annos, quos vixerat eius mater, cum eum peperit, ח, idest VIII̅. ideo quòd primus hic octauo die sit circumcisus, ק idest C̄ quia tot annos natus erat Abraham, cum eum genuit, sic in literis argutantur Hebræi; verùm vt ad ea, quæ illi tribuuntur, veniam, nihil aliud inuenio quàm

תפילת מנחה Orationes Pomeridianas

Triplex enim Hebręis est Precũ ordo, Matutinus, Pomeridianus, Vespertinus, ex illo Psalmi præsciptus: *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Matutina Abrahami, pomeridiana Isaaci, vespertina Iacobi. Nec omittendum quod in capitibus R. Eliefer, & in Medras est, Hebræos dicere, Isaacum eo tempore quo à Patre iam iam erat immolandus extasi qua-

quadam pene mortuum fuisse; cùmque paulò post ad se redijsset, & quodammodo reuixisset, statim eam orationem dixisse, quæ incipit ברוך מחיה מתים *Benedictus qui viuificas mortuos.* Hæc illi, vt suarum precum, quas credibile est à multò recentioribus auctoribus esse compositas, ex fabulosa origine pretium augeant. Clemens quoque lib. I. Recogn. c.VII. velut ex Petro, narrat *Abrahamum, cùm duos filios tempore, quo adhuc in ignorantia rerum vixerat, suscepisset, Dei agnitione perceptâ, petijsse, vt ex Sara, quæ erat coniux legitima, cùm esset sterilis, progeniem habere mereretur:* vt scilicèt acceptæ à Deo sapientiæ legitimum haberet hęredem.

TITVLVS IV.

Iacob.

יעקב

IAcob Isaaci filius, Abrahami nepos, tertius Pater (nam hos tres nunquam Hebræi nominant, quin addant illud *Pater noster*, & cum dicunt *Patres* nullo addito, intelligunt hos tres) hæreditariam sapientiam ab Auo, & Patre acceptam posteris tradidit, etsi, vt suprà diximus, Hebræi in *Berescith Rabba* sect. LXIII. dicant, eum discipulum fuisse Heberi, & Sem, & ibidem narrant eum, cùm adhuc in vtero matris esset, si fortè illa per eiusmodi loca transiret, in quibus scholæ, ac gymnasia essent, exilire solitum, ac si tum egredi vellet, ac Magistro se docendum sistere; quod, vt arbitror, hyperbolicè, aut allegoricè dictum est, ad studium, quo in literas ferebatur, explicandum. Jn capitulis R. Eliezer (& refert Ialkut sect. תולדות) scribitur etiam, Abrahami fuisse discipulus, annis XV. R. Ghedolias ex Medrascioth, & Seder Olam scribit: *Cùm annum ageret* LXIII. *accepit à Patre*

tre benedictionem; & fugit ex paterna domo ad Academiam Sem, & Heber, apud quos latuit annis XIV. *tantùm; nam & ab initio solitus erat ad eos se conferre, discendi gratia, & postea domum redire, & quę didicisset Patri referre.* Credibile est, eum & ab his multa, & præclara, & à Deo plura, & nobiliora didicisse: præsertim in admirabili illa visione Scalæ. Denique illud, quod Baruch cap. 30. dicit: *Ipse* (Deus) *inuênit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacobo puero suo, & Israel dilecto suo*: & quod Sapientia in Ecclesiastico loquitur: *Et dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare*; licèt de tota gente intelligendum sit; tamen multò magis, ac præcipuè de ipso Jacob, seu Israele, gentis auctore. Liber antiquus *Tana R. Eliæ* ait, ex veterum traditione, Iacobum accepisse à Deo totius legis scientiam, in eaque filios instituisse, quam posteà Moyses apertiùs acceperit, & scripto tradiderit. Nescio quid sibi velint Hebræi in Tractatu *Kedurscin* cap. v. cùm dicunt, Jacobum sibi delegisse quemdam è filijs Dan, qui Zabulon vocaretur, & hunc docuisse מקרא משנה ותלמוד *Scripturam, Traditiones, & Talmud*; scilicèt, quia plerique è Scribis feruntur è Zabulon originem duxisse. Quòd si per nomen Talmud intelligant id, quod exstat, nemo non videt eos fraude malâ impium librum velle ad pios Auctores referre. Tanchuma, ex quo Ialkut sect. נשוא scribit, Deum Jacobo tradidisse Benedictiones, quibus, cui vellet, benediceret. Et quia Benedictionem Jacobi (quam nihil aliud putant fuisse, quàm Religionis, ac Sapientiæ traditionem) longis fabulis prosequuntur apud Hebræos Kabbalistæ; tum ad eorum arcana (plerumque vana) retegenda; tum quia non adeò inepta Allegoria videtur, adscribam R. Ioseph Gecatiliæ in porta lucis longiorem locum: legant eruditi, & quàm inanis hæc demum sit commentatio, si cum Theologia certiore conferatur, intelligant: *Nomen Adonai vocatur in lege Beracha* ברכה (quæ vox vtrumque significat, Benedictionem, & Piscinam) *hoc est nomen, quo Iacob Pater noster benedixit filijs suis, & quod hæreditate acceperat ab Isaac, vt il-*
le

le ab Abraham, cui Deus ipse dederat, vt aperiret portas nominis Adonai, & peteret inde quicquid eius indigentia posceret, & omnium reliquorum filiorum Mundi. Tradita ergo Abrahamo est hæc Piscina. En hoc est mysterium, quod continetur illis verbis: Benedicam tibi, erisque Benedictio, vel Piscina, non enim dixit: erisque Meburach, idest Benedictus, sed eris Beracha, Benedictio, vel Piscina: ac si diceret, ex ipsa Piscina tibi traditur: sume prout volueris: non est quod ego tibi benedicam: Ego do tibi potestatem accipiendi quicquid volueris, & dandi omnibus filijs hominum. Et hoc est: Et benedicentur in te omnes Tribus terræ; ac si diceret: quicumque voluerit haurire de hac Piscina, non poterit sine te: quia tibi tradita est, tua est. Propterea Rabbini nostri dixerunt, primum, qui vocauit Deum Adonai, fuisse Abrahamum, quando dixit: Domine Deus, quid dabis mihi Gen. 15. Ex Abrahamo id hæreditate cōsecutus est Isaac. Et hoc est, quod dicitur Gen. 25. Et factū est, post mortem Abrahami, benedixit Deus Isaac filio eius. Pro hac Piscina, seu Benedictione contendebant Esau, & Iacob. Et hæc sunt Primogenita, quę Iacob emit ab Esau, & rursum Isaac eā venditionem confirmauit, cùm misit eum in Mesopotamiam. Hoc illud est; Surge, abi in Mesopotamiam, & Deus Omnipotens benedicat tibi, & det tibi benedictionem Abraham patris tui tibi, & semini tuo tecum: Ecce attributa est Piscina hæc in hæreditatem Iacob, & semini eius tantùm. Et cùm Iacob ad vitæ exitum peruenisset, aperuit Piscinam hanc duodecim Tribubus, vt singulæ illæ deinde acciperent partem Piscinæ in hæreditate, & hoc est mysteriū duodecim Patriarcharū. Et hoc est, quod locutus est eis Pater eorū, & benedixit eis, cuique iuxta benedictionem suā. Quid est iuxta benedictionē suā? Ne fortè credas eū ex suo capite singulis diuisisse benedictiones. Non sic, sed singuli partem illam acceperunt, quæ ad ipsos pertinebat ex Piscina; non arbitrio, sed vt Piscina ipsa requirebat. Hæc Gecatilia: quæ inuolucra verborum si ad vsitatum loquendi morem referrentur, & vtiliora, & veriora essent, ac minus portentosa, & fabulosa. At Iacob Philosophum, ac rerum naturæ intelligentem fuisse non malè colligimus ex virgis

illis semidecorticatis, quas ovibus in aquis spectandas obiecit. Scripta verò illi hæc tribuuntur:

תפילת מעריב	1	Preces Vespertinæ
סולם יעקב	2	Scala Iacob
צואת יעקב	3	Testamentũ Iacob
תהילים	4	Psalmi

I. PReces *Vespertinas*, quas sub noctem recitant, Iacobo tribuunt, sicut Pomeridianas Isaaco, Matutinas Abrahamo. Sed hoc minimè possunt vel fingere de omnibus, quæ in his precibus continentur, cùm in ijs multa sint linguâ Syro-Chaldaicâ scripta, quæ inter Hebræos non nisi post secundi Templi tempora in vsu fuerũt. Multa quoque de eorum captiuitate, ac Templi excidio, quæ ostendunt, preces hasce multò post Patriarcharum tempora editas; licèt autem Pomeridianæ preces, quibus nomen est מנחה *Minchia* idest Oblatio, aliud Tempus requirerent à Vespertinis, quas vocant *Maarabith*; tamen, vt commoditati consulant, simul vtrasque recitant quintâ Pomeridianâ, vt in ipsorum *Minhagim*, idest Ritualibus, & in *Orach Chaim* libello, qui eorum ritus, & mores describit, videre est. Atque hic vetus Hebræorum consuetudo omittenda non est, quæ aliquid emolumenti habet; nam antequam Vespertinas preces in Synagoga canere incipiunt, necesse est omnes, qui adsunt inimicitiàs deponere, & odia remittere, quòd si aliquis ibi adsit, cuius aduersarius vel præsens non sit, vel odium remittere, & in amicitiam redire nolit, hic in mediam Synagogam progressus librum, ex quo preces recitantur, claudit, & manu percutiens dicit אני כלאו *Ego interdico*, quo statim interdictum intelligitur, ne Vespertinæ preces recitentur, antequam inter illos duos conueniat; itaque ille, quicumque est, ab omnibus quæritur, & ad deponenda odia co-

communi operâ, & adhortatione vrgetur; si consenserint, reconciliantur, & ita Vespertinæ preces peraguntur: sin obstinatè recusauerit, intermittuntur preces, & sæpè multos dies hoc Institium durat, vt ille communi luctu, & mœrore perculsus, & pudore affectus, tandem iras deponat. Hic mos quoniam Dei legi, quæ maximè charitatem spectat, consentaneus est, videtur ante Christi Aduentum à Sanctis viris, & Prophetis in Synagogam inductus: & non absimile vero est, Paulum hic spectasse, cum dixit: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

II. SCala Iacob, Liber apud Hebionitas summo in pretio habitus, vt Epiphanius scribit. Procul dubio fictitius, & vel hoc nomine, quod Hæreticis tantoperè placuerit, reijciendus.

III. TEstamentum Iacob, Liber apocryphus, à Gelasio dist. xv. reiectus.

IV. PSalmi aliquot Iacobo tribuuntur à nonnullis Hæbræis. Nam Berescith Rabba sic de illo scribit sect. lxviii. *Quatuordecim annis latuit in Academia Sem, & Heber; neque ibi se vnquã somno dedit, in domo verò Laban quindecim cantica Graduũ composuit, quæ sunt in libro Psalmorum. Quidam dicunt librum Psalmorum integrum ab eo esse decantatum.* Hæc illi. Sed librum Psalmorum, qui extat, ipsius non esse, certum est: vt vana hæc, nescio cuius, opinatio reijcitur ab ipsis Hebræis, qui non modò totum Psalmorum librum Iacobo non adscribunt; sed inter illos decem Psalmorum Auctores eum non recensent. Lapidem, quem Iacob supposuit capiti, non modò Ethnici postea, sed & parentum suorum malè memores, & ipsâ auorum prauâ imitatione degeneres Hebræi, detestandâ superstitione coluerunt. Dictus est lapis ille Hebraicè ביתאל Græcè Βαιθὴλ, inde Βαίτυλος, vt quidam putant, & Βαίτυλοι, apud Photium, in vita Isidori, vetus Arabiæ, & Palestinæ superstitio, de quibus multa Iosephus Scaliger in Eusebium n. MM. CL. Addo illis, ideò fortè Βαίτυλον lapidem Iouis, loco, Saturno oblatum fingi, vt scribit Hesychius, quia Hebræi in Berescith Rabba sect. lxviii. scribunt lapidem illum instar fuisse duodecim filiorum Israel, quem etiam

absortum dicunt, capite גיד הנשה erant enim, inquiunt, plures lapides ונבלעו כולן וגעשו אחת. *Et absorti sunt omnes, & facti sunt unus.*

TITVLVS V.

Ioseph

יוסף

IOseph Iacobi filius natus est, Patre primum & nonagesimum annum agente. Quod ita colligit R. Abraham Zachut: *Iacob cum ingressus est Ægyptum, erat annorum* CXXX. *atqui tum Ioseph* XXXIX. *erat annorum, ergo anno Patris primo & nonagesimo natus est; quo scilicet anno completi sunt anni quatuordecim, quibus pro Rachele seruiuerat.* Mira res! Anno, quo Ioseph natus est, seruitute in Mesopotamia liberatus est Israel; anno, quo Ioseph mortuus est, ab Ægyptijs seruitute pressus est Israel. Iure igitur Israel suam libertatem Iosephi metitur ætate; quo nascente nata, moriente eiusdem pressa libertas. Nomina sortitus est multa, ex multis, quę in publicam vtilitatem gessit. Primò, *Ioseph* dictus à matre. Secundò, *Iehoseph* dictus est à Deo, vt Hebræi putant: sic in Vaykra Rabba, & refert Ialkut sect. אחרי מות: Nam Deus, aiunt, suum nomen eius nomini inserere voluit, itaque ex *Iah, & Ioseph* factus est Iehoseph; quare & in psalmo, *Testimonium in Ioseph posuit illud*, Hebræi legunt עדות ביהוסף שמו, *Testimonium in Iehoseph eius nomine.* Ego verò arbitror id esse ex communi ratione, & analogia nominum incipientium à Io, יו, quæ omnia etiam vsurpari solent pleniùs per *Iebo*, יהו, sic *Iosuas & Iehosuas: Iudas, & Iehudas: Ionathan, & Iehonathan.* Tertiò, vocatus est in Ægypto *Putiel*, vt scribit Ialkut sect. וארא. Quartò, à Pharaone dictus est צפנת פענח, quod nomen Septuaginta Græcè legunt ψονθομφανήχ *Psontophanech*, Masoretæ verò Pa-

neach explicant. Iosephus, Philo, & Targum, *Interpretem somniorum, seu Arcanorum consilium.* Sed Hieronymus Ægyptiam vocē esse monuit, & *significare Saluatorē Mundi.* Quintò, vocatus est à pręcone אַבְרֵךְ *Abrech*, vt Hebræi dicunt. Nam vbi nos habemus: *Clamante præcone, vt omnes genuflecterent*; illi retinentes vocē, explicant: *Clamāte præcone, Abrech.* Constat autem significari ea voce id, quod Latinè *Pater tener*: vbi Tanchuma, & Siphri scribunt אב בחכמה ורך בשנים *Pater sapientiâ, tener annis*. Alij verò putant vocem *Rech* vetere lingua Regem significasse: & explicant, Patrem Regis. Sextò, appellatus est, vt quidam aiunt, *Canopus*, & hoc nomine relatus in Sydera, & honoribus Diuinis in Ægypto cultus, tanquā Dator frugum, & Terræ mensor, ac literarum Institutor. Nam quòd Ægyptum in summa penuria pauisset, ac frugum vbertatem in summa egestate tribuisset, Ægyptij, qui facilè Deos, vel ex oleribus facerent, cur nō hunc quoque in Deos referrent? Idem & literas tradidisse Ægyptijs dicitur, & Geometriā, cæterasque Artes, quas Abrahamus inuenerat, excoluisse, & auxisse: pręsertim quòd ad annonam tot populis distribuendam, & rationes pecuniarum, & agrorum, quos pecuniæ loco acceperat, dimensionem, Arithmeticâ, & Geometriâ opus esset. Ex omnibus Iacobi filijs hunc ab eo electum, cui plenius, atque vberiùs haustam à Maioribus sapientiam traderet, Hebræi dicunt; & huc spectare variegatam illam Tunicam, quam ei Pater fecerit, nempe quo significaret, eius ingenium variæ doctrinæ versicolore ornatu amictum. Tanchuma refert sententiam R. Nehemiæ in hæc verba: *Omnia, quę Sem, & Heber tradiderunt Iacobo, Iacobus Iosepho tradidit.* Et senten tiam Regis Iudæ scribentis, Iosephum euasisse tam similem Iacobo, vt ea esset causa, cur ab eo tantoperè diligeretur: quod non de vultu intelligo, sed de animo, ac sapientia. Tractatu Pesachim, (& refert Ialkut in Ecclesiasten, Num. 975.) dicitur Ioseph tres מטמניות idest Thesauros, vel Archiua, vel rerum arcanarum repositas latebras fecisse, quarum primam inuenerit, & aperuerit Core; secundam Antonius Seueri filius; tertia verò reseruetur aperienda à Iustis in sæculo futuro. Quod, quid sibi velit, non intelligo. Interim, quæ Iosepho scripta tribuantur, exequar: Ea sunt *In-*

פתרון חלומות Interpretatio Somniorum.

תפילת יוסף Oratio Ioseph.

INterpretatio Somniorum, Iosepho adscriptus liber citatur à R. Menachem Trinki, libro, quem eiusdem argumenti scripsit; nec dubito quin apocryphus, & suppositus sit, sic fauet Onirocriticis.

ORatio Ioseph. Liber & ipse apocryphus, & fabulosus, extabat Origenis tempore inter Hebræos; cuius ille meminit tom. 2. explan. in Ioannem: Quòd si quis approbet mysticam illam, quæ apud Hebræos habetur, Iosephi orationem; is illinc simile huic dogma accipiet; scilicèt quosdam ex Angelorum natura ad hominum naturam descendisse. Ait enim in hac oratione Iacob: Ego enim, qui vobiscum loquor, Iacob, & Israel, Dei sum Angelus, & spiritus principalis, & Abraham, & Isaac, ante omne opus creati sunt: &c. Plura ex hoc libro recitat, quæ prodigiosis plena sunt fabulis.

TITVLVS VI.

Duodecim Patriarchæ.

יב אבות

TEstamenta duodecim Patriarcharũ videtur alicuius pretij fuisse apud veteres; siquidem Origenes hom. xv. in Iosue, & Procopius in Genesim cap. xxxviii. ea citant, & nonnulli è recentioribus videntur aliquo loco, & numero habere. Extant Latinè reddita à Roberto Lincolniensi Episcopo, anno MCCXLII. ex Græco exemplari, quod ille studio missis in Græciam, qui id conquirerent, nactus fuerat. Stylus ostendit Hebraicè scripta fuisse.

Non

Non esse autem librum hunc ante Christi tempora scriptum, satis indicant apertissima vaticinia earum rerum, quæ Christo acciderunt. Nam ex certis, ac veris vaticinijs Prophetarum Isaiæ, Hieremiæ, ac cæterorum discimus hunc Prophetis esse morem, vt futura, non nisi obscurè prædicant. Huius autem libri Auctor omninò apertè, ac perspicuè plurima de Christo scribit: Prætereaquam quòd fabulosis narrationibus scatent hæc testamenta, quæ minimè Prophetam decerent. Videtur Auctor primo post Christum sæculo vixisse, & Hebraicè scripsisse, non tam fortè decipiendi studio, quàm ex more, quo solemus veterum orationes, colloquia, testamenta ex verisimili fingere. Illud etiam ostendit, hæc testamenta minimè vera esse, quòd singula scripta sint aduersus aliquod vitium, aut pro aliqua virtute; vt testamentum Simeonis aduersus Inuidiam: Leui aduersus Superbiam: Iudæ pro fortitudine aduersus Auaritiam, ac Fornicationem, quæ ostendunt librum ab aliquo scriptum oratoriè, & ex ficto argumento. Citat identidem libros Henoch, qui tum extabant.

TITVLVS VII.

Iob.

איוב

JOB Sacrorum Scriptorum antiquissimus, quo tempore vixerit, Hebræi dissentientes multùm inter se digladiantur, & pugnant. In Baua Bathra cap. 1. quidam dicunt, eum æqualem fuisse Abrahami: sic R. Leui. Alij cum Iacobo vixisse, & Dinam vxorem duxisse: sic Mydras. Alij sub initia Moysis: ita R. Leui Ben Chama. Alij, quo tempore Hebræi vagabantur per Desertum: ita R. Iudas. Alij tempore Iudicum: ita R. Eleazar. Alij tempore Reginæ Sabæ: ita R. Nathan. Alij tempore captiuitatis Babylonicæ: ita R. Iochanan. Alij tempore Assueri: ita R. Iosue Ben Korcha. Has omnes sen-

ſententias illic referunt, ac ſingularum argumenta. Sed antequam cum his transfigamus, ij reijciendi ſunt, qui dicunt Iob numquam uiſſe; ſed tantum exempli cauſâ fuiſſe fictum nomen. R. Samuel Bar-Nachmani dixit, vt ibidem referunt איוב לא היה ולא נברא כי משל היה *Iob neque fuit, neque creatus eſt vnquam, ſed Parabola fuit*. At vero Talmud Hieroſolymitanum (vt refert liber *Obeb Miſpath*, qui Commentarius eſt in Jobum,) alterius refert ſententiam, qui dicat. הוא היה ויסוריו לא הוו *Ipſe quidem fuit, ſed aduerſa illa, & aſpera non fuerunt.* Contra vtramque ſententiam Hebræi omnes ſentiunt. Et Abenezra in præfatione Iob inde argumentatur: *Quia*, inquit, *Ezechiel dicit Noë, Daniel, & Iob, ſi dixeris hunc Iob, de quo loquitur Propheta, alium eſſe ab eo, qui nominatur in eius libro, idem quis dicet de Daniele, & Noë. Ecce alio loco dicitur: Si ſteterit Moyſes, & Samuel in conſpectu meo: quæ verba, omnes intelligimus de Samuele præcipuo inter Prophetas; quamuis ſit alius Samuel Filius Amiod, quantò id magis de Iobo dicendum eſt, cum nuſquam alibi nominetur alius Iob? Nam Iobal Filius Zeracle Bazza non eſt hic*: Hæc Abenezra. Nos autem multò efficacius argumentum habemus, quo id probemus *ex Iacobi epiſt. 5. Sufferentiam*, inquit, *Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis*; vbi Iob, & Chriſtus in exemplum patientię adducuntur, quod non fieret, ſi Iob fabula eſſet: & aut ipſe nunquam fuiſſet, aut ea nunquam paſſus eſſet, quæ illi tribuuntur. Conſtet igitur Iob fuiſſe. Quęratur iam ſecundo loco, ex quo genere fuerit, Hebræus, an Alienigena? Notat idem liber *Obeb Miſpat*: omnes, qui in Baua Bathra diſputant de Iobi ætate, crediſſe, eum Iſraelitam fuiſſe. Sed contrà addit: *Manifeſtum eſt ex ſententia Ghemaræ, & Medraſciotb, Iob fuiſſe Gentilem, & vixiſſe ante tempora legis, aut ſub id tempus.* Id quod vel inde apparet, quòd in tam longis diſputationibus nulla ſit mentio rei vllius ad Hebræos pertinentis. Non Abrahami, aut viri vllius ex eius ſtirpe, non legis, aut Prophetæ vllius. Quamobrem Hebræi docent eum fuiſſe ex Prophetis, quos Deus de-

dedit Gentibus. Ex quibus ſeptem in Sacris Literis nominari adnotant (vt idem liber Cheb Miſpat, & antiquiores plures ſcribunt) Iob, Balaam, Patrem Balaami, Eliphaz, Baldat, Sopher, Eliu. Argumentum, quo Hebræi quidam mouebantur, vt crederent Iob fuiſſe recentioris ætatis, erat, quòd Ezechiel cum nominet tertium: *Si*, inquit, *Noë*, *Daniel*, *&* *Iob*: Sed nullius momenti eſt; plures enim reſponſiones præſtò ſunt: ſufficit illa, quam liber idem *Cheb Miſpat* affert. *Cur Ezechiel horum trium meminit? Quia ſinguli ex his tribus viderunt tria tempora, ſeu vices: tempus felicitatis, euerſionis, et rurſus felicitatis. Hoc vidit Noë in Mundo, Daniel in Templo, Iob in ſeipſo, & ideò recenſentur hoc ordine, licèt Iob fuerit ante Danielem.* Dici etiam poteſt, ideò ſic eſſe numeratos, quia maior vis, & efficacia eſt in hoc ordine, creſcit enim oratio. Noë Pater eſt omnium, Daniel frater Hebræorum, Iob verò exterus, & Patrem orare pro filijs minus eſt, quàm fratrem. Rurſum fratrem orare minus eſt, quàm exterum. Hæc de Viri gente: nunc de tempore, quo floruerit. Negant Hebræi plerique eum Moyſe recentiorem eſſe potuiſſe; nam nec poſt legem Moyſi datam, & promulgatam debuiſſe alios Prophetas dari Gentibus, ne abſtraherentur à Moyſe, legemque ab eo latam dedignarentur accipere, ſi domeſticos inſtitutores, à quibus erudirentur, habuiſſent, nec futurum, vt Iſraelitæ librum hunc in ſacrorum numerum reciperent, ſi poſt legem diuinitùs acceptam ab extero homine ſcriptus eſſet, nec legis datæ à Moyſe meminiſſet. At librum hunc Hebræi pro ſacro ſemper habuerunt. Fefellit quoſdam Hebraicarum rerum ignoratio, vt ſciberent librum hunc à Talmudiſtis reijci; nam etſi apud eos diſputatur, an fuerit Iob? an paſſus ſit illa, quæ libro hoc narrantur? Hebræus, an exterus fuerit? quâ linguâ ſcripſerit? nuſquàm tamen libri ſacra negatur auctoritas. Supereſt ea quæſtio, quâ linguâ, & à quo ſcriptus ſit Iobi liber? In quo noſtrorum, & Hebræorum ſuffragia conſpirant, eum à Iobo ſcriptum Arabicè, à Moyſe deinde Hebraicè redditum: ſic Abenezra, qui ait eam eſſe cauſam, cur hic liber obſcurior ſit; quòd neceſſe ſit ea, quæ in alienam linguam transferuntur, obſcuriora fieri. R.

Ghedolias in Catena ait, se in antiquis commentarijs legisse, שמשה רבינו עליו השלום היה מראה ספר איוב ודורשו לזקני ישראל רבה למען ישמעו וילמדו כי יש תקוה לכל בוטחין *Moysem magistrum nostrum, super quem sit pax, solitum ostendere senibus Israelis librum Iob, & cum publice explanare, in eum finem, vt ex eo intelligerent, ac discerent, repositam esse spem omnibus, qui Deo fiderent.* Idem notat R. Azarias in *Meor Enaim* par. 3. c. 4. addens, idem apud Origenem reperiri, idque adnotasse Picum, & Eugubinum: Origenem autem testari, se id ex antiquis commentarijs hausisse. Certè vero-simile est, Moysem, dum Hebræi tam crudeliter apud Ægyptios anguntur, & premuntur, ad eos in spem, & fortitudinem erigendos, librum hunc ex Arabico vertisse in Hebraicum sermonem. Addam R. Abraham Zachut verba ex libro Iuchasin: *Moyses scripsit suum librum, & lectionem Balaam, & librum Iobi obsignatum: sicut scribitur in Baua Batbra c. 1. & ibidem in Ghemara additur, annos Iob fuisse ex eo tempore, quo Israel in Ægyptum ingressus est, vsque ad id tempus, quo inde euasit, & quidem in ipsius libro est, eum vixisse annos* CCX. *in Bereschith Rabba sect.* lvii. *ad illud: Huz primogenitum suum. R. Iose Ben-Chalaphta dicit: in descensu eorum in Ægyptum natus est, in ascensu eorum mortuus est. Atque ita anni Iob fuerunt* CCX. *Historiæ quoque Christianorum, & Græcorum sic habent, Iobi librum scriptum esse à Moyse. Iob autem esse eum qui Iobab vocatus, filius Zerach Bozrensis ex Regibus Idumæis, atque ita colligitur ex verbis R. Abraham Bar-Nachmani, eum, & socios ipsius Eliphaz, Baldad, Sopher, & Eliu fuisse ex genere Abrahæ, filios Esau. Iob autem in Arabia, & Sabba habitauit, & in Idumæa, quæ Meridionalis est Terræ Israel; licèt Targum dicat, Hus esse Armeniam, quæ regio est Græciæ, & sic dicunt eum sepultum esse Constantinopoli.* Errat Armeniam putans Græciæ partem, vt & qui Iobum Constantinopoli sepultum dicunt, quem errorem illic refellit errore

alio R. Samuel-Sciolam, qui additiones ad eius librum scripsit his verbis: *Hic Iob, qui Constantinopoli sepultus est, non est Propheta, sed Iob Aluzari, qui venit Constantinopolim anno primo post mortem Hasin Ben-Ali vnà cum Abdalla Ben-Abas, & Abdalla Ben-Zaid cum* L. *millibus virorum, & occisus est* ad portam, quæ dicitur איגרי קאפי *Igri Kapi.* Ego Correctoris verba minùs quàm Auctoris intelligo; scripsit historiam Iob Græcè Aristæus, qui Terram Hus in confinio Idumeæ, atque Arabiæ collocauit, vt Genebrardus quoque adnotat.

TITVLVS VIIII.

Moyses.

משה

MOyses Amrami filius, totius memoriæ clarissimus, & celeberrimus Legislator, & Propheta, genere Hebræus, tribu Leuita, patriâ Ægyptius fuit. De eius ortu sic Hebræi sentiunt, vt scribit R. Abraham Zachut in Iuchasin: *Moyses magister noster, septimus inter Patres, velut sabbathum fuit.* Abraham, Isaac, Iacob, Leui, Caath, Amram, Moyses. *Natus est anno à Leui morte septimo supra tricesimum: ab orbe condito* MMCCCLXVIII. *Die Hebdomadæ quarto, septima mensis Adar, tribus horis ante Solis exortum, vt scribit R. Abraham Bar Chaia Hispanus.* Nomina fertur habuisse plurima, de quibus quid Veteres tradant, adnotabimus. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom: *Regina,* inquit, *ei nomen imposuit Moyses; clarum est autem, quòd priùs parentes, circumciso puero, nomen aliquod ei imposuerunt. Vocabatur autem Iuakim: habuit & tertium nomen in cœlo, postquàm assumptus est, vt dicunt Mystæ, nempe Melchi.* R. Ghedolias in Catena Kabbalæ multò plura cõmemorat.

Filia Pharaonis vocauit eum Moysem: משה
Pater eius vocauit eum Cheber: חבר
Mater vocauit eum Iekuthiel: יקתויאל
Soror vocauit eum Iether: יתר
Fratres vocauerunt eum Abizenoach: אביזנוח
Caath vocauit eum Ab-socho: אביסוכו
Israel vocauit eum Semaiam F. Nathanaelis: שמעיה בן נתנאל
Sæpe etiam vocabant eum Tobiam, aut Sopher: טוביה או סופר

Hæc ille, quæ in antiquis eorum libris leguntur: sed his nominibus omissis, quæritur, Moysis ipsum nomen Hebraicùmne sit, an Ægyptiacum? Iosephs lib. 11. Ant. c. v. Ægyptiacum esse vult, è duplici voce compositum, *Mo*, quod Ægyptijs aquam significet, & *yses*, quod vult significare seruatum; vt Moyses idem sit, quod seruatus ex aquis. At Abenezra sectione *Scemoth* ait: *Moysis nomen Hebraicum est, ex Ægyptiaco nomine translatum. Ægyptiaca verò lingua vocatur* מוניוס *Munios, & sic scriptum est in libro de cultu Terræ, qui versus est ex lingua Ægyptiaca in Arabicam.* Vtri præstet credere non satis apparet; nam Josephi Etymologia hoc habet incommodi, quòd Hebraicè non *Moyses* sed *Moses* dicitur; quanquam Ægyptiorum hic mos esse videatur, vt ex O longa faciant oy, vt etiam Thoth, ac Thoyth. Nec Abenezræ satis tuta fides; Hebræi enim videntur hoc ideo dicere, ne fateri cogantur Moysem Ægyptium, & barbarum nomen habuisse: Nec scio qualis liber Ægyptiacus ille sit, quem Abenezra citat: cùm lingua vetus Ægyptiaca, quæ Moysis tempore vigebat, paulò post sub Macedonum, Romanorum, Arabum imperio immutata sit. Ægyptij verò eum fuegentis fuisse dicunt sacerdotem Heliopolitam, nomine *Osarsiph*, qui ob lepram eiectus ad Hebræos se contulerit, apud quos Dux

crea-

creatus sit, & Moyses vocatus, vt refert Iosephus lib. 1. contra Apionem. At Clemens Alexandrinus auctor est, hunc esse, quem Ægyptij vocarint *Mercurium*, ac pro Deo coluerint; quemadmodum de Iosepho dixi, cum *Canopum* ab Ægyptijs vocatum. Fauent multa: quòd Mercurius Deorum Interpres: quòd virgam manu gerens: quòd furta docuisse fingitur: quòd totius eruditionis ad eum origo, & fons refertur: quòd denique Dux animarum ψυχαγωγὸς vocetur; nam hæc omnia videntur à Poetis ad Moysis personam adornandam ficta. Ipsum nomen Ἑρμῆς quasi Heremi cultorem diceres; nam ex *Herem* Hebraicè, Eremus est Græcè, & Latinè; Moyses autem in Eremo octoginta annos integros vixit. Adde aliam coniecturam ex Chronico Alexandrino: Μωϋσῆς κτίζει τὴν Ἑρμοῦ πόλιν, καὶ Αἰθίοψι ἐπολέμησεν ἔτη ι: *Moyses condidit vrbem Hermopolim, & Ætiopibus bellum gessit annis decem*. Sanè causa nulla erat, cur vrbem à se conditam *Hermopolim*, idest *Mercurij vrbem* vocaret, nisi ipse Mercurius diceretur. Inficias tamen haud ivero; cum in Ægypto minimè primū fuisse Mercurium, imò nec secundum: & fortè claros sapientiâ, & rerum gerendarum peritiâ viros Ægyptij sic vocabant: vti fortes viros, Hercules: medendi gnaros Æsculapios. Aliud ei nomen impositum dicūt *Psom-thom-phan-chthe*. Sic idem Chronicon Alexandrinum: τὸν Μωϋσῆν μετὰ τὸ ἐπαγαγεῖν αὐτὸν τὰς πληγὰς οἱ Αἰγύπτιοι ψομ-θομ-φαν-χθὴ προσηγόρευσαν, ὃ ἑρμηνεύεται ᾧ ἀποκαλυφθὴ μέλλον: *Moysem post illatas plagas Ægyptij cognominarunt Psom-thom-phan-chthe, quod significat eum, cui futurum patefactum est.* Sed aut errore confundunt cum Moyse Iosephum; aut idem nomen, & Moysi putant fuisse; quod minimè abhorret à veri specie. Græci ad suum sonum inflexâ voce Musæum vocarunt, quod sæpe apud Iosephum in libris contra Apionem eorum verba referentem occurrit. Absurdè autem ab alijs, sexu quoque mutato, dictus est Moso: sic Alexander Polyhistor, de quo Suidas: λέγει ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσὼ, ἧς ἐστὶ σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος: *ait mulierem Hebræam fuisse nomine Moso, cuius sit opus ea, quæ apud Hæbreos est Lex.* *Heman* eum quoque nominant Hebræi, vt in Salomone dicemus. Ac denique Ptolemæus

mæus Hephæstio, lib. 5. Nouarum Hist. scribit, Moysem vocatum *Alpha*, vt Photius refert, ob ἀλφοὺς, maculas corporis; falsò, atque impiè in virum Deo amicissimum. Crediderim potiùs, id ei nomen fuisse, quòd esset populi Dux, & Magister; vtrumque enim ea vox Hebraicè sonat: quamobrem eius nominum catalogus, exclusâ Moso, hic erit.

Moyses.	Semaias.
Munios.	Tobias.
Ioachim.	Sopher.
Melchi.	Musæus.
Cheber.	Hermes.
Iekuthiel.	Osarsiph.
Iether.	PSOM-THON-PHAN-CHTHE.
Abizenoach.	Heman.
Abisochi.	Alpha.

Nunc de Sapientia Moysis est aliquid pro instituto afferendum. Quæ duplex fuit, à Deo indita, & labore quæsita. Et rursum, labore quæsita, altera domestica fuit, altera exoterica. Domesticam Sapientiam Abrahami, & Semi hausit à Parente Amramo, & Socero Raguele: nam Raguel quoque ex Abrahamitis erat. Chronicon Alexandrinum; ἐκ τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ Χιτούρας γεννᾶται Ἰεζὰν, ἐκ τοῦ Ἰεζὰν γεννᾶται Δαδὰν, ἐκ τοῦ Δαδὰν γεννᾶται Ραγουὴλ, ἐκ τοῦ Ραγουὴλ γεννᾶται Ἰωθὼρ, καὶ Ἰακὼβ, ἐκ τοῦ Ἰωθὼρ γεννᾶται Σεπφώρα: *Ex Abrahamo, & Chetura nascitur Iezan, ex Iezan Dadan, ex Dadan Raguel, ex Raguel Iothor, & Iacob, ex Iothor Sephora.* Sed Iothor, seu Iether, ipse etiam Raguel dictus, Moysem omni Veterum traditâ sapientiâ instruxit. Quod Hebræi

bræi quâdam, Virgæ ab eo in hortis domesticis defixæ, quam solus Moyses auellere potuerit, allegoriâ tradunt. Vt nos, cùm de Raguele, dicemus. Exotericam verò sapientiam in Ægypto didicit: ***Eruditus omni sapientiâ Ægyptiorum***: vt ait Stephanus Actorum VII. At Philo de vita Moysis præter Ægyptios, dat Moysi Præceptores, Græcos, Assyrios, Chaldæos, vt à Græcis liberales disciplinas didicerit, ab Assyrijs eorum literas, à Chaldæis scientiam sideralem. Verùm horum nihil facilè adducor, vt credam; Græci enim ea tempestate tantùm abest, vt alios docere possent, vt nondum ipsi prima elementa didicissent, quæ multò post eos docuit Cadmus. Assyrijs opus non erat ad literas eius gentis addiscendas, quas propiores Hebræi docere potuissent. Nec inuenio Ægyptios Assyriorum literis erudiri solitos, vti nec Assyrios discere oportebat Ægyptias. Chaldæos quoque non attinet tam longè accersere, cùm satis periti rerum cœlestium essent Æpyptij, quorum obseruationibus tota deinde vsa est Græca Posteritas. Ergo Ægyptiacas tantùm didicit. Eas verò Clemens Alexandr. lib. VI. strom. cap. 2. ait, quaternis fuisse ordinibus discretas, Mathematicis, Physicis, Politicis, Theologicis: in Mathematicis Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, & similes numerans: in Physicis Medicinam, Magiam, Chemiam, atque alias: in Politicis Eloquentiam, Ethicam, Bellicam, Geoponicam, & quæ his affines: in Theologicis, quæ Deorum Cultum, Naturamque, & Ortus, ac Fabulas continebant. Hieroglyphica non tam scientiæ species erat, quàm eloquendi, aut notandi arcana, & allegorica; de qua Lucanus lib. 2.

--- In saxis tantùm volucresque, feræque,
Sculptaque seruabant Magicas animalia formas.

Libros, quos ante Moysē scriptos seruabat Ægyptus, ab eo euolutos, & perlectos non dubitamus. E quibus proculdubiò fuere.

Thoyt antiquissimi, quem ante diluuium scripsisse ait Manethon, ac de quo nos suprâ.

Alo-

Alosthbeos Regis, qui è prima Dynastia secundus Eusebio ponitur: Cuius sunt Ἀνατομικοὶ βίβλοι, *Libri Anotomici*, quorum ex Manethone idem Eusebius meminit lib. 1. Hist. omnim.

Sesorthi Regis, qui è III. Dynastia secundus numeratur, & ob studium Medicinæ dictus est Aesculapius, cuius sunt libri item Medici.

Supheos Regis, è IV. Dynastia primi, qui priùs in Deos minùs propensus, postea de ijs colendis insignem scripsit ἱερὰν βίβλον, ἣν ὡς μέγα χρῆμα Αἰγύπτιοι περιέπουσι: *sacrum librum, quem vt rem magni momenti Ægyptij sectantur.*

Sesostreos, qui & Mercurius Trismegistus creditur dictus, libri plures quadraginta numerantur à Clemente Alexandrino, Eupolemo Auctore. Chronicon Alexandrinum: Σέσωςρις, ὅς ἦν Ἑρμῆς ὁ Τρισμέγιςος, ὁ Αἰγύπτιος, ἀνὴρ φοβερὸς (lege potiùs) σοβαρὸς ἐν σοφίᾳ, ὅς τις ἔφρασεν τρεῖς μεγίστας δυνάμεις εἶναι, τὸ τοῦ δημιουργοῦ θεοῦ ὄνομα; μίαν δὲ θεότητα: *Sesostris, qui fuit Hermes Ter-maximus, Ægyptius, vir superbæ sapientiæ, qui dixit tres maximas Potestates esse Dei Conditoris, atque ineffabilis, Nomen, vnam verò Deitatem.*

Mercurij antiquioris Theologica, & leges; nam, vt idem Chronicon tradit, Picus è filijs Iapeti Faunum suscepit, qui ex Italia in Ægyptum veniens ad filios Chami, eos primus docuit Philosophiam, ac Religionem, leges statuens, & oracula fundens: καὶ διέτριβεν ἐκεῖ, ὑπερηφανῶν πάντας, καὶ φορῶν χρυσῆν στολήν, ἐφιλοσόφει παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις, λέγων αὐτοῖς μαντείας μελλόντων. Ἦν γὰρ φύσει σφόδρα λογικός, καὶ προσκυνοῦντες αὐτὸν λέγοντες θεὸν Ἑρμῆν: *Et versatus est illic, omnes fastigio quodam altiore contemnens, & auream stolam indutus philosophabatur inter Ægyptios, vaticinia ijs tradens, de rebus futuris; erat enim natura ingeniosus insigniter, & ab ijs Diuinis etiam honoribus cultus est; ac Deus Mercurius vocatus.* Regnauit hic primus post Mesraim Filium Chami. *Vul-*

Vulcani Leges. Hic proximè post illum, regno suscepto, leges etiam reliquisse fertur; & multa cùm de rebellicis tum de metallorum vsu, & artificio literis tradidisse.

Præterea *Ori*, *&* *Canopi* libri, quorum ille Religiones, Hieroglyphica, & Astrologiam; hic verò Elementa, Geometriam, Agriculturam, & Astronomiam tradidisse fertur.

Erat & *Sotbeos* siue *Isidis*, siue *Iüs* liber. Atlantis quoque commentaria extitisse de rebus cœlestibus, & Chami Aegyptiorum parentis aliorumque tum Magica, tum Chemica, tum Physica plura, quæ Moysem legisse, aut à præceptoribus sibi attributis vel inuitum quædam audisse credibile est.

Verùm hæc omnia, quanquam maxima, in eo, iure contemni possunt, qui longè altiore sapientiâ diuinitùs est imbutus, quàm ea fuerat, quæ labore quæsita, vel ab hominibus tradita fuisset. Quantus ergo hac sapientiâ fuerit Moyses, extremo Deuteronomij capite sic explicatur: *Et non surrexit vltrà Propheta in Israel, sicut Moyses.* Quod, quemadmodum verum sit, fusè disputat R. Moyses Maymonides in suo Moyse, nec pauca R. Abraham Sebain commentario in hunc locum. Moysis elogium Hebraicum hyperbolicum retulit Sebastianus Munsterus ad finem Pentateuchi, quod edidit Hebraicè, & Latinè. Vetus liber Midras Abehir, quem citat Ialkut in sectione Scemoth, hæc de illo sanè non exigua: *Reuelauit ei Deus omnia secreta Legis, & sapientiam, & scientiam, omnem, & secreta vitæ, & ostendit illi omnia, quæ futura sunt in sæculo venturo, Sectas Scribarum, & Sinhedrij: &c.* Mechilta verò apud Ialkut. Sect. Ietro, ait, eiusmodi virum fuisse, qui posset cuiuis quæstioni statim satisfacere, Tractatu Suta cap. 1. *Duodecim gradus erant in Monte Nebo, quos vno gradu transcendit Moyses.* Verùm ego si Moysis laudationem texere hìc velim, & longum, & à cœpto aliorum fecero. Itaque ad libros venio, quos ei tribuunt.

Moysis nomine Apocrypha.

1. Genesis parua.
2. Traditio.
3. Testamentum.
4. Ascensio.
5. Assumptio.
6. Chemia.
7. Magica.
8. Tria capita arcana ante Genesim.
9. Septuaginta duo libri seniorum.

I GEnesis parua, seu *Lepto-Genesis*, velut opus arcanum à Moyse conscriptum, quidam olim magnâ veneratione coluerunt, neque contemnere visus est Epiphanius, cùm in Sethianis, Hæresi XXXIX. sic scripsit: Ὡς δὲ ἐν τοῖς Ἰωβηλαίοις εὑρίσκεται, τῇ καὶ Λεπτογενέσει καλουμένῃ· καὶ τὰ ὀνόματα τῶν γυναικῶν τοῦ τε Κάϊν, καὶ τοῦ Σὴθ. ἡ βίβλος περιέχει· ἵνα κατὰ πάντα τρόπον οὗτοι καταισχυνθῶσιν, οἱ τοὺς μύθους τῷ βίῳ ἐκφωδήσαντες: *Atque ut in Iobelæis inuenitur; quæ etiam Lepto-Genesis vocatur: etiam nomina vxorum Cain, & Seth liber ille continet, vt omnibus modis pudore afficiantur isti, qui fabulas vitę inuexerunt.* Scilicet fabulosum non putabat eum librum, quem fabularum opponit auctoribus. Rursum eumdem posteà de Adami fi-

filijs citat, quod & Cedrenus facit. Sed quod ait, in ea Genesi scriptum fuisse Adamum genuisse nouem alios liberos mares, fœminas verò duas; in Philonis antiquitatibus Biblicis enumerantur Filij duodecim, præter illos tres, Cain, Abel, & Seth; Filiæ quoque octo; adeò fabulis nunquam bene conuenit. Miror hunc librum neque ab Athanasio, neque à Gelasio recenseri inter Apocrypha; nisi forte est is, quem inscribit Gelasius, *De filiabus Adæ, siue Genesis, vbi fortè erat Lepto-Genesis.*

II. T*Raditio.* De hac idem scribit Epiphanius in hunc modum, Hæresi XXXIII. Αἱ παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων δευτερώσεις παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λέγονται; εἰσὶ δὲ αὗται τέσσαρες. μία μὲν ἡ εἰς ὄνομα Μωυσέως φερομένη; δευτέρα δὲ ἡ τοῦ καλουμένου ῥαββὶ Ἀκιβᾶ, τρίτη Ἀδδὰ, ἤτοι Ἰούδα, τετάρτη τῶν υἱῶν Ἀσαμωναίου: *Traditiones seniorum vocantur apud Iudæos, Deuteroses, siue secundæ Institutiones: sunt autem numero quatuor: vna quæ fertur Moysis nomine; altera quæ nomine eius, qui Rabbi Akiba vocatur, tertia Addæ, seu Iudæ, quarta filiorum Assamonæi*: Hæ autem sunt Hebraicè משניות *Misnaioth.* Secundas Institutiones vocaui, Græcam originem secutus; nam Hebraica vox שנה vnde משנה ducitur, & alia multa significat, & innouare, ac docere, quo sensu passim vtuntur hac voce, & simili Chaldaica תנא. Verùm huius Misnæ, quæ nomine Moysis extaret, nullam apud Hebræos fieri audio mentionem; nisi quòd alicubi Misnam priorem nominant, vel antiquiorem.

III. T*Estamentum Moysis.* Athanasius reijcit inter Apocrypha, & proculdubiò ex illis est, quæ Moysis nomine ab Hæreticis conficta queritur Epiphanius.

IV. A*Scensio Moysis.* Apud eumdem Athanasium Apocrypha. Credidit Origenes, Iudam Apostolum ex hoc libro desumpsisse, quod narrat in epistola canonica de Diabolo obiurgato à Michaele; sic enim scribit lib. III. *Peri-Archon.* cap. II. ex interpretatione Ruffini: *In Genesi serpens Euam seduxisse describitur, de quo in Ascensione Moysis, cuius libelli meminit in Epistola sua Apostolus Iudas: Michael Arcban-*

gelus cum Diabolo disputans de corpore Moysis, ait, à Diabolo inspiratum serpentem causam extitisse præuaricationis Adæ, & Euæ. Sed mihi proniùs, ac faciliùs est credere, Iacobum ex traditione, quæ inter Iudæos ferebatur, id concionatoriè, vt ita dicam, vsurpare voluisse, potiùs quàm ex hoc libro; nam si librum aliquem citaret, apponeret, *sicut scriptum est*, vel tale aliquid: at nihil apponit, sed narrationem ipsam, quæ traditione maiorum habebatur, in medium profert, ex eâque desumit id, quod ad commendandum virtutis studium faciat. Fuere semper apud Hebræos huiusmodi narrationes, quibus Concionatores vterentur, quas ideò vocant *Medraseim*, idest *Concionatorias narrationes.*

V. A*ssumptio Moysis.* Alia videtur esse ab ea, quæ vocabatur *Ascensio*, nec tam eius mortem significat hæc vox, quàm Prophetiam, vt respondeat Hebraica משא. Quare mihi credibile est eumdem librum esse, quem alij vocant Apocalypsim Ἀποκάλυψιν, & hunc, quem appellant Ἀνάληψιν. Etsi Clemens lib. 6. Stromatum ex hac *Assumptione* producens visionem Iosuæ, & Chaleb, qui viderint Moysem, dum assumeretur, gloriâ illustratum, & Angelorum cœtu stipatum; significare videatur, eum librum alicui alteri adscriptum fuisse, qui, Moyse iam mortuo, hæc in scripta retulerit. Quidquid autem sit, librum *Apocalypseos* reperio à Georgio Syncello productum inter Apocrypha, è quibus sacræ literæ testimonium petierint; nam post multa in eo genere sic scribit: Ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐκ τῆς Μωυσέως ἀποκαλύψεως; οὔτε περιτομή τι ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις: *In epistola apud Galatas ex Apocalypsi Moysis est illud: Neque circumcisio aliquid est, neque præputium, sed noua creatura.* Analepsim verò, siue Assumptionem Moysis citat Concil. Nicen. lib. 2.

VI. C*Hemiam* quoque illum, quam in Ægypto didicit, scripto tradidisse quidam fabulantur, & liber eo titulo extat, cuius meminit Delrius lib. 1. Disquis. Magicarum cap. 5. quæst. 1. sect. 1. Sed neque hanc, neque vllam aliam Philosophiæ partem ab eo scripto traditam, licèt omnes teneret, Ambros. lib. 6.

lib. 6. Hexaemer. cap. 11. disertè explicat. *Certè Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum; sed quia Spiritum Dei accepit, quasi Minister Dei, inanem illam, & vsurpatoriam Philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit mihi, quæ nostræ spei accommoda adiudicauit.* Ac post aliqua: *Vidit enim in Sancto Spiritu, non illas iam marcescentis sapientiæ vanitates sequendas, quę rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, luduntque operam; sed ea potiùs describenda, quæ ad virtutis spectarent profectum.*

VII. *Magicam* eidem tribuere non puduit calumniam. Scilicet, quia omnes Ægyptiorum Magos diuinâ virtute superauit, visus est locum fabulæ fuisse, vt eâdem arte pollere præ cæteris crederetur. Plinius lib.xxx.cap. 1. *Est & alia Magices factio à Moyse, & Iamne, & Iotape Iudæis pendens.* Iamnes magus Moysis tempore fuit, vt Paulus testis est, & nos posteà dicemus. At Iotapes quis fuerit, non inuenio: nisi fortè Iotapum dixere Iosephum Ægyptij; aut error est, aut Iapetum dici oportuit: quicquid sit, certum est, neque Moysem, neque Iosephum, imò neque Iaphet à Noë parente laudatum, auctorem magicarum præstigiarum esse potuisse.

VIII. *Tria Capita Arcana*, quæ Genesim præire dicuntur à Kabbalistis, & in quibus aiunt quidam de triplici lumine sic agi, vt apertè trium Diuinarum Hypostaseon explicetur Arcanum, non modò vt apocrypha reijcienda sunt, sed grauiori quoque videntur digna censurâ, quòd sacris literis aliquid affingant, & addant; ac si liber Geneseos, qui extat, esset mancus, ac mutilus.

IX. *Septuaginta duo libri* à Senioribus scripti, Moyse dictante, seu potiùs memoriæ commendati; quos posteâ obliuione deletos Esdras instaurauerit, & quos se habere Picus gloriatur, aut nulli esse creduntur, aut iure quidam suspicantur, eos esse Tractatus Thalmudicos, quos ipsi etiam fabulantur à Moyse diuinitùs esse acceptos; sed id quàm falsò, suo loco docebimus.

Apud

Apud Hebræos Moysi tribuuntur.

תורה	1	Lex.
פרשת בלים	2	Sectio Balaam.
איוב	3	Iob.
מזמורי תהילים	4	Psalmi aliquot.

I
II
III SIC enim in Baua Bathra, vbi de sacrorum librorum ordine,& Scriptoribus agitur משה כתב ספרו ופושה בלועם ואיוב *Moyses scripsit Librũ suum, & Sectionem Balaam, & Iob.* Posteà verò, cùm de Dauide agitur, is dicitur scripsisse Psalmos, à decem Auctoribus antè compositos, quorum vnus est Moyses. De Sectione Balaam, deque Iob agitur suis locis sub iisdem nominibus.

IV. PSalmos XI. tribuunt Moysi, sed Hieronymus in commentario in Psalmum XC. non tam scriptorem horum Psalmorum esse Moysem, quàm eum induci à Spiritu Sancto canentem,dicit. Sunt autem Psalmi vndecim, ab eo,qui nobis octogesimus nonus, Hebræis est nonagesimus, vsque ad centesimum primum. Causa tribuendi hos Psalmos Moysi est, quòd inscriptio sit: *Oratio Moysis serui Dei*: De hòc rursus, cùm de Dauide. Sed de Lege vlteriùs explicandum.

Lex. Celeberrimum opus Moysis, ac librorum omnium veteris Testamenti longè nobilissimus,vocatur κατ' ἐξοχὴν *Liber Moysis*, idque non modò Hebræorum commentaria antiqua vsurpant, vt locus paulò ante laudatus ostendit, quo Moyses dicitur scripsisse *librum suum*: sed etiam sacræ Literæ II. Paral. XXXV. u. 12. *Scriptum est in libro Moysis*: & Marci XII. u. 26. *Non legistis in li-*

libro Moysis? Verùm, quia Legis nomen apud Hebræos quatuor motiones habet. Prima comprehendit totum opus Biblicum, seu xxii. libros, quos eorum habet Canon; quo sensu dictum est à Malachia cap. 11. u. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ipsius, quia Angelus Domini exercituum est.* Altera, qua significatur vtraque lex, tradita, & scripta. Tertia, qua duæ Tabulæ vocantur Lex. Quarta demum, ac propria, qua Pentateuchus Lex vocatur. Est in Hebræorum traditionibus, Moysem accepisse à Deo simul hæc omnia; sic enim scribunt in Berachoth cap. 1. ex ore R. Leui Barchama ואתנה לך את לוחות האבן התורה והמצות אשר כתבתי להורותם, לוחות האבן אלו עשרת הדברות, והתורה זו מקרא, והמצות זו משנה אשר כתבתי אלו נביאים וכתובים, להורותם זו תלמוד, מלמד שכלם יתנו למשה מסני: *Et dabo tibi Tabulas lapideas: Legem, & Præcepta, quæ scripsi ad docendum eos. Tabulas lapideas: hæc sunt decem Præcepta. Et Legem, hic est Pentateuchus. Et Præcepta, hæc Misna. Quæ scripsi, hæc sunt Prophetæ, & Agiographa. Ad docendum eos, hic Thalmud. Docet hic locus hæc omnia simul esse à Deo Moysi data in Sinai.* De singulis aliquid, etsi loci interpretatio vanissima sit, & coactissima.

Thalmud. Si pro eo sumatur opere, quod nunc præ manibus est, procul omni dubio non est à Moyse traditum, neque scripto, neque voce. Primùm, quia impium, mendax, fabulosum est. Deinde quia duplex Thalmud est, Hierosolymitanum, & Babylonicum, & si quidem à Deo esset acceptum Thalmud, non posset vtrumque, cùm pluribus locis discrepent; neque Hebræi explicant, vtrum Dei sit. Præterea operis huius & materia, & Auctores longè posteriora sunt excidio Hierosolymitano; quo fit vt nequeat nisi à prorsus insanis ei maior antiquitas tribui. Et sanè Hebræi non modò huius operis verba non tribuunt Moysi, ac Deo, sed in sententijs quoque latum discrimen agnoscunt inter ea, quæ

ex

ex ore Moysis accepta sint, quæ vocantur הלכות למשה מסיני *Quæstiones è Sinai, relatæ à Moyse*, & quæ posteriores constituère, quæ vocantur מדרבנן à Rabbinis nostris, & nihil sæpiùs iterant, quàm non omnia, quæ in Thalmudicis habentur, aut ita esse vera, prout sonant, aut omninò esse Maiorum traditiones; sed magna ex parte recentiorum opiniones, & cogitata: licèt Hieronymus à S. Fide contendat, eos ita de hoc libro sentire, vt non minore eum veneratione ad vltimum apicem recipiant, quàm Pentateuchum, & sacros libros, cuius rei examen aliò reijcimus. Verùm hoc loco Thalmud accipiunt pro explanatione Legis, quam Deus Moysi tradiderit vnà cum Lege. Hoc sensu Tract. Pea. cap. 1. dicitur Thalmudi nullam certam à Moyse constitutam esse mensuram, quòd videlicet explanatio Legis multiplex, atque infinita sit.

Misna Hebraicè idem est quod *secunda*, Græcè Deuteronomium diceretur. Ac si quidem pro eo libro, qui nunc extat hoc nomine, sumitur, constat à Moyse scriptum non esse; nam R. Iudas Princeps eum literis commendauit, antequam simile opus ediderant R. Akiba, & priores filij Assamonæi, nec non altera extabat in Moysis nomen, vt dixi ex Epiphanio; verùm hic Misnę vocabulo intelligunt. *Legem traditam*, quam non ideò secundam vocant, quòd minoris sit, quàm scripta, sed quòd sit eius interpres. Habebant hanc olim Hebræi תורה שבכתב ותורה שבעלפה *Legem, quæ scripto, & Legem, quæ ore.* Nam, quia scripta Lex,& quicquid omninò scribitur in varios sensus trahi potest, ideò opus fuit Lege non scriptâ, quæ contraheret ea, quæ scripto videri poterant plures sensus habitura. Hinc R. Eliezer in Ghittim cap. XII. ait רובה בכתב ומיעוטה על פה *Lex multiplicatur in scripto, & minuitur in ore.* Nam qui scripto hærent, ijs ille exitus patent ex varia vocum significatione, qui verò, præter scriptum, traditam scripti explicationem habent, ijs longè arctior est sensus, nec latè vagari licet. Itidem ait

ait R. Juda Bar Nachmani: *Scriptum est semel* כתוב לך את הדברים האלה *Scribe tibi verba hæc. Deinde iterum scriptum* כי על פי הדברים האלה *Iuxta os verborum horum. Ergo verba scribenda non licet tibi ore tradere, & verba ore tradenda non licet tibi scribere. R. Ismael dicebat, omnia esse scribenda, non tamen Halachot, seu Quæstiones. R. Ionathan dixit, Deus non iniit fœdus cum Israele, nisi per Legem ore traditam, quia scriptum est,* על פי הדברים האלה כרתי אתך ברית ואת ישראל׃ *Iuxta os horum verborum percussi fœdus tecum, & cum Israele.* Summa est: apud Hebræos, quamdiu eorum stetit Respublica, & Religio non minore in pretio fuisse legem ex ore sacerdotis acceptam, quàm ex manu; atque adeò cùm ipsi sacras literas citant, rarò aliter dicunt, quàm שנאמר *sicut dictum est*, & rariùs, nec nisi barbariores כדכתיב *sicut scriptum est.* Nam ipsum Dei verbum scriptum, non, nisi ideò quia traditum est, recipitur; ea enim, quæ scripto feruntur, & ab Ecclesia nobis tradita non sunt, apocrypha vocantur.

Prophetas, & *Agiographa* data esse Moysi in Monte Sinai dicunt eo sensu, vt ille nihil ignorauerit eorum, quæ postea locuti sunt Prophetæ. Nam, quòd nonnulli pertinaciùs vrgent (vt mihi quoque contigit quosdam audire, ac refellere) ea ipsa, quę cæteri Prophetæ scripsere, priùs à Moyse visa, & audita, & tradita senioribus prorsus absurdum est. Fuit autem veteris illius Synagogæ persuasio; omnia Moysi esse tradita, solum enim Moysem vocant רבינו *Magistrum nostrum*; nulli prætereà Prophetarum nomen id tribuentes. Denique in nouo quoque Testamento se apud Ioannem non nisi Moysis discipulos profitentur.

Pentateuchus, certum opus Moysis, ab eo scriptum, ac traditum est Hebræis: Itaque cùm dicunt à Deo acceptum, id instinctu, atque inspiratione diuina scriptum ab eo intelligunt. Quidam tamen absurdè scriptum à Deo ipso dicunt, & in terras de-

 mis-

missum. Ex quibus illa Mahometis fabula manauit, qui dixit, quinque libros à Deo in terras esse demissos. *Legem, Prophetas, Psalmos, Euangelium, Alcoranum*: & ne putes id sanius intelligendum, dies quoque assignat, ac modum, quo descenderint. Alij putant Deum ante aliquot sæcula legem apud se habuisse scriptam igne candido in Tabulis ignis nigri. Hanc legem Moysi à Deo oblatam, ex qua ille descripserit Pentateuchum. Origo fabulæ ex illo Deuteronomij loco: *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de Monte Pharan, & in manu eius ignea lex.* Hebræi abusi allegoriâ sic scribunt in Iekalim Hierosolym. *R. Phinees, nomine R. Lakis, dixit: Lex, quam dedit Deus Moysi, data est in igne candido, insculpta igni nigro; excisa ab igne; & data in igne; Scriptum est enim, & in manu eius, ignis lex ipsis.* Quare & in festo Pentecostes, cum celebrant promulgationem legis in hymnis, toti sunt in igne. Nonnulli tamen fatentur allegoriam, in quibus R. Iacob Aben Chabib ad eum locum ait: Igneam legem dici ob celeritatem, nobilitatem, vimque huius elementi. Falsum igitur, legem à Deo scriptam: non nisi Tabulas digito suo scripsit. Falsum quoque à Moyse scriptum esse Pentateuchum, Deo dictante in Sinai Monte illis quadraginta diebus, quibus primo, aut quibus secundo ibi fuit. Quod tamen sensit sine fundamento R. Moyses Nach Manides initio Commentarij: *Moyses, inquit, descripsit totam Legem ex ore Dei benedicti, & verisimile est id factum esse in ipso monte Sinai.* Superest quærere, an simul totum Pentateuchum scripserit Moyses sub finem vitæ, an particulatim pro rerum, quæ accidebant, successione. Multi hoc potiùs arbitrantur: vt v.g. primò scripserit præcepta de Pascha celebrando, deinde illa, quæ accepit in Mara, atque ita eodem ordine omnia sint scripta, quo gesta: posteà verò in vnum volumen redacta. Non secus atque Homeri Ilias, atque Odissea plures erant Rapsodiæ, quas cùm sparsim ferrentur, primus dicitur in vnum collegisse, & coaptasse Pisistratus. In Ghittim. c. VIII. *Dixit R. Ionathan ex ore R. Banaa: lex tradita est per libellos, siue, vt* Hebraicè est, מגילה

מגילות *Libelli, libelli. Et posteà dixit R. Leui, octo sectiones dictæ sunt eo die, quo Tabernaculum dedicatum est. Sectiò Cohanim, idest Sacerdotes, Leuijm, id, Leuitæ. Tamaim, id, Polluta. Seiloach Tamaim, id, missio Pollutorum. Achare Moch, id, post mortem. Sciatui Iain, id, potus vino. Niddoth, id, Menstruatæ. Pera Echoma, id, Vacca rufa.* Hæc illi.

Libri Moysis, quorum in Pentateucho mentio est.

ספרי משה שבתורה

מלחמת עמלק 1 De Bello cum Amalecitis.

ספר הברית הראשון 2 Liber Fœderis prior.

ספר הברית השני 3 Liber Fœderis posterior.

I. COmmentarius de *Bello cum Amalecitis* scriptus est à Moyse, Deo iubente. Exodi XVII.n.4. Nam post relatam ex eis victoriam iussus est Moyses à Deo rei gestæ seriem memoriæ posterorum tradere: *Dixitque Dominus ad Moysem, scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue.* Dubitat Aben Esra, an liber hoc loco significat librum legis, nam dicitur per excellentiam ἡ βίβλος, vt ostendit Patach, quod est in ב vocis בספר. Aut certè, inquit, alius erat liber, in quem referri acta mos erat, quo nos caremus: & fortè erat *Liber Bellorum Domini*. Id tamen omninò certum est, Moysem Deo imperanti paruisse, & belli huius narrationem literis consignasse. Cur autem Iosue, qui adfuerat, imò præfuerat rei gestæ, iussus est à Moyse de re tota edoceri? Nimirùm quia, vbi Moyses eamdem rem Deo iam docente referebat in scriptum, Iosue cogebatur ea

de re plus Moysis linguæ credere, & calamo, quàm suis oculis. Itaque etiam hinc apparet auctoritas, & necessitas Traditionis. *Scribe*, inquit, *ac Trade*: eiusdem ergo est scribere, ac tradere, & frustrà scribitur Verbum Dei, nisi eius explicatio diuinitùs accepta tradatur.

II. LIber *Fœderis prior* scriptus à Moyse. Exodi xxiv. u. 4. *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini*. Nec bene hoc loco R. Salomo ait, eum scripsisse à Mundi Creatione ad eam diem. Nihil enim horum locus indicat, sed tantùm ea scripsisse, quæ Deus iussisset in Mara, & quæ postea esset locutus. Neque Aben Ezræ subscribendum, qui ait, tunc à Moyse scriptum librum fœderis, nisi addamus priorem; posterior enim liber fœderis scriptus est, fortè in ipso Sina Monte, secundis quadraginta diebus, aut post reditum; at prior ante ascensum in Sina; posterior iussu Dei: de priore non extat oraculum; neque intelligi potest hoc loco per prolepsim narrata scriptio secundi libri fœderis; nam disertè ait sacer Auctor, Moysem priùs scripsisse librum hunc, deinde extruxisse altare; quamobrem non sunt hi duo libri confundendi.

III. LIber *Fœderis posterior*. Exodi xxxiv. u. 28. *Dixitq; Dominus ad Moysem: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in Tabulis verba Fœderis decem.* Alius hic liber à priore; quia plenior, & iussu Dei scriptus, adiectis quæ Deus post priora illa iusserat. Sed quæstio esse potest, quid sibi velit, quod ait: *& scripsit in Tabulis verba Fœderis decem*: An in Tabulis ijsdem, quas Deus scripserat, an verò in alijs, & num verba tantum hæc *Decem*, & cur? Auctor quæst. vet. & noui Testamenti quæstione clxvi., & nonnemo alius, hoc argumento ductus credidit duas posteriores Tabulas à Moyse, non à Deo scriptas, quòd sequi non licet, cùm sæpissimè Deus, & polliceatur, se scripturum eas Tabulas secundas, & profiteatur se eas scripsisse, non Moysem; vt hoc eodem capite initio Deuteronomij x. Abenezra, vt nodum hunc soluat, ait, Moysem scripsisse librum fœ-

deris, & ei addidisse etiam Decalogum; ita vt bis idem scriptum extaret, sed locus apertè docet *Decem verba* עשרת הדברים scripta fuisse in Tabulis; quarum nomina præsertim cum prefixo *He* δεικτικῷ, non nisi duæ illæ Tabulæ veniunt celebriores; ergo facilior exitus erit, si dixeris hic, recepto Hebræis more, transiri à Moyse ad Deum; quia enim dixerat: *Fuit ergo ibi cum Domino*: id quod addit, *& scripsit* non refertur ad Moysem, sed ad Dominum: Quare sequitur, *Cumque descenderet Moyses.* Nam si proximè de Moyse egisset, non oportebat eius nomen iterare; cùm autem sic loquatur, indicio est, priora non esse accipienda de Moyse. Paulus ad Hebræos IX. *Primum Testamentum*, inquit, *non sine sanguine dedicatum est; postquam enim legit Moyses omne mandatum Legis vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & hyssopo ipsum quoque librum, & populum aspersit.* His verbis non posteriorem hunc librum indicat, sed priorem, qui vocatur à Moyse *Volumen Fœderis.* Exod. XXIV. *Assumensque volumen Fœderis, legit coram populo.*

Descriptio Mansionum duarum & quadraginta. De hac Numerorum XXXIII. u. 1. *Hæ sunt mansiones filiorum Israel, quas descripsit Moyses, iuxta castrorum loca, quæ Domini iussione mutabant.* Hebraicè est, *Et scripsit Moyses exitus eorum ad profectiones eorum, iuxta os Domini.* R. Salamo hoc loco: *Cur scriptæ sunt mansiones? Ad ostendendam Dei misericordiam, qui licèt eos voluerit circumagere per Desertum, ne quis tamen diceret eos quadraginta annis errones, ac vagos, nullum certum locum quietis habuisse, en tibi non vnam, sed duas & quadraginta mansiones.* Quare etiam credi potest libellus hic scriptus à Moyse, antequam proficisci inciperent; nam postquam omnes quadraginta mansiones lustrassent, nihil opus erat itinerario à Moyse scribendo. Adde quòd seorsim scriptum hoc à Moyse indicat Sacer Textus: at post mansiones peragratas Moyses Pentateuchum scripsit, in quo de mansionibus etiam egit: Quare nam videtur eo tempore singularem libellum de ijs editurus fuisse; de ni-

nique cùm dicatur ſcripſiſſe *iuxta os Domini*, id eſt ex ore Dei, ſignum eſt propheticè ab eo ſcriptum hunc librum, non hiſtoricè, atque adeò antequàm in ijs manſionibus fuiſſet.

Canticum ſcripſit Moyſes, ſeorſim à Lege, non illud, quod vnà cum ſorore cecinit in diuiſione Maris rubri; ſed alterum, quo ſub mortem omnes Hebræos monuit, ac tùm præmia bonis, & morigeris, tùm ſupplicia contumacibus, & refractarijs ſpopondit. Deuteronomij xxxi. u. 22. *Scripſit ergo Moyſes Canticum, & docuit filios Iſrael.* Quid docuit? obſcuriora poëticæ dictionis? an ſententiæ ſecretioris arcana? an modos muſicos? an ſcribendi rationem? (quæ in hoc præſertim carmine apud Hebræos multiplicem habet quæſtionem, vt illi in ſuis *Halachot ſepher Thora*, ac præcipuè Ioſeph Karus) an ſimul omnia? Nihil faciliùs, quàm dicere, eum & ſcripſiſſe pro ijs, qui literas ſcirent, & eadem verba docuiſſe eos, qui neſcirent, ſicut & cæteros facere iuſſerat. Verſu 19. *Scribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſrael, vt memoria teneant.*

Lex. Videtur Moyſes ſcripſiſſe librum legis aliū à Pentateucho, & libro Fœderis; ſic enim ſcribitur Deuter. xxx. u. 9. *Scripſit itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filijs Leui.* Si verba hæc ſcripta ſunt, poſtquam geſtum eſt id, quod narratur, neceſſe eſt, librum à Moyſe ſcriptum fuiſſe alium à Pentateucho, & alio tempore ſcriptum. Et ver. 24. *Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba Legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant Arcam Fœderis Domini, dicens: tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei veſtri, vt ſit ibi contra Te in teſtimonium*: Rurſum argumentor: ſi liber, qui à Moyſe tùm ſcriptus eſt, eſſet liber hic ipſe, in quo iſta narrantur, diceretur; *in volumine hoc*: atqui tantum dicitur *in volumine* על בספר, ergo alius liber fuit, non hic. Deinde dum ſcriberet Auctor hunc librum, ille alter narratur multò antè ſcriptus, atque abſolutus בכלות משה לכתוב *Cùm abſoluiſſet Moyſes ſcriptionem*; ergo alius

alius liber erat ille, alius est hic. Et fortè sic facilè solui potest celeberrima illa quæstio, ex qua tum R. Salomo, tùm cæteri illum secuti Interpretes, Commentarios in Legem inchoant. Dixit R. Isaac: *Non videtur fuisse necessarium exordiri Legem tam altè (à creatione Mundi) sed satis erat incipere à verbis illis: Mensis iste vobis principium mensium: Illud est enim primum Legis Præceptum.* Quàm ipsi ita soluunt, noluisse Moysem ostendere omnia creata esse à Deo propter Israelem, sed faciliùs ita soluetur: Exordio quidem scriptam esse à Moyse Legem Dei, ter. Primò cùm librum Fœderis priorem, secundò cùm posteriorem scripsit, tertiò cùm scripsit librum, quem in Arca iussit collocari: & is liber, qui tantùm imperia, & iussa Dei continebat, satis esse poterat ad Legem, verùm vberioris Institutionis causâ, & ad fundamenta Religionis altiùs pernoscenda. Librum posteà scriptum ab eodem Moyse, qui simul omnia complecteretur, & probabile est hunc esse librum illum Legis, quem tantâ Iosiæ Regis admiratione, ac motu, recèns inuentum ex adytis protulit Helkias summus Sacerdos IV. Reg. XXIV. Nam Pentateuchum omnes habebant. Sed librum hunc à Moyse scriptum Sacerdos in Arca inuenisse dicitur, ac Regi legendum obtulisse. Verùm hæc sapientioribus iudicanda.

Quæ in Pentateucho describuntur, à die, qua Moysi Deus apparuit, quibus interuallis temporum euenerint, sic Hebræi describunt, in Seder Olam, ex quo breuiùs R. Ghedolias in Catena. *Die* XV. *Nisan, Deus Moysi in Sina apparuit, locutus cum illo septem diebus continuis. Euoluto anno,* XIV. *Nisan, occiderunt Pascha, nocte insequente Cædes Primogenitorum.* XV. *Exitus, feria* VI. *triduò in Pi Hakidoth. Quarto die dictum est Pharaoni, fugisse Populum. Quinto & sexto persecuti sunt Ægyptij populum, & intrauit Israel mare, & post eos Ægyptij, qui submersi sunt die Sabbathi manè, qui erat septimus ab Exitu, & vltimus Paschæ: Exierunt Israelitæ è mari, viderunt Egyptios submersos, & cecinerunt Canticum, & profecti sunt in Mara, ibi acceperunt decem præcepta: deinde in Elim, & inde in Desertum Sina, qui vocatur Alus, quò per-

peruenerunt die Hebd. 1. mensis Iiar. xv. & vsque ad eum diem comederunt placentas ex massa, quam attulerant ex Ægypto: Ex qua comederunt sexagies semel. Et tunc acceperunt Man, & Coturnices, & fuerunt ibi septem diebus, & acceperunt præceptum de Sabbatho obseruando, & fontem aquæ, & pugnauerunt cum Amaleck. Inde discesserunt primo Hebdomadæ die, Kalendis Siuan, & venerunt ad Desertum Sinai, & inuenerunt super eum Nubes Maiestatis, & Moyses peruenit eò secunda die mensis, summo manè; Populus autem peruenit de die. Manè autem diei tertiæ mensis ascendit Moyses in Montem, vt verba Populi referret. Tunc illi dictum est: Vade ad Populum, & sanctifica illos, & sint parati in diem tertium, qui erat sextus mensis, & dies Sabbathi: & eo die auditus est sonus Tubæ, & accessit Moyses ad Nebulam tenebrosam, & accepit decem Præcepta. Populus autem non audiuit, nisi duo prima mandata: Ego sum Dominus Deus tuus, & non sint tibi Dij alieni. Et post decem præcepta tradita congregati sunt Senes Israel, & dixerunt Moysi: Loquere Tu nobiscum. Et Moyses rursus accessit ad Nebulam, & Populus stetit longè. Et tunc dictum est illis: Vos vidistis, quia de Cœlo locutus sum vobis, & tota sectio Mispatini, & Hinne Anocbilcioleacb. Et statim atque descendit Moyses, vt Populum doceret, venit illi Oraculum, & dixit: Ascende ad Deum. Hoc est, iussit illum secundò ascendere, & sic fecit, & cum eo Sacerdotes, & septuaginta Viri. Et hi quidem longè steterunt, sed Moyses accessit. Populus autem eius reditum expectabat. Et descendit Moyses, & retulit Populo decem Præcepta Dei: & Populus respondit: Omnia quæcunque locutus est Dominus, faciemus. Et tunc Moyses scripsit omnia hæc in libro, & omnia hæc facta sunt die vi. quæ fuit dies promulgatæ legis, vsque ad vesperum. Et sequenti die manè surrexit, & ædificauit altare sub Monte, & duodecim Statuas, vt induceret Israel ad pactum sanguinis. Et dimisit pueros, vt victimas immolarent. Et ante receptionem pacti, accepit Moyses librum Legis, quam scripsit die sexto præterito, & legit

in

in auribus omnium, vt viderent quid cogitassent nocte præterita. Et responderunt: quidquid locutus est Dominus, faciemus, & audiemus. Et tunc Moyses accepit sanguinem, & aspersit eo Populum, & rursus ascendit, sicuti iussus fuerat, & fuit in monte diebus xl. *Et* XVII. *die mensis Tanmuz descendit, & fregit Tabulas. Et decima octaua rursus ascendit exoraturus Deum, & mansit rursus* xl. *diebus: & Deus, illius precationi morem gerens, Populo indulsit, iussitque alias Tabulas illum excindere, & præcepit qua forma extruendum esset Tabernaculum. Descendit itaque* XXVIII. *mensis Ab, excidit duas tabulas; & rursus ascendit die* XXIX. *mensis eiusdem, ibique mansit diebus* xl. *Tertio: Tunc data est illi secundò Lex. Descendit autem die decimo Tisri: In cuius rei memoriam, statutum est ieiunium Festi Propitiationis. Tunc præcepit modum construendi Tabernaculi. Dixerunt quoque Sapientes nostri, Diuinam Maiestatem (Secebina) detinuisse se in Monte à tempore, quo primæ Tabulæ datæ sunt, vsque ad id, quo secundas dedit; idest diebus* lxxII. *& præterea vsque ad diem, quo Tabernaculum dedicatum est, quod fuit Kalendis Nisan. Et tunc discessit inde, & sedit super Propitiatorium. Et ibi in Tabernaculo tradita est Lex non scripta, die Hebdomadæ primo mensis Adar. Tertio inceperunt, sex dies pleni, quibus Moyses Tabernaculum adornabat manè, & in eo offerebat oblationes suas, & vespere illud deponebat; & die octauo, qui fuit Kalendis Nisan, adornauit Tabernaculum, & non deposuit illud. Eodem die ingressi sunt Aaron, & Filij eius, vt Sacerdotio fungerentur. Eodem die cœperunt offerre, & mortui sunt Nadab, & Abiu. Anno secundo exitus ab Ægypto, Kalendis Iiar, dictum est: Numerate capita, & tunc accidit Barascin Midbar, & Naso. Decimaquarta mensis Iiar celebratum Pascha secundum. Et tunc morati sunt in deserto Sinai* XI. *mensibus, &* XX. *diebus: Secunda Iiar, Nubes ascendit, & Castra mouit Israel à Deserto Sinai, & venerunt ad sepulcra concupiscentiæ, & ibi manserunt septem diebus, quibus Maria mansit clausa, ob lepram. Die* XXII. *peruenerunt*

ad Desertum Pharan, *&* xxix. *eiusdem missi sunt exploratores*, *&* *redierunt post* xl. *dies*, *eratque nona mensis Ab*, *qua decretum est*, *vt omnes in Deserto morerentur*, *&* *statim accidit murmuratio Core. Decem & nouem annis iuerunt vagi*, *&* *extorres per varias mansiones*, *vti apparet in Parasein Massabim*. *Et* xix. *annis manserunt in Kades Barne*, *quousque ibi quadraginta duas mansiones mutarunt*. *Kalendis Nisan*, *anno* xl. *ab exitu peruenerunt ad Desertum Zin*, *hæc est Kades*, *&* *ibi mortua est Maria*, *decima mensis*, *&* *ibi sepulta. Tunc misit Moyses Legatos ex Kades ad Regem Edom*, *&* *post tres menses venerunt in montem Haar*, *&* *ibi mortuus est Aaron*, *prima mensis Ab*. *Et venit Cananeus pugnaturus cum Israel*, *&* *reuersus est Israel per septem mansiones*, *&* *accidit anno* xl. *ab exitu*. *Kalendis Sceuat*, *vsque ad Sextam Adar exposuit Moyses legem Israeli*. *Sextâ huius dictum est Moysi: iam dies propriores facti sunt*, *vt moriaris. Septimâ huius dixit Moyses Israeli*: *Centum viginti annorum ego sum*, *eâque die est mortuus*. *Et ex Man*, *quod eo die collegerunt*, *comederunt vsque ad* xvi. *Nisan*. *Populus verò transiuit Iordanem vnà cum Iosue* x. *Nisan*. Hactenus illi.


Tabulæ duæ Lapideæ.

DVæ Tabulæ lapideæ, decem mandatis inscriptæ, Dei quidem opus fuere; sed, quia Moysis manibus delatæ (cui nonnulli non bene eas tribuunt) aliquid hoc loco de ijs dicere opportunum iudicaui. Ac primùm de Tabulis ipsis, deinde de Scriptura, tum de Præceptis, tertiò de confractione priorum Tabularum. Tabulas vocant sacræ Literæ lapideas, ex quo verò lapidum genere fuerint, non explicant. Rabbini putant Sapphirinas; vnde etiam de Sapphiro solij Dei excisas, non dubitant dicere. At sacra Historia fortè id non tacuisset, si ex Sapphiro fuissent. Cùm autem dicat tantùm lapideas, videtur indicare è vulgari lapide fuisse. Adde, quòd posteà Moyses iubetur sibi ipse quærere consimi-

similem lapidem, & præcidere tales Tabulas, quales meminerat priores. Atqui nec Moyses facilè tales gemmas vsquam reperisset, nec Sapphiri rupes alicubi esse legimus, vnde præcidi possent duæ Tabulæ. Præsertim (vt suis eos traditionibus vrgeamus) quòd earum Tabularum non exiguam aiunt fuisse magnitudinem. In Scekalim Hierosolymitano *R. Samuel Bar Nachmani dixit: Tabulæ erant longæ cubitus VI. & latæ cubitos VI.* Formâ nempe quadratâ. Pondus quoque earum tradunt. *Docuit R. Judam: Tabulæ pendebant quadraginta Seas; sed Scriptura eas sustinebat.* Scriptura verò cuiusmodi esset, bis explicat Moyses. Primùm Exodi XXXI. v. 18. כתובים באצבע אלהים *Scriptas digito Dei.* Deinde cap. seq. v. 18. לוחות כתובים משני עבריהם מזה ומזה הם כתובים והלוחות מעשה אלהים המה והמכתב מכתב אלהים הוא חרות על הלוחות *Tabulæ scriptæ ex duabus faciebus ipsarum, hinc, & hinc erant scriptæ, & Tabulæ opus Dei erant, & Scriptura Dei, insculpta super Tabulas.* Tabulas ait fuisse opus Dei, priores scilicet, quas Deus exciderat: & Scripturam opus eiusdem Dei, & scriptas fuisse ex vtraque facie hinc, atque hinc. Explicant Hebræi variè quid sit, *Hinc, atque hinc* מזה ומזה. Primùm dicunt fuisse literas non insculptas tantùm, sed lapide penitùs perforato traiectas, & transmissas. Ex quo in eorum Traditionibus celebre dictum illud est. מם וסמך שבלוחות בנס היו עומדים *Samech, & Mem finale prodigio stabant in Tabulis.* Medium enim harum literarum non cingebatur vlla ex parte reliquæ Tabulæ, sed pendebat vndique, à reliquo seiunctum. Atque hinc Abraham Rophe, & Azarias Edomæus, alijque ostendunt scripturam Tabularum fuisse, quam vocamus Assyriam, quæ nunc vsui est. Alij verò illud *Hinc, atque hinc* referunt ad geminatum Decalogum, ita vt eadem verba non semel, sed bis vtrinque essent scripta. Quid verò bis? imò quater, imò octies. In Sceкalim, quem citaui, sub finem: *Quomodo erant scriptæ Tabulæ?*

Ananias Ben Gamaliel dixit: Quinque Præcepta erant in vna, & quinque in altera. Rabbini communiter dixerunt X. in vna, & X. in altera. R. Simeon Ben Iochai dixit XX. in vna, & XX. in altera. R. Simai dixit XL. in vna, & XL. in altera. Quæ duæ posteriores sententiæ indigent explicatione. Dicebant, vt R. Iacob Aben Chabib exponit, R. Simeon quidem, bis in eadem Tabula decem præcepta esse scripta, diuiso spatio quadrato in duo æqualia Parallelogrammata, R. Simai verò, quater eodem quadrato spatio decussato, atque in quatuor triangula æquilatera diuiso. Hoc modo:

Tabula Prima.



Tabu-

Tabula Secunda.



Sed quia Præcepta inæqualia ſunt, alia longiora, vt primum, alia breuiſſima, vt לא תרצח *Non occides*, ideò, nequid inconcinnum, aut inæquale in ea ſcriptura cogantur admittere, dicunt præter præcepta fuiſſe etiam ſcriptam eorum explicationem, vt ibidem ſcribunt בין דבור לדבור דקרוקיה ואותיותיה של תורה ממולאים כתושיש כימא רבא *Inter præceptum & præceptum erant ſubtilitates eius, & literæ eius Legis, ſcilicet: Plenæ Tharſis, ſicut Mare magnum.* Quidam putant, non modò puncta, Maſoram, & Commentarium addi-

additum fuisse mandatis, sed etiam, quæ præcepta, velut ex matribus, ex his decem oriuntur, adnotatum. Quid autem sibi velit illud, *Plenæ Tharsis*, explicant ibidem. *R. Iosue, quoties explanabat hunc locum, dicebat, bene docuit nos R. Chananias, quid sibi vult hoc Mare? sicut inter duas vndas maiores est vnda minor, ita erant inter præcepta subtilitates, & interpretationes Legis*. Metaphora ex Canticis! *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ Tharsis*. *Manus*, explicant, Decem Præcepta. Vnde & Maimonides librum, quem hoc argumento edidit, inscripsit *Manum*. *Plenæ Tharsis*, idest Maris instar vndosi. Puncta vocalia in Tabulis tradita esse scribitur in libro Zohar. At R. Elias, & alij referunt ad longè posteriorem Academiam Tiberiensem. Plura de Scriptura, ac forma Tabularum, & quo pacto in Arca iacêrent, quantum spatij occuparent, an priorum Tabularum fragmenta in Arcam illata sint, an posteriores tantùm, an vtrumque? & siqua sunt alia eiusmodi, pluribus eodem Tractatu Sceckalim explicantur: sed pleraque omnia fabulosè. Fregisse Moysem priores Tabulas iussu Dei, dicunt quidam in vetere Commentario Aboth R. Nathanis. At contrà in Sciabath cap. ix. dicunt: ג דברים עשה משה מרעתו והסכים הב״ה עמו. הוסיף יום אחד מרעתו, ופירש מן האשה ושבר את הלוחות. *Tria Moyses fecit ex propria sententia, & comprobauit ea Deus. Adiecit vnum diem ex sua sententia* (Deus enim biduò sanctificari Populum iusserat, Moyses triduo) *Separauit se ab Vxore, & fregit Tabulas*. Rursum ab vtraque diuersa sententia est, quam in Sceckalim referunt. *Docuit R. Iudas: Tabulæ pendebant lx. seas, sed Scriptura sustinebat eas. Statim atque ob scelus Vituli Scriptura in ijs amplius non apparuit, deciderunt ex manibus Moysis, & fractæ sunt*. Plures tamen dicunt (id, quod verius est) Moysem fregisse Tabulas. Tum R. Eliahu: *Aspexit in Tabulas, & vidit Scripturam ab ijs euanescentem; statim proiecit eas è manibus suis, & factus est mutus*. Philo in antiquitatibus Biblicis, quisquis tandem is fuit: *Festinans Moyses descendit, & vidit Vitulum, & re-*

& respexit in Tabulas, & vidit quoniam non erant scriptæ, & festinans confregit eas. Quanti verò steterit Israeli iactura Tabularum priorum, sic scribunt in Erubim c. IV. *Nisi fractæ fuissent Tabulæ priores, Israel nunquam esset oblitus Legem, neque exteri illis imperassent.* Præcepta porrò ipsa decem Hebraicè דברות vel דברים idest verba, vel oracula, vnde & Græcè Decalogus dicitur, Hebræi dicunt, partim à Deo, partim à Moyse fuisse promulgata; hoc est prima duo à Deo; nam loquuntur in prima persona, vt Grammatici dicunt, reliqua octo à Moyse: quare duo hæc prima præcepta addentes præceptis comprehensis in Lege Moysis dicunt in vniuersũ esse Præcepta DC.XIII. Scriptum est enim: *Legem præcepit nobis Moyses*, Hebraicè, תורה צוה לנו משה vox תורה continet numerum DC.XI. Tot sunt, eorum opinione, Præcepta, quæ Moyses promulgauit, quibus si addas duo à Deo ipso prolata, sunt DC. XIII. Veteres Hebræi, dum illud legunt, *Et cunctus Populus videbat voces*, arbitrati sunt decem Præcepta non modò audita, sed visa etiam à Populo, quod ita describit Targum, nomine Ionathæ, sed falsò, extans: *Præceptum primum, cùm egrederetur ex Dei ore, erat quasi scintilla, quasi fulgura, quasi flammæ ignis, lampas lucis à dextera eius, & lampas ignis à sinistra eius, mouebatur, & euolabat in aerem cœlestem, & reuertens conspiciebatur super caput Israelitarum, ac deinde insculpebatur Tabulis Fœderis, quæ erant creditæ Moysi, ex vtroque earum latere.* Quot verò in horum decem mandatorum promulgatione prodigia euenerint, apud Philonem illum Biblicarum antiquitatum Scriptorem reperies: *Ecce*, inquit, *voces tonantium, & coruscantium splendor, & vox organorum sonabat fortiter, ecce montes ardebant igne, & terra tremuit, & colles conturbati sunt, & montes voluebantur, & abissi ebulliebant, & omne habitabile mouebatur, & Cœli plicabantur, & nubes hauriebant aquam, & flammę ignis exardescebant, & tonitrua, & fulgura frequentabant, & venti, & procellæ strepebant, astra congregabantur, & Angeli præcurrebant, quousque*

que Deus poneret Legem Testamenti sempiterni Filijs Israel, & daret præcepta æterna, quæ non transirent Legis editiones ante Christum septem.

Prima à Moyse, qui eam Sacerdotibus tradidit. Secunda à Iosue, qui rursus eam descriptam promulgauit. Tertia ab Ezechia, qui diligenter exemplaria conferens repurgatam ab erroribus librariorum protulit. Quarta Pontificis Helkiæ, qui putatur eam obliuioni datam rursum in lucem eruisse. Quinta Samaritanorum, quæ tempore captiuitatis Babylonicæ scripta est. Sexta Esdræ celeberrima. Septima Hillelis, qui eam diligentiùs adnotatis apicibus edidisse fertur. Reliquæ editiones conueniunt. Samaritanorum vna dissentit à cæteris: ea præcipua dicitur inter eos causa fuisse dissidij, secundum hanc, quæ de Templis orta est. Eusebius in Chronico, Interprete Hieronymo: *Samaritani, & Iudæi Alexandriæ, Ptolemæo iudicante, contendunt de honoribus, ex vtraque parte Templo suo deferendis, & superant Iudæi.* In quem locum adnotat Scaliger: *Eadem lis refertur à Samaritanis in Chronico eorum, quod penes me est. Sed si Dijs placet, sub Nabuchodonosoro. Idque non de Templis, sed de Legis libro. Prouocarunt enim se se sponsione, vt vtrique Legis librum in ignem conijcerent, & quorum liber illæsus educeretur ex igne, vt illa pars vicisse iudicaretur.*



TITV-

TITVLVS IX.

Aaron.

אהרן

AAron Amrami filius, Moysis frater natû maior, summum Gentis Hebraicæ Sacerdotium adeptus est, Deo quidem iubente, sed iure etiam aliquo prælatus Moysi; cùm Primogeniti Sacerdotes essent. Hunc Scriptoribus Hebraicis adnumerare volui; quanquam nihil ei singulare adscribi video, tum ne primi Pontificis prætereatur memoria, tum quia etsi Legis scriptæ Auctor non fuit, Traditionis tamen Auctor primarius habetur. Sic enim, vt paulò antè monuimus, dicunt, Moysem à Deo geminam Legem accepisse, scriptam alteram, seu scribendam; alteram non scriptam, nec scribendam; hoc significari ipso nomine *Sinai*, quod Hebraicè scribitur סיני: Nam hæ tres literæ, si seorsim integræ scribantur, duplum numerum continent eius, quem alioqui habent; vt ס sexaginta continet, sed Samech סמך quod est integrum literæ nomen continet bis sexaginta, idest cxx. ita י continet decé, sed Jod יוד bis decem, idest xx. & נ habet quinquaginta, sed Nun נון bis quinquaginta, idest C. Ita Lex in Sinai data duplex est, *Scripta*, et *Tradita*. Scriptum igitur à Moyse editum omnes acceperunt; sed *Traditionem* Moyses soli Aroni primùm demandauit; vt ex eo cæteri omnes discerent. Sic habetur in Taba R. Eliæ; & refert Ialkut in Sect. כי תשא vbi Aaronem inducit edocentem; atque instruentem omnes. Sic enim decebat eum, qui Moysis Propheta erat: imò sic decebat eum, qui summus Pontifex erat; vt vel inde homines discerent summum Pontificem sacrarum Traditionum magistrum agnoscere. Prima ergo Traditio Aaroni facta est. Licèt alij dicant Moysem primùm soli Aaroni, deinde ipsi cum filijs,

tertiò ijsdem cū Senioribus, quartò his omnibus, & simul toti Populo eadem tradidisse. Quare id, quod Aaron quater audiuit, filij ter audiuerunt, Seniores bis, Populus semel. In Ros Hasciana cap. כיצד מעברין sic scribunt: *Docent Magistri nostri, hunc fuisse ordinem Traditionis: Moyses dicit ex ore Omnipotentiæ: ingressus est Aaron, & docuit eum capitulum suum; recessit Aaron ad sinistram Moysis: ingressi sunt filij eius, & docuit eos Moyses capitulum eorum; recesserunt seniores: ingressus est Israel, & docuit eum Moyses capitulum suum. Sic inuenta sunt in manu Aaronis quatuor, in manu filiorū eius tria, in manu Seniorū duo, in manu Populi vnum. Recessit Moyses, & Aaron docuit omnes capitulū suum. Recessit Aaron, & filij docuerut capitulum suum. Recesserunt Filij, & Seniores docuerunt capitulum suum; & sic totus Populus habuit quatuor. Hinc dicebat R. Eliezer F. Azariæ: Magister discipulos suos eandem rem quater docere debet.* Legis quoque scriptæ custos primarius Aaron fuit; nam Deus iussit exemplar Legis primarium ei tradi; atque ab eo in Arca seruari; vt quicquid accideret ambigui, siue in scriptæ, siue in traditæ Legis explicatione, aut mente, ad Aaronem, eiusque successores eundum esset, tanquā ad eos, quibus Deus non modò altaris, & vasorum; sed Legis, ac dogmatum, in quibus multò certiùs quàm in altari, ac templo Religio sita est, custodiam demandauerat.

Legis etiam scriptæ partem aliquam Aaroni vnà cum Moyse traditam constat ex ijs locis, quibus dicitur Deus locutus esse Moysi, & Aaron; vt in Psalmo xcviii. u. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos, custodiebant testimonia eius, & Præceptum, quod dedit illis.* Hebræi tamen videntur hoc velle detrectare; ne quid Moysi gloriæ decedat, si quid non solus audisse ex Deo dicatur; quare vetus liber Sifri adnotat tredecim loca, in quibus Deus locutus est Moysi, non Aaroni, quæ refert Ialkut Sect. Teruma. Ex quibus colligi volunt etiam cùm dicitur: Deum locutum Moysi, locutum esse per Moysem Aaroni; sed hæc nimis coacta videntur.

Sectio *Emor* idest *loquere*, xxi. Leuitici tribuitur singulariter Aaro-

Aaroni; sic enim scribitur in Vaykra Rabba: *Timor Domini purus permanens perpetuò? Dixit R. Leui ob timorem, quo Aaron timuit Dominum, meruit, vt daretur illi Sectio hæc*, qua de puritate agitur, & purificationibus.

Scriptura, quæ in Rationali erat, & quæ in Superhumerali, in quibus duodecim Tribuum nomina inscripta habebantur, huc etiam pertinet. Nam Pontifex nomina duodecim Tribuum bis inscripta vestibus gerebat. Primùm in duabus gemmis, de quibus Exodi XXVIII. *Sumes duos lapides Onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum.* Deinde in Rationali; quod Hebræi *Choren*, Græci Λόγιον vocant, quadratâ formâ pectori Pontificis hærente: de quo ibidem. *Rationale quoque iudicij facies opere polymito: quadrangulum erit, & duplex, mensuram palmi habebit, tam in longitudine, quàm in latitudine, ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit Lapis Sardius, Topatius, & Smaragdus: in secundo Carbunculus, Sapphirus, & Iaspis: in tertio Ligurius, Achates, & Amethystus: in quarto Chrysolithus, Onychinus, & Beryllus. Habebuntque nomina filiorum Israel. Duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus.* Quod spectat ad duos Onyches, qui erant in Superhumerali, in Suta cap. VII. scribunt, nomina duodecim Tribuum habuisse literas L. quarum vigintiquinque in primo Onyche erant insculptæ, totidem in secundo: Sic

Secundus Onyx.	Primus Onyx.
גד אשר יששכר	ראובן יהודה שמעון
זבולון יוסף בנימין	לוי דן נפתלי

Alij verò aliter sic:

Secundus	Primus
בנימין דן נפתלי	ראובן שמעון לוי
גד אשר יוסף	יהודה יששכר זבולון

NAm cùm sacræ Literæ dicant, debuisse scribi nomina, *iuxta ordinem natiuitatis eorum*, duæ sunt Hebræorum opiniones. Quidam putant eodem ordine, quo nati sunt, eos fuisse scriptos, quod etiam Iosephus sequitur, & hi priorem scribendi ordinem tradunt; nisi quòd Iudas secundò loco ponitur, qui tertio ponendus erat loco: alij verò, quos sequitur R. Ezechias in commentario, quem vocant Chazkuni, putant ordinem matrum spectandum esse; vt priùs ponantur omnes filij Liæ, quæ prima peperit: hi sunt Ruben, Simeon, Leui, Juda, Issachar, Zabulon: deinde filij Balæ, Dan, Nephtali: tertio Zelphæ, Gad, Aser: vltimo Rachelis, Joseph, Beniamin, qui vltimus in secundo lapide poni debuit, primus ponitur; sed Josephus hanc scripturam recensens loco Leui, & Joseph ponit Ephraim, & Manasse. Hebræi verò spectantes vim vocis כתולדותם *Iuxta natiuitatem suam* putant duodecim Tribus ita scribendas fuisse, sicut natæ sunt, non posteà adoptione mutatæ, vel aliter enumeratæ.

Rationale verò *Iudicij*, quo ordine inscripta haberet nomina Tribuum, explicat Sacer Textus, in singulis gemmis, singula, fuisse nomina, non addit, *iuxta natiuitatem eorum*; quia satis intelligi poterat; sed ille idem R. Ezechias hanc tradit formam, & ordinem gemmarum, & nominum, literis quibusdam ad nomina quædam additis.

Hie-

ברקת לוי רהם	פטדה שמעון ב	אודם ראובן א
יהלום זבולן ה	ספיר יששכר צ	נופך יהודה
אחלמה גד שבטי	שבו נפתלי ב	לשם דן ק יעה
ישפה בנימין	שוהם יוסף ין	תרשיש אשר ישר

Hieronymi ſententia eſt, nomina hæc in vtriſque gemmis, non tam literis deſcripta fuiſſe, quàm vel Ægyptiacis Hieroglyphicis notis indicata, vel ſingularum Tribuum inſignibus, & ſymbolis; ſed præterquam quòd communior ſententia, & ſono verborum congruentior eſt, nomina hæc literis ipſis fuiſſe deſcripta, non apparet veriſimile eo tempore ſingulas Tribus ſeparatim ſua habuiſſe inſignia. Hæc enim erant דגלים Vexilla, quæ non niſi quatuor Tribuum erant propria, Ruben, Iudæ, Dan, Ephraim, quibus Ruben hominem, Iudas leonem, Dan aquilam, Ephraim bouem gerebat. Multis autem Hebræorum Hieronymi ſententia placet, vt mox docebo: Præter hæc duo addit Sacer Textus: *Pones in Rationali Iudicij doctrinam, & veritatem*. Hebraicè אורים ותומים *Vrim*, *ac Thummim*, Quid eſset *Vrim*, *ac Thummim*, grauis, & non facilè expedienda quæſtio eſt. R. Salomon putat fuiſſe nomen Dei. Procopius Ga-

Gazeus, gemmas duas à Deo creatas singularis pretij, & fulgoris, à duodecim illis diuersas. Anastasius Nicænus quæst. xxxviii. Adamantem: alij nihil præter illa ipsa nomina, & gemmas, quę vocarentur, *Vrim*, *ac Thummim*; quia oracula redderent, siue fulgore insolito micantes, vt ait Iosephus, siue, vt Tractatu Ioma cap. vii. dicitur, prominentibus extra ordinem, & extantibus literis, quæ responsum reddere possent: vt, si quæstio erat, an ascendendum esset ad oppugnationem vrbis alicuius; repente ע ex nomine Simeonis, ל ex nomine Leui, & ו ex nomine eiusdem, vel Zabulonis, exporrectæ extra ordinem prominebant, vt fieret dictio עלו *ascendite*. Sed non hic locus his de rebus diligentiùs disputandi: quoniam tamen id argumentum Tribuum, & gemmarum attigi, R. Ghedoliæ longam de ea re digressionem adscribam; scio enim studiosis sacræ eruditionis gratum fore: sic ille in Catenæ parte prima, cùm de Iacob agit: *Hic se mihi obijcit locus, fili mi, quo tibi respondere possim ad id, quod ex me quæsiuisti: an scilicet veteres vterentur eiusmodi insignibus ad familiam indicandã, qualia nunc videmus vsurpari, & Italicè vocamus* Arme *ad quod dico, me nihil ea de re inuenisse in libris Hebræorum, præter id, quod affert R. Bachai ex opinione Medrasciotb, seu expositorum veterum. Hoc autem est, lapides pretiosos, qui erant in Ephod pro singulis Tribubus, sic fuisse distinctos, vt in singulis essent Imagines, & Figuræ illis aptæ, ac propriæ, quæ illis erant pro militaribus vexillis tempore belli. Ruben gemmam habuit* אודם, *quæ est Italicè* Rubino, *cuius species est Balassius: eius virtus est, vt qui eam gerit, faciles conceptus habeat: in ea visebatur insculpta forma Mandragoræ, in monumentum, quòd Mandragoras inuenisset. Simeoni gemma erat* פטדה, *quæ vocabatur Italicè* Prasina, *cuius species est Marchada: refrigerat corpus, coloris est Prasini, eique insculpta visebatur effigies Sichem in rei gestæ memoriam. Leui gemma erat* ברקת, *hæc propriè Carbunculus, quanquam Christiani interpretantur Smaragdum*

pro-

prodest ad exhilarandum cor: color eius est purpureus, vel ita mixtus, vt videatur albi trientem, trientem nigri, trientem item habere sanguinei: in ea gemma expressa erant Urim, ac Thummim, in monumentum Summorum Pontificum, qui ex eo nascituri erant, quorum id posteà fuit insigne. Iudæ gemma erat נופך, *quæ vocatur Marchad, coloris viridis ex specie Prasinæ: hanc gemmam Christiani interpretantur Carbunculum: qui eam gerit, fugat inimicos: color eius, vt Cœli purpurei: insculptus ei erat Leo in memoriam Benedictionis: Catulus Leonis Iuda. Issachar gemma erat* ספיר, *idest Sapphirus: valet ad dolores oculorum, & omne genus morbi: color eius cæruleus ad purpureum vergens: ei erat insculptus Sol, & Luna, eoquod Filij Issachar essent periti scientiæ temporum. Zabulonis gemma erat* יהלום, *idest* Perla, *licèt Christiani vertant Adamantem: ea soporem conciliat: coloris est candidi: ei erat insculpta nauis, in signum dicti illius, Zabulon in littore Maris babitabit. Dan Gemma erat* לשם, *idest Topazius, licèt Christiani putent fuisse, quam vocant Itali* Turchina: *color eius non absimilis Sapphiro: ei erat insculptus Serpens, iuxta benedictionem eius. Gad Gemma erat* שבו, *quæ Italicè* Turchina, *vtilis equitantibus; Christiani verò interpretantur Topazium: color ipsius ex albo, & nigro mixtus: ei erat insculpta acies militaris, iuxta id, quod in eius benedictione continetur, & allusionem Nominis* גד גדוד*. Nephtali* אחלמה, *quæ vocatur Chrysolithus, licèt Christiani Amethystum putent, cuius vis est roborare cor, colore fucato: ei Ceruus insculptus erat, vt in eius benedictione continetur. Aser gemma erat* תרשיש, *quæ est Kriolich, Christiani explicant Hiacynthum: prodest concoctioni: color eius est, vt fulgor lucis olei: insculpta ei erat olea, iuxtà eius benedictionem. Iosephi Gemma erat* שוהם, *quæ vocatur Nikoli, quæ conciliat gratiam, color erat niger: insculpta erat gemmæ Ægyptus, & in ea nati Ephraim, cui Bos erat insigne, & Manasses, cui Corallium. Beniamin Gemma erat* ישפה, *idest Iaspis: vim habet sisten-*

stendi sanguinem: insculptus ei erat Lupus, iuxta benedictionem eius. Addit Pacbai se legisse in libro de Gemmis, virtutes gemmarum non nisi ijs opem ferre, qui puri sunt, minimè verò impuris; si tamen expurgentur, redire. Fieri potest consuetudinem insignium, & vexillorum ex his duodecim Tribuum insignibus manasse. Hæc R. Ghedolias.

Aaronis sapientiam extollunt Hebræi etiam supra Moysem. Sic enim scribit Siphri, & refert Ialkut sect. Emor: *Quinque rebus præstantior erat Aaron Moyse: Pulchritudine, Robore, Diuitijs, Sapientia, Annis. Pulcher* erat, & hanc ob causam aptior Orator, & gratior Moyse. *Pollens viribus*, ibidem dicitur eleuasse vno die XXII. millia Leuitarum, iuxta morem, quo Leuitæ eleuari solebant, vt Deo dicarentur. *Diues* ex oblationibus, & decimis. *Sapiens* humanâ nimirùm sapientiâ supra Moysem; nam quadraginta annis, quibus Moyses in Deserto Diuinæ Contemplationi vacauit, Aaroni licuit in studia disciplinarum incumbere. *Senior*. R. Ghedolias in Catena refert ex Medras, Aaronem octoginta ipsos annos ante exitum ex Ægypto prophetasse perpetuo inter Hebræos.

TITVLVS X.

Iannes, & Mambres.

ינם וממברא.

IAnnes, & Mambres magi, & malefici Moysi obstiterunt coram Pharaone, vt scribit Paulus Apostolus II. Timot. III. Eorum nomine libri circumferebantur, ex quibus est, quem citat Origenes tract. XXXV. in Matth. *Quod ait Paulus, sicut Iannes, & Mambres resistebant Moysi, non inuenitur in publicis Scripturis, sed in libro secreto, qui supra scribitur, Iannes, & Mambres liber. Vnde ausi sunt quidam Epistolam ad Timotheum re-*

repellere, tamquam habentem in se Textum alicuius secreti; sed non potuerunt. Nam & primam epistolam ad Corinthios propter hoc aliquem refutasse ad aures meas non peruenit; scilicet in qua citari videtur Eliæ Assumptio: Numenius Apamæus Pythagoricus tertio libro de Bono: *Iannes, & Mambres Egyptij erant, viri magicis artibus adeò præpotentes, vt Museo Iudæorum Duci, viro Deo coniunctissimo, soli resistere posse à cunctis Ægyptijs iudicati sint. Multas enim calamitates, quas Musæus Ægypto intulit, soluere visi sunt*. Hæc Numenius, quæ recitat Eusebius lib. IX. de Præp. Ambrosius in eum locum Apostoli: *Exemplum hoc de Apocryphis est: Iannes enim, & Mambres fratres erant Magi, vel Venefici Ægyptiorum*. Meminit horum *Zohar sectione Balak, quod referens R. Ghedolias in Catena, ostendit simul imperitiam, & odium in Christianos sic scribens: Zohar sectione Balak scribit, inuentos esse inter Magos Pharaonis duos Sapientes, quorum nomina erant, Ionos, & Iombros (Italicè diceres Ianni, & Ambrosio) & illos duos Sapientes fecisse vitulum aureum sapientia suâ, & interemptos esse iussu Moysis. Et hoc significari per id, quod dicitur, interempta esse quasi tria millia Virûm; nam sapientia sua æquabant ter mille homines*. Sed vt falsum est, quod de Vitulo ab ijs facto dicit, intempestiuè excusans Aaronem, à quo re vera factus est, & manifesta corruptio Textûs, cùm ait: *Tria millia* intelligi hos duos; ita ridiculum, quod ait, duo hæc nomina Iannes, & Mambres esse eadem cum Ioannis, & Ambrosij nominibus: etsi quem *Iannem* nos dicimus, Hebræi in *Aruch* יוחני *Iochani*; at in *Zohar Ionos*, sicut Latinis *Mambres*, Græcis *Iambres*, Hebræis in Aruch vocatur ממברא Librum Jannos, & Mambris non solùm Origenes, & Ambrosius apocryphum indicant fuisse, sed Gelasius dist. XV. Narratur ex horum libris illud in capite *Col Korbanoth*, & recitat R. Nathan in Aruch: Quando venit Moyses in Ægyptum cum signis diuinitùs acceptis, dixerunt Iochani, & Mambre Principes incantatorum Pharaonis: Hæc ipsa est ars nostra, & nos sic solemus, & possumus nostris incantationibus: næ tu similis es ijs, qui

paleas comportant in Aphrym, vrbem frugum, è qua frumentum in multa loca effertur. Refert hunc locum & Genebrardus in Chronico.

TITVLVS XI.

Septem Prophetæ Gentium.

שבעה נביאים של גוים

NE, qui omnes saluos, ac beatos vult Deus, Gentes veræ Religionis ignaras, destituisse videretur, plures ijs Prophetas, præsertim ante Moysis tempora submisit; & quidem Hebræi septem Gentium Prophetas in sacris Literis nominari adnotant. Iob, Eliphaz, Baldad, Sophar, Eliu, Balaam, Beor. De Iob satis anteà nobis suo loco dictum. De reliquis aliquid ordine dicamus; si tamen hoc anteà monuerimus, amicos Iobi censeri Hebræos genere à plurimis Iudæorum; vti & ipsum Iobum. R. Ghedolias in Catena, Zohar sectione Ba dicit, Iob, & amicos eius fuisse è semine Abrahami.

Eliphaz, *Themanites* fuit, seu patriâ, seu genere, seu potius vtroque. Nam Theman filius Eliphaz, filij Esau, nomen Vrbi dedit, quæ Principum Idumæorum Sedes Regia fuit: vt Hieronymus ait in locis Hebraicis; qui & hunc Regem Idumæorum vocat. Tanchuma (& refert Ialkut in Prou. n. 947.) ait, eum adoleuisse in gremio Isaac, & inde sapientiam, inde morum sanctitatem didicisse, & dignum euasisse, quem Spiritus Sanctus afflaret. Quoniam autem tempora sic ferunt, vt non potuerit multò recentior esse, quàm si ex Theman, nepote Esau, natus esset, ex eo natum esse credibile est. Nam quòd Eliphaz vocatur, apertè ad Aur nomen respicit. Fuit autem sapientiâ insignis. Et fortè ex eo sapientiæ studium apud Themanitas florere cæpit; vt Hieremiæ xlix. dicitur: *Numquid non est vltra Sapientia in Theman?*

Theman? & Baruch de arcana Dei ſapientia magnæ laudis loco dicat : Non eſt viſa in *Theman* , ac ſi dicat : qui plurimum ſtudijs ſapientiæ vacant , hæc tamen aſſequi nequeunt . Eliphaz Themanites videtur inter Iobi amicos ſapientiâ , authoritate, natu, maximus , quippe qui primus incipiat loqui à cap. IV.

Baldad Subites , de hoc ita ſcribit Aben Ezra חידה מבני קטורה אשת אברהם את ישבק ואת שוח

Fuit ex filijs Keturæ vxoris Abrahami , *inter quos numerantur Iasbek* , *& Sciuach* . Ex hoc nimirùm, vel ex eius filio natus eſt Baldad Suhites . Quanquam Targum hoc loco ſic explicat , tamquam patriæ non generis nomen eſſet Suhites , vertit enim מן שוח *de Suach* , ſicut & ſuprà Themanitem vertit מן תימן *de Theman*: vtrumque tamen Aben Ezra deducit à familia , non à loco , ſcilicet , vt dixi , vtrumque verum eſſe potuit; cùm Auctores familiarum ijdem & locorum , & Urbium conditores eſſent ; & hunc ſecundum loco , & æſtimatione poſt Eliphaz æſtimant , quia ſecundus loquitur à cap. VIII.

Sophar Naamathites,inquit Aben Ezra,à familia ne ſic vocetur, an à patria,ignoramus. Thargum tamen à patria deriuat,& Chriſtianus Adrichomius locum Naamath deſignat in Terra Hus, XVIII. M. Poſſ. à Iobi Pyramide . Hic tertius loquitur ab XI. cap.

Eliu Filius Barachielis *Buzites*, ex familia Ram , natu minimus inter amicos Iobi , vt ipſe de ſe fatetur, acceſſit quartus inchoatæ eorum diſputationi , & poſt diuturnum ſilentium cum indignatione loqui cæpit à capite XXXII. Quis hic fuerit , diuerſa diuerſi afferunt. Aben Ezra ſic: *Eliu Buzites è ſtirpe Nachor fuit, fratris Abraham, inter cuius filios recenſetur Buz. Gen. 22. Credibile eſt eum ſtirpe materna fuiſſe ex Buz , ſicut in Paralipomenon dicitur : Iair filius Manaſſis ; cùm tamen ex Iuda eſſet oriundus . Nam hic quoque dicitur fuiſſe ex familia Ram , & probabile eſt hunc Ram fuiſſe Patrem Aminadab, atque adeò ex filijs Iſrael*. R. Leui Ben Gerſon cætera conſentiens , tantùm Ram ait fuiſſe è filijs Buz . R. Salomon putat Ram eſſe Abrahamum (& ſic Targum quoque vertit) ac pro-

Ii 2 inde

inde non ex fratre Abrahami ; sed ex ipso natum Abrahamo. Alij putant Eliu Buzitem esse Balaamum. Quod Hieronymus ex Traditione Hebraica referens, Gen. 22. ait : *Secundus natus est è Melcha Buz ; & ex huius genere est Balaam ille Diuinus, vt Hebræi tradunt, qui in libro Iob vocatur Eliu*. Ialkut in Iob num. 919. *Eliu F. Barachielis Buzites est Balaam. Dicitur Barachielis F. & Buzites, quia cum vellet maledicere Populo Israël, benedixit : (* Hebraicè, *Berac*, est benedicere.) & propterea eius prophetia ludibrio fuit. *(Baza*, est contemnere.) His accedit extremo loco eorum sententia, qui putant Eliu fuisse Isaac, Abrahami filium, quod è Medrascim, & antiquis refert idem Ialkut loco citato ; addens eum vocatum esse בן ברכאל בוזי *Filium Barachielis Buzitem* ; quia ברכי אל ובזה את האלילים *Benedixit ei Dominus, & spreuit Idola*. Ex his tribus sententijs, quarum nulla certò affirmari potest, prima minus habet difficultatis, vt è progenie Nachor fratris Abrahami putetur fuisse, & ex familia Ram, quæ ipsius Abrahami familia erat; *Excelsi* enim vocabantur, quod ex præcipua totius humani Generis prosapia ortum ducerent. Fuit Eliu gentium Propheta clarissimus, quod non modò Hebræi fatentur : *Ex Israel fuit, & Gentibus prophetauit*, inquiunt, Ialkut in Iob num. 892. Sed etiam, quod longè grauius est, Diuus Augustinus in cap. 32. n. 19. Jobi ad illa verba : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo*, sic scribit. Commendat hunc Scriptura, quia in Prophetia locutus sit.

Balaam F. Beor Ammonitæ, ex vrbe fuit Pethor Syriæ iuxta Euphratem ; seu potiùs Mesopotamiæ ; vt scribit Targum Onkelos Deuter. XXIII. v. 4. & confirmat num. XXII. v. 5. Hebræi omnes veteres aiunt, eum fuisse ex Consiliarijs Pharaonis, ita Zohar, & Medrascim, à quibus etiam longa narratio texitur de Balaami profectione in Æthiopiam, vbi cùm vrbem quamdam, Cicano Rege absente, gubernandam accepisset, ei Auctor fuerit defe-

defectionis à Rege, qui ad eam expugnandam tendens, Moysem sibi adsciuerit socium profectionis, & Regni: Moysem ipsum denique, Rege mortuo, exercitum rexisse, Ciuitatem expugnasse, Balaamum fugasse; quæ fusè denarrat in Catena Kabbalæ R. Ghedolias. Verùm vt ad rem literariam redeam, reperio nonnulla Balaamo adscripta. Primùm Hebræi in Baua Batra de Moyse dicunt, eum scripsisse librum suum, sectionem Balaam, & librum Iob. Si sectio Balaam intelligatur illa, quæ est in libro Numerorum à cap. XXII. incipiens, in qua vaticinium Balaam describitur, quam sectionem Hebræi *Balaak* vocant, cuius opinionis cum R. Salomone sunt plerique Hebræorum; quæritur, cur dicatur Moyses scripsisse librum suum, idest *Pentateuchum*, & sectionem hanc, cùm hæc sectio sit pars Pentateuchi? Nonne *Benedictio Iacobi*, Carmen, *Cantemus Domino*, & alia multa, sic poterant seorsim adnotari, sicut hæc sectio Balaami? Quamobrem R. Iacob Aben Habib scribit in Commentario in Baua Bathra, nonnullos existimare per nomen *Perascia Balaam* intelligi libellum seorsim à lege conscriptum à Moyse de rebus à Balaamo gestis, eiusque vaticinijs. Alij verò existimant ipsum de rebus suis scripsisse Balaamum, cuius Commentarium Moyses Hebraicè verterit, vt librum Iobi. Tertia, & verò proxima sententia est, scripsisse Balaamum libros Vaticiniorum, & Moysem non quidem eos seorsim à Pentateucho vertisse, sed ex eius libro in Pentateuchum inseruisse. Aliter tamen Origenes sensit Homilia XIII. in Numeros. *Si à Moyse*, inquit, *Balaami Prophetiæ insertæ sunt in sacros libros, quantò magis descriptæ sunt ab ijs, qui habitabant tunc Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur Balaam, quosque artis eius constat fuisse Discipulos, ex illo fertur denique Magorum genus, & institutio in partibus Orientis vigere*. Hæc ille, qui putat Magos, qui ad Christum ritè venerandum ex Oriente venerunt, ex ijs libris, quos Balaam scriptos reliquerit, aut quos de eius vaticinijs alij scripserint, quid ea indicaret Stella recèns orta, didicisse. De Balaami verò vita, & moribus Hieronymus ex Traditione Hebraica scribit in hunc modum.

dum: *Primùm Vir Sanctissimus, & Prophetes Dei, postea per inobedientiam, & desiderium munerum, dum Israeli maledicere cupit, Diuini vocabulo nuncupatur*. Sed hoc dixit Hieronymus ex eorum opinione, qui putant eumdem esse Balaamum, & Eliu; cùm constet Eliu fuisse Prophetam, & pium, etsi nimis iracundum, & gloriolæ cuiusdam, & confidentiæ notatum. Hoc certum est, Balaamum damnari tamquam Cultorem Idolorum, Ariolum & qui mercede conduci soleret, vt benediceret, aut malediceret cuilibet; cuius nefarium consilium habes Num. xxxi. v. 16. auaritiam in Epistola Iudæ, falsam doctrinam II. Pet. II. v. 15. & Apocalypsis II. v. 14. an verò posteà ad meliorem frugem redierit, dubium. Quidam affirmant ex illis verbis Num. xxiv. v. 3. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Cui sententiæ fauent Augustinus lib. II. quæst. ad Simpl. Theodoretus ad quæst. super Numeros. Alij, quod videant eum semper in sacris Literis male audire, & consilium nefarium dedisse etiam post hæc verba, nunquam sui dissimilem fuisse conjiciunt. Verùm vt ad Hebræos redeam, Ialkut sect. *Scemoth* ait, quosdam ex Traditione Veterum referre, Laban esse Balaamum, id, quod omninò falsum puto. Cur enim filius Beor diceretur? Siphri ait, eum solitum loqui cum Deo, sic tamen vt priùs humi caderet; Tana R. Eliæ ait eum fuisse vltimum Prophetam Gentium. Tanchuma ait eum priùs fuisse Ὀνειροκρίτης *Somniorum coniectorem*, deinde Ariolum, postremò Prophetam. In Sanhedrim capite Chelek dicitur, fuisse luscus, & septem altaria erexisse nominibus septem Iustorum dicata: Adami, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Moysis. Siphri audet Balaam comparare Moysi, hoc sensu: sicut inter Hebræos nullus Propheta extitit Moysi par, ita inter Gentes nullum simile extitisse Balaamo, quod falsum esse vel Iob ostendit.

Beor Pater Balaami, Propheta creditur apud Hebræos, ex ea persuasione, quòd quoties nomini Prophetæ alicuius additur nomen Patris, putent eum quoque fuisse Prophetam, vt Amoz Patrem Isaiæ, & Beeri Patrem Oseæ. Verùm hos septem Prophetas

phetas Gentium Hebræi negant pari iure cum Prophetis Israelis esse. Vaykra Rabba; *Quid interest inter Prophetas Israelis, & Prophetas Gentium? R. Chama Bar Chanina dixit: Deus B. non loquitur Prophetis Gentium, nisi sermone dimidiato: in huius rei signum dicitur* ויקר *& vocauit Deus Balaam (vox* ויקר *est imperfecta, deest enim* א, *quid est* ויקר *nisi lingua polluta?) Sed cum Prophetis Israelis loquitur Deus sermone integro, linguâ sanctâ, linguâ Angelorum Ministerij, qui eum laudant, sicut dicitur* ויקרא *& clamabat alter ad alterum. R. Ioseph Bar Bisa dixit: Deus B. non loquitur cum Prophetis Gentium, nisi tempore, quo Filij hominum solent discernere rem à re, sicut dictum est, per somnium in visione nocturna; vel certè à longè, sicut dictum est, de Terra longinquâ venerunt ad me, sed cum Prophetis Israelis loquitur statim. Magistri nostri rem hanc similem esse dixerunt Regi, qui Vxorem, & pellicem habeat: Vxorem enim palàm habet, pellicem clàm.*

TITVLVS XII.

Sibyllæ Gentium Prophetides.

SI verum esset, quod de Sibyllarum antiquitate complures tradiderunt, necesse esset eas Scriptoribus Hebraicis adnumerare; nam Chaldæa, Assyria, Erythræa credendæ essent Hebraicè, aut affini aliquâ linguâ oracula edidisse. Multòque magis eam, quæ se Noë Patris nurum, vxorem Iapeti dicit in versibus Sibyllinis lib. 1. Verùm adeò incerta sunt quæ de Sibyllis vulgò feruntur, vt quemadmodum fuisse aliquas eiusmodi fœminas, Deo afflatas, nemo non veterum

testi-

testimonio cogatur credere; ita quænam, aut quo sæculo, aut quibus oraculis clarè vixerint, nemini tutum sit affirmare. Hebræi certè de Sibyllis omninò silent; quare & mihi, qui hoc opere eorum maximè sententias de suis Scriptoribus referre institui, non est magnoperè laborandum in hoc argumento, in quo plures eruditè decertarunt. Diximus de Bath-Enos, & Sambeth. Apud recentiores Hebræos de Sybillis ea dicuntur, quæ ex nostris hausta sunt libris, sic meminit Sibyllarum R. Abraham Zachuth in Juchasin fol. cxxxvii. & Zemach Dauid part. 2. An. MMM.CCCC.XXXVIII. Clemens lib. 1. Strom. Primam ait Sibyllam Lamiæ, Sidoniæ filiam, Heliconem à Phœnice venisse, quò stirpis Hebraicæ eam affinem facit.

TITVLVS XIII.

Iethro.

יתרו

IEthro Sacerdos, ac Princeps Madianitarum, Socer Moysis, inter Scriptores numeratur apud Hebræos; aiunt enim Sectionem, quæ eius nomine nuncupatur, ab eo scriptam: quod ijs minimè credendum arbitror. Fuit quidem Vir sapientiâ, & consilio pollens, vt indicat munus, & locus apud suos, & Moysis erga illum obseruantia, qui eius admonitu Synedrium magnum instituit lxx. Presbyterûm. Adscribam aliqua de eo apud Hebræos peruulgata, nostris fortè ignota. Septem nomina fertur habuisse; Iethro, Iether, Raguel, Chobab, Kani, Puthiel, Cheber: sic Melchita, & Tanchuma, quæ addunt iure vocatum *Iether*, quod sonat *additamentum*, quòd addiderit sectionem vnam Pentateucho, *Succa* cap. 2. & *Dibre Iamim* referunt, eum fuisse Consiliarium Pharaonis, & cùm in causa Hebræorum iusta, ac moderata consuleret, Regis indignationem incurrisse,

quam

quam fugiens in Madian venerit, vbi & Sacerdotium Gentis, & Principatum sit adeptus. Ex eius filijs, qui Hebræis se adiunxerunt, Senatores, & rei capitalis Iudices eligebantur, qui in cubiculo dolato לשכת הגזית jus dicerent. Fertur auditor fuisse Sapientum Virorum, & qui traditionem Theologicam ab ipsis Theologiæ proceribus Abrahamo, & Semo audissent. Hoc significare dicunt illam in Medrascim fabulosam narrationem, quam R. Ghodolias sic narrat in Catena: *Cùm exisset Moyses ad Pomarium Iethro, vt orationi vacaret, vidit virgam è Sapphiro humi defixam, & inuocato Dei nomine, arcano explicato, eam toto conatu aggressus extraxit. Hæc virga illa est, quam Deus sexta die condidit, atque Adamo tradidit in manus, à quo successione deuenit in manus Noë, Abrahami, Isaac, Iacobi, & Iosephi, qui Ægypto præfuit; ex quo in manus Pharaonis deuenit: ab hoc accepit Raguel, qui Sapientum in eius aula Princeps erat. Sed cùm is Pharaoni suaderet pro Hebræis, contra id, quod suadebat Balaam, qui secundus erat, Regis indignationem incurrit: ob quam aulâ excedens in Patriam rediit, & virgam hanc secum allatam in Pomario suo defixit. Factum est autem diuinitùs, vt simul atque è humi defixa est, neque à Raguele, neque ab alio refigi potuerit: quod tandem Moysi cessit; quod cùm vidisset Iethro, ei Sephoram vxorem dedit.* Hanc non inanem veri fabulam sic explicant: Virgam, siue Sceptrum hoc esse Sapientiam, quam Deus Adamo dederit, quâ rebus omnibus, ac sibi imperaret; eam sapientiam, ac Dei notitiam longa successione ad Iosephum peruenisse, qui eam in aula Pharaonis plurimos docuerit; quorum cùm primus etiam Jethro, is maximè eam secum in Madianitidem tulisse dicatur, & in Pomario defixisse, in quo fortè deambulans vel ipse commentari soleret, vel alios in rebus Diuinis instituere. Nemo tamen inuentus est, qui eius Sceptri compos fieret ante Moysem, quem cùm videret Iethro tam feliciter arripuisse Sceptrum hoc, ei filiam desponderit. Quæ si quid in historia ipsa veri habe-rent, crederem huic Iethro ex ijs fuisse, qui Moysem in aula Pharaonis erudierint. Iethro à Iosepho vocatur Iethegłæus.

TITVLVS XIV.

Eldad, & Medad.

אלדד ומידד

ELdad, & Medad Prophetæ clarissimi fuere, *Super quos*, vt Moyses ipse, Numerorum quinto, scribit, *requieuit Spiritus Domini*. Hos, inter Scriptores Hebraicos memoro, secutus fidem antiqui Auctoris Hermetis, qui in libro, qui Pastor inscribitur, eos citans, dicit: *Propè est Dominus ijs, qui se ad eum conuertunt, sicut scriptum est in Eldad, & Medad, qui vaticinati sunt in solitudine Populo*. Sed eorum scriptum nunquam pro sacro habitum est; quia & inter Apocrypha recensetur à Gelasio 1. Dist. xv. Qui verò, aut quo genere orti fuerint, Hebræi variant. Tanchuma ait, eos vocatos alijs nominibus: Eldad, Ben-Caslon, & Medad, Kamuel Ben-Saphtan. Midras ait, eos esse Epher, & Ialon Leuitas, quos 1. Paral. 11. habes filios Amram Patris Moysis ex alia vxore. Quòd scilicet Moyses post latam legem iusserit Amramum dimittere vxorem Iocabed, quam habebat; quòd esset eius magna Amita, qui, aliâ ductâ, genuit Eldad, & Medad. Sic Auctor Traditionum Hebraicarum, quæ Hieronymo adscribuntur. At R. Ghedolias item è Medras aliter narrat. Elizaphen filium Pharnach duxisse Iocabedem Moysis matrem, & ex ea suscepisse hos duos Prophetas; idque post mortem Amram. Cur autem præ cæteris meruerint Prophetiæ donum, sic narrant Tract. Sanhedrin c. 1. Cùm eos vocasset Moyses, vt in Numerum lxx. Seniorum eos eligeret, responderunt, se indignos, quibus id honoris demandaretur. Tanchuma: *Quia se exiguos fecerunt, magni effecti sunt supra ipsos* lxx. *Seniores, multis rebus. I. Seniores prædicebant proxima quædam, aut quæ essent crastino euentura, ipsi autem longinqua,*

vt

vt quæ essent euentura post annos XL. *II. Seniorum nomina non explicantur in sacris literis, ipsorum explicantur. III. Seniorum Prophetia defecit, quia erat ex Moyse desumpta; scriptum est enim: Sumam de spiritu tuo; ipsorum non defecit, qui erat ex Deo. IV. Seniores non sunt ingressi Terram promissam, ipsi ingressi sunt*. Quærit deinde, qua de re vaticinati sint Eldad, & Medad; respondetque: alij dicunt eos dixisse moriturum in Deserto Moysem, & Iosuem futurum Ducem Populi in ingressu Terræ. Alij de Coturnicibus eos vaticinatos dicunt: alij de Gog, & Magog.

TITVLVS XV.

Iosue filius Nun.

יהושע בן נון

JOsue filius Nun, è Tribu Ephraim tria nomina fertur habuisse: Ioakim, Oseas, Iosue. Ioakim vocatum, scribitur capite Sephina. Et refert Ialkut in Ruth numero 600. Osee vocatus est ab ineunte ætate; Moyses eum vocauit Iosue, vno addito Iod, Num. XIII. u. 8. *Vocauitque (Moyses) Osee filium Nun Iosue*. Causa mutati nominis ea vulgò effertur à Iudæis; quòd Iod elisum è nomine Sarai vxoris Abrahami, debuerit huius insignis Ducis nomini præponi. Sed hæ nugæ sunt. Vocatus est Iosue, idest Iesus; vt vel hoc nomine Hebræi iam inde discerent, quem sequi Ducem oporteret, & quis eos, totumque genus humanum, non in promissa Palestinæ Regna, sed in Beatæ Vitæ possessionem inducturus esset. Hic bello clarissimus Dux, atque adeò primus, cuius insignis fortitudo Religioni militauerit. Mira sunt, quæ de eius rebus gestis Sacræ Literæ testantur. Multò admirabiliora, tradentibus Hebræis, nisi horum fides infirma, & obnoxia esset. Aiunt eo tempore omnium Regum Terræ studia in Palæstinam

conspirasse, cupientibus singulis optimam Regionem sibi vendicare; quamobrem Iosuem, qui eam subegerit, re vera dici posse omnes Orbis Terræ subegisse Reges. Sic tradunt capite הרואה. Sed nobis hic prætereunda sunt prælia, & eorum loco de Scriptis agendum. Quæ autem illi tribui solent, hæc fermè sunt:

משנה תורה על יריעות 1 Exemplar Legis in pellibus scriptum.

משנה תורה על אבנים 2 Exemplar Legis in lapidibus.

כתב על ספר תורה 3 Scriptum in volumine Legis.

שיר 4 Canticum.

מכתב הארץ 5 Descriptio Terræ.

תפלה עלינו 6 Oratio, Super nos.

ספר יהושע 7 Liber Iosue.

I. EXemplar Legis, seu quinque librorum Moysis, gerebat assiduè Josue in manibus ab se descriptum, vt Hebræi docent, & quo tempore Deus ei apparuit, tum quoque librum Legis præ manibus habebat, quare ei dictum est à Deo: *Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo*. Berescith Rabba sect. VI. hoc referens addit: Eum habuisse pro insigni idem volumen Legis explicatum. Deuteron. XVII. Præceperat Deus omnes sibi describere librum Legis, præcipuè verò Principem, qui, etsi anteà priuatus id fecisset, postquam Regnum adeptus esset, idem cogeretur iterum facere: *Postquam sederit in Solio Regni,* de-

describet sibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ. Iosue igitur huic præcepto obediens, sibi descripserat Pentateuchum, illudque assiduè manibus gerebat. R. Moyses Maymonides ait, etiam belli tempore debuisse deferri coram Rege librum Legis.

II. EXemplar Legis alterum descriptum *in lapidibus* à Iosue refertur cap. VIII. v. 32. Scripsit Iosue super lapides Altaris Deuteronomium Legis Moysis, quod ille digesserat coram Filijs Israel, scilicet, quod illi Deus præceperat Deuteron. XXVII. v. 4. *Quando transieritis Iordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in Monte Hebal, & leuigabis eos calce, & scribes super lapides omnia verba Legis huius clarè, & lucidè.* Quærunt hoc loco Interpretes, quid sibi velit Deuteronomium hoc. Abulensis in hunc locum quæst. 1. & in Iosue quæst. 27. & 28. putat, solum, ac totum Deuteronomium, idest quintum Moysis librum altari inscriptum. Lyranus tantùm decem Præcepta. Caietanus ea tantùm Præcepta, quæ Deuteronomij VI. explicantur: de Vnitate Dei, deque eo amando super omnia. Iosephus, quem sequitur Masius, solas benedictiones Altari inscriptas putat. Hebræi verò, quorum hic sententias referre institui, partim totam legem, idest quinque libros Moysis Altari inscriptos dicunt; hoc enim apertè præcipi videtur: *Omnia verba Legis huius.* Partim dicunt, scripta fuisse tantùm Præcepta: quæ fuit Aben-Ezræ opinio, quem R. Leui Ben-Gersom tacito nomine citans, eo Deuteronomij loco, ait: *Dixit Gaon* (Magister insignis) *scriptum fuisse Catalogum Præceptorum eo numero, & ordine, quo in quæstionibus maioribus de Præceptis* (*quas vocant Halachoth Gedoloth*) *scribitur, vt spectantes ad virtutem instruerent; quod rectè dictum videtur.* Sed vt celebrior apud eos, ita vero similior est prior opinio, totum Altari Pentateuchum inscriptum. Suta cap. VIII. Dicitur hinc factum, vt Gentes omnes Legis notitiam adipiscerentur. Nam LXIV. linguis scriptam fuisse Legem; alij LXXII. dicunt. R. Iuda dixit post Legem lapidibus insculptam, inductam esse calcem, vt oculis hominum

minum tegeretur; sed Gentes id scientes abstersa calce legisse, ac descripsisse Legem. At R. Simeon negabat id congruere verbis Moysis præcipientis priùs læuigari lapides calce, deinde in ijs scribi Legem.

III. SCriptum *Iosue* additum Legi Domini commemoratur Iosue xxIV. n. 6. *Scripsit Iosue omnia verba hæc in libro Legis Domini.* Quæritur, quid scripti fuerit, & cui libro additum: Quidam putarunt significari his verbis illos octo versus, quos Moyses non scripserit, sed Iosue, nempe vltimos Deuteronomij à verbo *Et mortuus est*. Sic dicunt in Tract. *Mauoth.* R. Iudas, & R. Nechemias. Sed licèt concedamus id, quod in Baua Bathra dicitur esse verum, hos octo versus à Moyse non scriptos, sed à Iosue; vix tamen credi potest, aut ne vix quidem de his octo versibus hic agi. Alij igitur existimant Iosuem, cùm totam legem Moysis coram Populo recitari iussisset, ac rursum ab ijs assensionem, & promissionem Legis illius perpetuò seruandæ expressisset, scripsisse denuò eandem Legem, ac si tùm primùm lata esset; quod fuisset tertium Deuteronomium, siue exemplar Legis. Nam aduertendum est, quod mihi paulò ante dicendum exciderat: Hebraicam vocem *Misne* משנה nihil aliud significare, quàm *secundum*; quare tam lex secundò lata, quàm secundò scripta, quàm secunda lex, vocatur *Misne*, & Græcè *Deuteronomium*; ne, cui mirùm videatur *Deuteronium*, Latinè verti *Exemplar Legis*. Verùm hæc opinio, vt R. Dauid Kenichi hic adnotat, loco, ac Textui sermonis minimè quadrat. Tertia ergo sententia vero quàm simillima est, Iosuem scripsisse, ac retulisse in librum Legis, qui seruabatur in Arca, breuem quandam narrationem eorum, quæ fecerat: scilicet se Populo rursum proposuisse Legem Moysis, ab eo iterum receptam, animo volenti, & prono; vt ea esset veluti subscriptio Legis, qua posteri se magis, magisque obstringi ad eam seruandam intelligerent; sic Ionatham vertit: *Scripsit Iosue verba hæc, & addidit ea libro Legis Domini.* Sic enim habet Targum in Biblijs maioribus Hebraicis, alijsque; licèt in Regijs desit verbum אצבענון quod significat *Addidit*. Septuaginta quoque vertunt

tunt: Εἰς βιβλίον νόμου Κυρίου, non autem ἐν βιβλίῳ, significantes additum Legi.

IV. **C**Anticum cecinit Iosue, (si credimus Hebræis) tum cùm eius imperio steterunt Sol, & Luna. Vbi enim sacra Historia dicit: *Tunc locutus est Iosue* אז ידבר יהושע Ionathan vertit אז ישבח *Tunc laudauit*: & Thargum Canticorum cap. 1. apertè eum cecinisse dicit: *Canticum quæsitum cecinit Iosue filius Nun, quando inijt prælium in Gabaon, & steterunt illi Sol, & Luna, sicut scriptum est: tunc laudauit Iosue coram Domino*. Mechilta quoque, & cæteri dicunt, carmen hoc extitisse in libro Iustorum; & liber ille Iustorum suppostitius, de quo mox agam: Canticum ipsum recitat, eius initium est רבות עשית אתה יי *Magna fecisti tu Domine*. Fieri potest, vt Iosue cecinerit; quo pacto enim tantum gaudium contineret, quin exiliret in cantum? Addunt Hebræi, & Targum loco citato, Iosue canente, siluisse Solem, & Lunam, à quibus alioqui perpetuò carmen Deo canatur. Explicat hoc Thancuma, Solem, ac Lunam perpetuò laudes Deo canere, dum mouentur, cùm verò stant, silere. Hinc illud Iobi: *Concentum Cæli silere quis faciet*? Sed Solem multò prius stetisse, quam Iosue canere inciperet, probabile est. Ideò enim eum stare iussit, vt posset cum hoste pugnare; non vt vacaret canere, quare illud: *Sol contra Gabaon sta*; siue, vt legunt Hebræi *Sile*: dictum ad inijciendam diei moram, vt posset hostem persequi. In Berescith Rabba, & refert Jalkut in Iosue Num. xx. *Dixit Simeon Ben-Iochai: Habebat Iosue exemplar libri Legis in sinu: hoc igitur Cœlo ostendit, & dixit: quemadmodum ego nunquam de hoc silui, ita nunc tu mihi sile.*

V. **D**Escriptio *Terræ Israël* à Iosue non scripta, sed scribi iussa est C. XVIII. u. 8. *Circuite Terram, & describite eam. Itaque perrexerunt, & lustrantes eam in septem partes diuiserunt, scribentes in volumine*. Quod volumen si extaret, haberemus exactissimam Palæstinæ Corographiam.

VI. **O**Ratio, *Super nos*, à Iosue scripta dicitur à Iudæis; est autem ea Oratio, quam quotidie dicunt, & qua seip-

sos

ſos beatos dicunt; reliquas verò Sectas, & Gentes miſeras, & impias. Addunt fabulæ alteram partem huius Orationis, quæ incipit על כן *Quare* additam eſſe ab *Achan*, ob ſimilitudinem illius exordij cum literis huius nominis עכן *Achan*; ſed id falſum eſſe non attinet probare; tum quia ipſimet fatentur ſuas preces, ſi antiquiſſimæ ſint, non excedere tempora Synagogæ Magnæ; tum quia conſtat hanc orationem occultam continere blaſphemiam in Chriſtum, in illis ſcilicet verbis משתחוים להבל וריק ומתפללים לאל לא יושיע *Qui adorant vanitatem, & inanitatem, & incuruant ſe Deo, qui ſaluare non poteſt*: conſtat, inquam, verbum illud וריק poſitum eſſe pro Auguſtiſſimo IESV Nomine, quod illi pronunciant ישו: idem enim eſt numerus vtriuſque vocis CCCXVI. idque ipſimet in Commentarijs in ſuas preces, & in libro *Colbo*, et alibi adnotant, vti egomet legi, miratus eorũ audaciam, & Chriſtianorum Principum patientiam. Ita illud לא יושיע poſitum eſt aduerſus nomen idem ישוע, quod à *Saluando* deriuari Gabriel Angelus docuit.

VII. **L**iber *Ioſue* apud nos, atque Hebræos, omnium ætatum conſenſu, canonicus, & ſacer eſt. Quis eum librum ſcripſerit, nihil è ſacris literis habemus. Commune tamen Hebræis, ac noſtris eſt putare eum à Ioſue ſcriptum. Ea, quæ huic ſententiæ obſtare videntur, alij recenſent, ac diluunt, in primis Nicolaus Seralius, apud quem cùm omnia vberrimè diſputentur, hic pluribus ſuperſedeo.

ספר הישר Liber Iuſtorum, &

ספר מלחמות יי Liber Bellorum Domini.

DVos hoſce libros, quos in Pentateucho, & Ioſue citari video, coniungere hic volui, ac breui de vtroque ſententias Hebræorum maximè referre.

Liber

Liber Iustorum Hebraicè vocatur ספר הישר *Liber Iusti*, vel *Liber Iustus*. Septuaginta verterunt: *Liber recti* Βιβλίον τῶ εὐθοῦς. Citatur Iosue x. cùm de prodigiosa mora, & statione Solis, ac Lunæ agitur: *Nonne*, inquit, *hoc scriptum est in libro Iustorum*. Vbi verò hic liber? Quidam putant esse Pentateuchum. Ita R. D. Kimchi, & Ionatham in Thargum. Sed vbi hoc in Pentateucho? Alij Genesim: sic Berescith Rabba; sed idem quæro. Alij Habakuk Prophetam, vel duodecim Prophetas minores. Ita quidem apud Abulensem; sed hoc non congruit cum ætate Iosue, qui fertur hunc librum scripsisse, nisi quis velit existimare, hoc additum fuisse ab Esdra. Dici quidem posset nullum hic citari librum, sed esse circumlocutionem, ac phrasim talem, ac si diceret: *Nonne hoc scriptum est verè?* Nam illa verba Hebraica הֲלֹא הִיא כְתוּבָה עַל סֵפֶר הַיָּשָׁר facilè sic verti possent: *Nonne hæc historia scripta est iuxta narrationem rectam?* quod esset omnes salebras saltu euadere; sed quia vulgata, ac Patres, Virique doctissimi *Librum Iustorum* citari hoc loco affirmant, necessariò putandus est liber hic alius esse ab ijs, quos in Sacris habemus. Masius putat esse commentarios antiquos; sed rogo quàm vetustos Scriptores citare poterat Iosue de rebus suis scribens? Si Commentarios citari credimus, vel suas Ephemerides, vel Sacerdotis Eleazari publicos fastos indicari putamus. Quòd si Prophetiam prioris alicuius significari existimes, tum in promptu erit, Auctorem diuinando conijcere. Moysis librum fuisse credit Abulensis. Æquè facilè dixisset Abrahami, aut cuiusuis è Prophetis prioribus; nam in *Abodazara* dicitur liber hic scriptus esse ab Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. Nunc verò duo extant libri apud Hebræos hoc titulo: alter antiquior est R. Tham, sic vocatus est quidam R. Iacob Bar Meir, nepos R. Salomonis Gallus, de quo suo loco; qui vti cognomine hoc *Tham* sibi arrogauit, quod *Perfectum* significat, ita librum à se scriptum vocauit *Librum Iusti*: alter est nuper excussus, de quo hic non pigebit aliquid indicare.

Editus est Neapoli primùm, deinde Venetijs, tum Cracouiæ, anno apud Hebræos 5388. Liber hic in 4. Præmissa Præfa-

tio docet hunc librum esse è Synagoga Hispalensi, & Bibliotheca, quæ ibi erat instructissima. Fuisse enim olim, adhuc stantibus Hierosolymis, Virum probum, ac diuitem, & studiosissimum librorum, qui illic Bibliothecam Hebraicam ingentem congesserit. Hunc in excidio vrbis impetrasse à quodam è Ducibus Titi Vespasiani, vt Bibliotheca hæc à direptione seruata Hispalim transferretur in domum ad id ędificatam. Sed ipsum de hac Bibliotheca Judaicè fabulantem audiamus huius præfationis Auctorem: *Hæc domus*, inquit, *adhuc superest Hispali hodie, & ibi seruantur scripta omnia, quæ euentura sunt Regibus Mundi vsque ad Aduentum Messiæ nostri: sed posteà quam dira passi sumus à Regibus Idumæis, & pulsi de Ciuitate in Ciuitatem, & de Prouincia in Prouinciam, venit in manus nostras hic liber, qui vocatur* תולדות אדם *Generationes Adam, cum alijs pluribus libris, qui ex ea domo allati sunt Hispali, & adducti ad hanc ciuitatem Neapolim, quæ est sub Rege Hispaniæ, & quia vidimus ijs libris omne genus scientiæ contineri, posuimus animas nostras, vt imprimeremus eos calamo ferreo: Deinde venerunt*, inquit, *in manus nostras huius libri exemplaria* XII. *& ea contulimus, nec quicquam discriminis inuentum est inter ea*. Paulò pòst ait, inuentum esse huius libri titulum esse: *Liber Iustorum* ספר הישר & putat alterum titulum esse à consuetudine legentium inditum, hunc verò esse genuinum, ac primum. Postremò narrationem addit ex historijs Assamonæorum, quas ait apud Hebræos esse, quæ dicant, tempore, quo Ptolemæus Alexandriæ Bibliothecam congessit, cùm Librum Legis à Iudæis postulasset, illos religione tactos pro Libro Legis, misisse hunc *Librum Iustorum*, & tum quidem à Rege perlibenter acceptum; sed posteà cognita fraude, iterum ad eos missum, vt Librum Legis mitterent, atque tum demum missos esse Septuaginta Interpretes. Hunc verò librum in Ægypto remansisse. Hæc, aliaque ille, quisquis est, prodigè fabulatur. Nam vt nemo non facilè videt, eum librum non esse, qui citatur in Josue, sed è Commentarijs posterorum recèns elaboratum esse, ac supposi-

tum;

tum; ita perspicuum est cætera omnia, quæ addit, esse conficta ad mendacium splendidiùs adornandum. Cæterùm huius Libri historia complectitur quicquid à Mundi Creatione ad Iudicum tempora Sacræ Literæ comprehendunt, additis ex Iudaica traditione non paucis. Cùm Liber ille Iustorum Dauidis quoque facta contineat, vt citatur III. Regum. I. Prætereà Liber ille Iustorum carmine constabat, hic prosa oratione conscriptus est. Locus autem is, quem Liber Iosue citat, in hunc modum hîc se habet: *Et dixit Iosue in oculis totius Populi: Sol in Gabaon sile, & Luna in Valle Aialen, donec vlciscatur Gens inimicos suos, & audiuit Dominus vocem Iosue; & stetit Sol in medio Cœli, & stetit triginta sex horis, nec fuerat antè dies huiusmodi, nec posteà fuit, vt audiret Deus vocem hominis, quia Deus pugnabat contra eos pro Israel. Tunc cecinit Iosue canticum hoc in die, qua Deus subiecit Amorrhæum Iosue, & toti Israeli, & dixit: &c.*

Liber Bellorum Domini citatur Numer. XXI. his verbis:

על כן יאמר בספר מלחמות יי׳ את והב בסופה ואת הנחלים ארנון ואשר הנחלים אשר לשבת ער ונשען לגבול מואב *Quare dicetur in Libro Bellorum Domini Vaheb in Supha, & Torrentes Arnon, & quòd Torrentes, quos inclinauit ad habitandam Ciuitatem, adhærent finibus Moab.* Hæc verba, quæ non nisi ænigma videntur esse, sic aptissimè explicantur à nostro Interprete: *Vnde dicitur in libro Bellorum Domini: Sicut fecit in mari rubro, sic fecit in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Quis autem hic Liber Bellorum Domini fuerit, apud Hebræos quadruplex est opinio. Prima, Librum hunc fuisse Disputationum Scholasticarum in Legem. Sic Zohar: *Quàm necessarium est*, inquit, *studere verbis Legis, & singula eius verba perspicere. Nam non est verbum in Lege, in quo non sint plura secreta, plures rationes, plures radices, & plures rami. En locus*

hic: ideò dicitur in Libro Bellorum Domini. At qui Liber Bellorum Domini vbi est: Intelliguntur nempe disputationes eorum, qui in Legem commentantur, quorum prælia in pacem desinunt. Proinde dicit in Libro Bellorum Domini: את והב בסופה ac si diceret אהבה בסופה *Amor in fine.* Idem docent omnia ferè Cõmentaria, quæ Medrascim vocantur. Altera opinio est, hunc esse Librum Legis, quo narrantur Bella Domini. Sic Thargum Ionathæ, & Hierosolymitanum, quorum vtrumque vertit *Librum Legis*, licèt aliquantò aliter Ionathan בספר אורייתא דתמן כתיבין קרביא דיי *In Libro Legis, in quo scripta sunt Bella Domini.* Hierosolymitanum בספר אורייתא דיי דמתיל בספר קרבין נסיא ונבידתא דעבד יי לעמיה בני ישראל *In Libro Legis Domini. Qui Liber similis est Libro Bellorum, & Pugnarum, & Facinorum fortium, quæ fecit Dominus Populo suo Filijs Israel.* Tertia est, significari proprietatem quamdam in Deo, quæ sic vocetur. Ita idem Zohar Kabbalisticè. *In Libro hoc secretum est sublime, est locus in Deo (Virtus) qui vocatur Sepher; sic supra memini me exposuisse. Omnes virtutes, quas Deus fecit, opera nimirum insignia, & fortia inde proficiscuntur, inde manant, ideò dicitur* והב *ex verbo* הב *quod est Dare.* Quarta celebrior, & sententia Hebræorum est, librum intelligi hoc loco diuersum à sacris, qui extant. Illud posset in dubium vocari, an Moyses hoc loco citaret librum scriptum, an scribendum; verbum enim *Dicetur*, videtur significare Vaticinium quoddam Libri posteà de his rebus scribendi, quo eiusmodi sententia contineretur. Sed noster Interpres vertit, *Vnde dicitur*, & mos loquendi Hebraicus id patitur; ac S. Augustinus lib. XVIII. de Ciuit. ait, scriptum fuisse ante tempora Moysis. Nec nostri solùm, sed etiam Hebræi sic existimant. R. Bachai in hunc locum ita scribit: *Hic Liber extabat inde à tempore Abrahami, nam plurimi è nostris libris perierunt propter captiuitatem nostram: & quid iam nobis reliquum est ex libris Nathan, & Addo, & ex libris Dierum Regum*

gum Israel, & ex carminibus Salomonis, & parabolis eius. Hæc ille. Scripsit & Librum hoc titulo R. Leui Gersonis Filius.

TITVLVS XVI.

Septem Prophetides Israelis.

שבע נביאותשל ישראל

NEC muliebre nomen, ac sexum dedignata Clementia Numinis, quin ex eo quoque Vates Generi Humano plurimas daret; præcipuè verò Hebræis, quibus dictum est: *Prophetabunt Filij vestri, & Filiæ vestræ*. Septem verò Prophetides in sacris Literis nominari dicunt Hebræi. Uerùm vt inter septem Pleiades, septima nunquam satis visa, aliquibus Nebulosa dicta est, alijs Incostans, & modò Inuisa, modò sub aspectum cadens, alijs omninò nulla; quare ita de ipsis Ouidius;

Quæ septem dici, sex tamen esse solent;

ita septem Prophetides, re vera non nisi sex posteà nominantur, de septima litigatur. Sunt autem sex:

מרים 1 Maria.

דבורה 2 Debora.

חנה 3 Anna.

אביגיל 4 Abigail.

חולדה 5 Holda.

אסתר 6 Esther.

De

De quibus hoc loco aliquid scribere malumus, quàm suo quamque tempori reseruare.

I. MAria Amrami filia, soror Moysis natu maior fuit; eiusmodi tamen Soror, quæ Mater vocari possit. Nam si verum est, quod Hebræi narrant Tract. Suta cap. 1. adhuc septennis vaticinata est, Moysem nasciturum, qui vniuersum Israelem seruitute, quæ tunc maximè cæperat, liberaret; & Patrem Amramum, qui vxorem Iocabedam dimiserat, grauiter increpuit, quod salutem publicam moraretur. Quare eius admonitu Amramus vxore reuocatâ, ex ea Moysem posteà suscepit, quem ipsa non nisi septennio anteibat, vt scribit Midras Abcir Exodi xv. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam in tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Carmen hoc æquè Moysi, ac Mariæ tribuunt. Putant enim eodem simul spiritu afflatos Moysem, & Mariam eadem verba cecinisse; Moysem Viris, Mariam Mulieribus; vt scribit in hunc locum R. Dauid Kymchi. Huic etiam librum Alchimistæ tribuunt huius artis, vt in Moyse iam diximus, & genus apud eos fornacis est Balneum Mariæ, velut ab ipsa adinuentum, quæ recentiora, & commentitia iudicamus. Cæterùm hæc de Maria fere Hebræi, ac eam plura nomina habuisse, פועה *Poa*, idest Clamans, quòd clamaret Moysem nasciturum (Suta cap. 1.) אפרת *Ephratha*, allusione manifestâ ad alteram Mariam, & Bethlehem, quæ Ephrata vocatur, ex qua Christus natus est: vel quia Dauid, qui Ephratæ natus est, ex Mariæ posteris fuit (Capita R. Ehezeris) אחרחול *Aehrachel*, quasi ea, quam omnes mulieres sequi debeant, vt in ijsdem Capitibus scribitur. Quæ nomina pulchriùs Dei-Matri, quàm Sorori Moysis aptari possunt. Eius merito, ac precibus fontem illum, quo sitim leuabant in Deserto, Hebræis datum scribunt *in Seder Olam, Melchita*, & alibi: Mortuam esse *in osculo Domini*, testantur *in Moed Katon c. 3.* Eius cadauer neque corruptum esse, nec vermes, aut vllam injuriam subijsse dicunt, in Tractatu *Derech Aref*,

Aref, ideſt *de via Terræ*. Eam ſic mortuam eſſe; vt Angelus mortis nullam in eam exerceret vim, ac ſeueritatem, qualem in alios, ſcribunt *in Baua Bathra* c. 1. quæ, vt anteà monui, Dei Matri potiùs, quàm Sorori Moyſis conueniunt.

II. DEbora, de hac Iudicum IV. *Erat autem Debora Prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat Populum in illo tempore, & ſedebat ſub Palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel in Monte Ephraim, aſcendebantque ad eam Filij Iſrael in omne judicium.* E Tribu Ephraim fuiſſe ex Patria agnoſcitur. Cætera incerta. Pollebat hæc Mulier ſapientia, & virtute ſupra omnes eius ætatis Viros, quæ ab omnibus digna eſt habita, quæ Rempublicam adminiſtraret. Quod Noſter vertit *Vxorem Lapidoth*, R. Salomo explicat fœminam opificem ſæcum, & lampadum, nam hoc ſignificat Lapidoth. Alij *Fœminam fulgorum*, quæ Spiritu Diuino afflata radijs circumquaque fulgeret. Tana R. Eliæ ſcribit, ex humili proſapia fuiſſe, quod ad ſplendorem virtutis accedit. Extat Canticum, quod ceciniſſe dicitur Debora cum Barak Iud. v. *Cecineruntque Debora, & Barak filius Abinoem.* Putant Hebræi eodem modo, quo Moyſes, & Maria Canticum, de quo dicebamus paulò ante, cecinerunt, Deboram quoque, & Barak ceciniſſe hoc, de quo agimus. Targum Canticorum cap. 1. & Mechilta numerant Canticum Deboræ ſextum inter decem, quæ recenſent. R. Leui Ben Gerſon ait, Iacob cùm dixit Geneſ. XLIX. *Nephtali, Ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis*, intellixiſſe de Cantico Deboræ. Sed Maſius id refellit Ioſuæ cx1x.

III. ANna. Hæc quoque inſignis inter Prophetides, & magni Prophetæ mater hymnum cecinit: *Exultauit cor meum in Domino*. Qui quidem hymnus Hebraicè vocatur *Oratio Thephila*. Sed eſt שירה Scira, Carmen, proculdubio Prophetia, quod Ionathan exprimit in Thargum: *Et orauit Anna in Spiritu Sancto*. R. Dauid in Kimchi: *Ex ijs, quæ Ionathan in Targum dicit: Carmen hoc ſcriptum eſt fatidicè de Regnis Gentium, & de Synagoga Iſraelis, quare ad illa*

verba:

verba: Non est Sanctus, vt est Dominus, scribit: De Sennacherib Rege Assyriæ prophetat, ac loquitur, & ad illa: Nolite multiplica loqui, sublimia gloriantes, ait: de Nabuchodonosor Rege Babylonis prophetat, ac loquitur; & ad illa: Arcus fortium superatus est, ait: de Regibus Græcorum prophetat, & loquitur: ad illa: Repleti prius pro panibus se locauerunt, ait: de Filijs Aman prophetat, & loquitur: & ad illa: Dominus mortificat, & viuificat cor, ait: de retributione Iustorum, quæ in Paradiso; & punitione Impiorum in Gehenna prophetat, & loquitur: & ad illa: Dominum formidabunt Aduersarij eius, & super ipsos in Cælis tonabit: de Iudicio Gog, & Magog, & Regno Messiæ loquitur. Quamuis literali sensu non loquatur, nisi de ijs, quæ ipsi cum Phenenna contigerant, & quo pacto Deus humiles euebat, & superbos deprimat. Hæc ille. Quæ verò ex Thargum Ionathæ adducit, in Regijs non sunt; in Hebræis verò Biblijs Venetis habentur inclusa signis quibusdam. Agadath Samuel narrat eam annorum CXXX. fuisse, cùm Samuel ei natus est, quòd omninò falsum est; nam si eius ætatis fuisset, minimè ausa esset à Viro filios petere: *Da mihi Liberos.*

IV. ABigail Vxor Nabal Carmelitæ, quæ posteà Dauidi nupsit, apud Hebræos inter Prophetides locum obtinet. Nam quemadmodum Maria, Debora, Anna, oratione numeris adstrictâ vaticinia, & hymnos ediderunt, ita hæc prosâ, & solutâ oratione cum Dauide agens ei vaticinata est futura. Extat eius oratio 1. Reg. xxv. in qua vaticinia sunt aperta de regno Dauid, ac Dei erga ipsum futurâ beneficentiâ, quamque omnes eius inimici imbelles aduersus ipsum futuri essent. Quare ad illud: *Faciens enim, faciet tibi Dominus Domino meo Domum fidelem*, idest, vt explicat Ionathan, *Regnum stabile, ac perenne:* sic scribit R. D. Kimchi דרך נבואה אמרה זו כי היא אחת משבע נביאות כרעת רזל

Hæc locuta est spiritu Prophetiæ, quia hæc una est è septem, quas numerant Prophetides Rabbini nostri: Midras Sciocher Tob.

Tob. longas fabulationes Abigailis cum Davide refert, quas non vacat referre. Idemque narrat Abigailis genu splendentissimum fuisse, luminisque tantum ex se se fudisse, ut ad tria passuum millia cerneretur, idque Davidem expertum, qui noctu tria milliaria confecerit hoc lumine. Quid sibi velint hæc fabula alii quærant. Fortè res eò tendit, ut mulierem sapientissimam fuisse dicant, cujus genu, id est preces tanti apud Deum essent, ut maximum aliis vel media nocte lumen aperirent. Interim Allegoria non placet præsertim his auctoribus.

H*Olda* uxor Sellum filii Theeve clarissima, nobilissimaque fuit Prophetis, de qua IV. Reg. XXII. cum Helcias Sacerdos librum legis inventum in Templo detulisset ad Regem Iosiam, & ille respondisset: *Ite & consulite Dominum*, hæc scribuntur: *Ierunt itaque Helcias Sacerdos, & Abicham, & Achoboth, & Saphan, & Asaja ad Holdam Prophetidem uxorem Sellum filii Theeve, filii Aros, custodis vestium, quæ habitabat in Hierusalem in Secunda: locutique sunt ad eam, & illa respondit. Hæc dicit Dominus Deus Israel &c.* Necesse est fateri hanc mulierem eo tempore certissimam, ac celeberrimam Vatem fuisse, cum, omnibus omissis, ad eam iretur, ut consuleretur Dominus. Extat autem ibidem ejus breve vaticinium. Mirum est, quòd cum in Sacris literis dicatur fuisse *Uxor Sellum*, Hebræorum traditio habeat eam Virginem integerrimam permansisse: & Juchasin ubi de Sophonia agit, citat ex Cap. XVIII. *Scemacor* לא נגע בה אדם מעולם *Non attigit eam vir unquam*: quamquam non repugnat credere eam simul nuptam fuisse, & Virginem, & ideo Prophetiæ dono insignem. Quod ad ejus stirpem attinet, Hebræi in Midras, & in Tract. Meghilla Cap. I. scribunt eam ex Iosve, & Rahab longa serie ortam, & propinquam fuisse Jeremiæ. Addunt eodem tempore tres fuisse Vates Jeremiam, Sophoniam, & Holdam, & illos duos viris, tertiam hanc mulieribus solitam futura prædicere: quod in Pesikta majore, & aliis veterum commentariis invenies. R. David Kimchi in eum locum Regum ita scribit.

Holda Prophetis, in Medras dicitur filia filiorum Iosue, & Rahab fuisse. Cur autem ad eam itum est potius, quàm ad Jeremiam? Quidam è Rabbinis dicunt Jeremiam eo tempore ibi non fuisse, quòd ivisset revocatum Decem Tribus. Nam eo tempore jam fuisse Prophetam, vel inde constat, quod initium Prophetandi Jeremiæ fuit anno Regni Josiæ XIII. hoc autem accidit anno ejusdem XVIII., & fortè eo tempore erat in Anathoth, vel alibi. Dicunt Rabbini è tribus, qui eodem tempore vaticinati sunt, Jeremia, Sophonia, & Holda, Hieremiam vaticinari solitum fuisse in plateis, Sophoniam in Academia, Holdam inter mulieres. Verùm quid sibi vult, quòd ait Sacer auctor Holdam sedisse in *Secunda*? Hebraicè est in *Misna* משנה Septuaginta retinentes Verbum, vertunt μεσενᾶ Thargum vertit בבית אולפנא *In Domo Doctrinæ*. Et probant Hebræi. R. Levi Gersonides vertit בבית המדרש *In Academia.* R. Salomon alios dixisse refert locum hunc fuisse inter primum, & secundum murum Civitatis, & ideo *Secundam* vocavit noster interpres. Fortè etiam duplex Academia erat, quarum alteram viri adibant, mulieres alteram, & hanc Secundam vocabant.

E*sther* Regina insignis pulchritudine, insignior Sapientia, & probitate, filia fuit Abichail fratris Mardochæi, & Prophetis. De qua cum ejus liber inter sacros extet, suo loco dicendum est.

Septima Prophetis, quæ fuerit quæritur. Hebræi dicunt quatuor Obstetrices Aegyptias locum hunc septimum occupare. Sed quatuor in unam conflare, & Aegyptias Hebræis miscere, præsertim cum earum nihil extet scriptum intempestivum est. Genebrardus apponit Saram, quam prophetasse non memini: licet enim Deus Abrahamum jusserit id peragere, quod Sara jussisset, non tamen proindè dicenda est Prophetis; saltem ex earum numero, quarum extant vaticinia. Septima igitur Prophetis est Judith: de qua tùm dicemus, cum de ejus libro agendum erit. Sed quemadmo-

dum

dum in Vetere Testamento septem Prophetides enumerantur, ita etiam in Novo. Sunt autem Novi Testam. Septem Prophetides hæ. *Maria Dei Mater*, *Elisabeth*, *Anna F. Phanuelis*, *& quatuor Filiæ Philippi*.

TITVLVS XVII.

Eleazar Sacerdos Magnus.

אלעזר כהן גדול

ELeazar Sacerdos Magnus, Aaronis Filius in hunc scriptorum censum venit, Hebræis tradentibus in Bava Bathra eum scripsisse versus aliquot libri Josve, nimirum ab ipsius morte aliquo usque. Quod si verum est non potuit esse ultra duos versus: illos nimirum: *Et post hæc mortuus est Josve filius Nun Servus Domini centum, & decem annorum. Sepelieruntque eum in Finibus possessionis suæ in Thamnatsare, quæ sita est in Monte Ephraim à Septentrionali parte Montis Gaas.* Huc usq; potuit Eleazar scribere, nam quæ sequuntur excedunt ejus ætatem: *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josve, & Seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josve.* Nam Seder Olam, quem non licet Hebræis reiicere, ait eodem anno mortuos esse Eleazarum, & Josvem: id quod etiam Jalkut refert in Josve num. 35. ad summum duos reliquos versus potuit scribere, qui sequuntur, usque ad ultimum versum, quo ipsius Eleazari mors refertur. Nimis religiosi sunt Hebræi, qui Eleazarum hac fama fraudare noluerunt: interim in eo minus Religiosi, quòd eum Traditionis Theologicæ successione, ac Principatu privant. Ostendimus in Aarone legem ore traditam, sivè Divinas Traditiones a Mose Aaroni commendatas, ut perpetuo in ore Pontificis earum staret veritas. Quare eidem scriptam quoque legem credidit sollicitè servandam in arca fæderis, ad quam nulli præterquam uni Pontifici patebat accessus. Regemque,

si vellet legis exemplar sibi describere, quod jubebatur facere, cogebat Moses illud ex Pontifice petere. Ita penes Pontificem Aaronem, atque ejus successorem Eleazarum Religio, Lex, Theologia omnis stetit. Duo illa, quicquid denique fuerint, Vrim, & Tummim, id est Illustrationes, & Perfectiones aptè quidam referunt ad duas leges, quas Pontifex haberet in pectore, scriptam, ac traditam: Pontificis enim erat, Illustrare homines *lege Scripta*, & perficere *lege Tradita*. Sed Hebræi imò Hebræorum Secta Pharisæi, qui nunc totum Hebraicum nomen occupant, quia Pontificum successione carent, aliam sibi successionem Theologicam finxere, per Judices, & Prophetas suo arbitratu, quis cui successerit temerè divinantes. Sic enim primo capite Avoth scribunt: *Moses accepit legem à Sinai, & tradidit eam Josve, Josve Senioribus, Seniores Prophetis*. Quo nihil absurdius est. Moses enim legem Aaroni tradidit tamquam suo, ac Dei interpreti, ac Prophetæ; ac post eum Eleazaro: gladium verò, & Arma credidit Josve, legemque servandam, non explicandam. Multo minus Seniores à Josve legem didicerunt, qui à Deo, ipso Mosis Spiritu donati sunt, multo ante quam Josve Dux populi fieret. Denique inter Seniores, & Prophetas multa sæcula intersunt, quibus deficere cogitur, & hiare successio. Sed hæc aliàs, si Deus dederit, diligentiùs. Interea adnoto, non esse idem nomen Eliezer, & Eleazar, vt quidam putant. Ille Servus Abrahami fuit, hic Sacerdos Magnus: ille habet Jod quo caret hic. Nec illud prætereo quemadmodum Petro adhuc vivente Pontificatum unâ rexisse dicuntur velut Coadjutores electi Linus, & Clemens, ita (inquit Vaykra Rabba, refert Jalkut in sectione Scemini) *Eleazar, & Jthamar vivente Aarone Pontificatum gerebant: altero nimirum deficiente alter ministrabat*. Adeo simillimis cæpit utriusque legis Pontificatus exordiis. Nisi quòd Jthamar non successit Eleazaro, sed Phinees.

TI-

TITVLVS XVIII.
Phinees.
פינחם

PHinees F. Ithamari Sacerdos Magnus, quem stirpe materna tradunt è Tribu Joseph natum, dicitur, & ipse nonnulla scripsisse. Primum enim in Bava Bathra dicunt eum libro Josve addidisse quicquid Eleazar non potuit, ad minimum ultimum versum, quo mors Eleazari narratur. Deinde apud Hebræos librum reperio, hoc nomine ביאור שמות הקדש של פינחם *Explanatio nominum Sanctorum, Phinea*. Hebræi putant Phineæ illius magni esse: quod si quis credere velit, suo periculo credat. Mihi liber, neque visus umquam, neque aliunde, quam nomine notus ex Indice Bibliothecæ Bavaricæ. Quod si Phinees esset idem, qui Elias, ut scribunt in Medras, multo plura eum scripsisse dicendum esset, quæ in Elia referam. De Phinee quædam ex Hebræorum Traditionibus addi possunt: Phineem, & Caleb missos esse Hierichuntem ad explorandam Vrbem, Tanchuma ait; Et cum apud Rahab hospitio excepti essent, repente supervenientibus satellitibus ad exploratores quærendos, Caleb quidem dicunt à Rahab fuisse absconditum; at Phineam dixisse Angelum Dei se esse ex munere Sacerdotis; proinde non decere Angelum latebras quærere, & solere Angelos non videri nisi cum vellent. Idem Tancuma refert, non modo moribus, ac pietate flagrantem semper, ac prope igneum eum fuisse, sed vultu quoque. Nam *quando*, inquit, *Spiritus Sanctus ei dominabatur, erat facies ejus flagrans, ut fulgur*. Hinc data est fabulæ occasio, qua finxerunt eum fuisse Eliam; qui ubique flagrans ardore pietatis, & postremo etiam curru igneo raptus in Coelum. Phinees porro idem, quod Phænix, vt alibi diximus. Quid mirum igitur si quemadmodum Phænix longæuus, & post fata redivivus fingitur, ita idem de Phinea Hebræi veteres tradant? Verùm, quod Eusebius, in Chronico dixit interprete Hieronymo,

ronymo, Heli apud Hebræos putari Phineam, nusquam reperio. Quin omnes Heli dicunt fuisse discipulum Phineæ. Vide ne error fuerit; atque Heli pro Elia positus alicubi Eusebio imposuerit. Nam Hieronymus veriorem sententiam tradidit de Hebræorum placito in Traditionibus, & in Comm. ad 1. Reg. 11. si tamen ipsius sunt.

TITVLVS XIX.

Samuel.

שמואל

SAmuel Filius Elchanæ de Ramathaim Sophim, diu jacentem apud Hebræos cum Religione Sapientiam excitavit. Quamdiu enim Judices Israelem rexere, nec Prophetæ, nec Scriptores, nec Sapientiæ laude insignes ferme ulli leguntur. Quare diu expectata Samuelis nativitas, velut Mosis alterius. In Vetere libello, qui vocatur Iggehereth Samuel. *R. Jeremias, dixit ex ore R. Samuel filii R. Isaac: perpetuò audiebatur vox in toto orbe terrarum dicens: Existet insignis Sanctimonia vir nomine Samuel. Quo fiebat, vt matres, quæ filios parerent, pleræque Samuelis eis nomen imponerent: qui ubi ad ætatem provectiorem devenissent, factis ostendebant inanem parentum spem fuisse. Hic tandem ubi primum adolevit, ostendit se verum esse Samuelem.* Hæc illi, quorum tam levis est fides, ut vix tuto quicquam iis credatur. Alioqui credibile est tanti viri ortum multo ante prædictum, ac diu expectatum. Ut ad scripta veniamus, Hebræi tres Sacros libros ei tribuunt: *Judicum, Samuelis*, idest Regum primum, ac secundum, & *Ruth*. *Liber Judicum* non modo Hebræis, sed multis nostrorum Scriptorum creditur à Samuele scriptus, in quibus est S. Isidorus lib. vi. Orig. c. 2. Ex Hebræis satis est, quòd in Bava Bathra cap. 1. dicitur, quam Judæi omnes sequi coguntur. Causæ cur id vero proximum censeri possit, hæ sunt. Librum Judicum nemo melius scribere potuit, quam ultimus Judex; hic autem Samuel fuit: nam neque aliquis illo prior id opus aggredi debuit, aut facile potuit, tam turbulentis Reipublicæ illius temporibus, neque posterior: quo pacto enim

Samuel

Samuel Regum historiam scriberet, si nemo priora tempora in Annales retulisset? Samuel igitur, qui velut Janus, aut Cecrops utrumque Reip. statum vidit, & Regum historiam literis mandavit, & Judicum. Sed obstant nonnulla: primo Capite Primo dicitur. *Iebusæum habitatorem Jerusalem non deleverunt: habitavitque Jebusæus cum filiis Beniamin in Jerusalem, usque ad hodiernam diem*. atqui Jerusalem nomen est multo serius impositum huic Urbi, & Jebusæi etiam diutius, quam ad usque Samuelis tempora illic habitarunt. Sed neutrum obstat. Nam Hierosolymæ quidem nomen, quo tempore primum sit impositum non constat; nec quicquam refert, quòd Jebusæi diutius ibi sint morati, modo Samuel dicere potuerit, *Usque ad hodiernam diem*, ut notant R. Levi Gersonides, & R. David Kimchi. Alterum est, quod Cap. XVIII. dicitur. *Posueruntque sibi sculptile, & Jonathan, filium Gerson, filii Mosis, Sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ, mansitque apud eos Idolum Michæ omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo*. Captivitas cujus hic locus meminit, multo post Samuelis tempora accidit. Hoc argumentum, ut solvant Hebræi quidam, R. Salamonem confutant, qui hoc loco *Captivitatem Terræ*, explicat eam, quæ accidit sub Sennacherib, atque ipsi intelligunt Captivitatem Arcæ, quæ erat in Silo, quæ accidit tempore Heli Pontificis: idque confirmant ex eo, quod sequitur: *Fuitque apud eos Idolum Michæ omni tempore, quo fuit Arca Dei in Silo*. his enim verbis explicatur, id quod antea dictum est de Captivitate. Sic R. Isajas, R. David, R. Levi in Coment., sed contra id est, quod illic apertè dicitur, usque ad diem גלות הארץ *Captivitatis Terræ*, non *Arcæ*. Præterea necesse non est, ut quo tempore arca in potestatem hostium venit, eodem Idolum Michæ ab hostibus captum fuerit. Quare sensus hujus loci hic videtur esse, ut primo agens de Sacerdotibus tribus Daniticæ dicat eos fuisse Gersonis posteros, usque ad Captivitatem. Deindè addat Idolum illud Michæ stetisse, ac publicè cultum fuisse, quam diu Tabernaculum fuit in Silo; ita ut translato Tabernaculo manserint Ger-

Gersonidæ Sacerdotes, usque ad Captivitatem; vel quòd semper occultè Idolum habuerint, vel quòd etiam sublato idolo hi Sacerdotes apud ipsos fuerint administrantes ea, quæ extra Hierusalem administrari poterant. Summa est, si captivitas hoc loco intelligatur ea, quæ sub Sennacherib accidit, aut Samuelem propheticè hoc scripsisse, aut ab aliquo è posterioribus Prophetis, vel ab Esdra esse hoc additum, ut quidam opinantur.

Libri duo Regũ apud Hebræos Samueli adscribuntur, cujus & nomen ferunt, ex nostris S. Isidorus loco citato ei tribuit solum primum. Et sanè secundus ea continet, quæ post mortem Samuelis acciderunt. Primi quoque libri Capite XXV. v. 1. narratur Samuelis mors; quare inde ad XXXI., quo liber absolvitur non possunt esse Samuelis. Licet enim Samuel Propheta fuerit, tamen Sacros libros Historicos non solemus iis Prophetis tribuere, qui ante res illas gestas vixerunt. Neque idem stylus est quo Prophetæ narrant præterita, & quo futura prædicunt. Quare licet apud Hebræos nomen duorum librorum è Samuele inditum sit ob viri eximiam gloriam, tamen ab eo nihil aliud scriptum, quàm primi libri Cap. XXV. probabile est: ita censent Genebrardus lib. primo Chronicon, Scalante lib. 4. de causis Script. cap. 4. Ludovicus Tena lib. 2. Isagoges differentia 2. sect. 11.

Libellũ Ruh, qui Hebraicè מגילה dicitur, scriptum à Samuele confirmant Hebræi hac conjectura, quam Verbis Aben Jechiæ initio Comm. in Cantica Cant. hic adscribam. *Cum Samuel instituisset Regem Davidem Dei imperio, dedit operam, ut inveniret, quæ de familia ipsius auditu, dictuque jucunda essent, & ideo scripsit hunc libellum. Idque non fecit de Saule, quod sciret divinitus edoctus, non Saulis, sed Davidis Posteros regnaturos*, idem sentiunt è nostris Driedo, Genebrardus, aliique.

In fine libri primi Paralipomenon citatur liber דברי שמואל הרואה *Verba Samuelis Videntis*, in quo narrantur res gestæ à Davide: quem librum putat R. Salomon esse Regum I. & II. alii Commentarium Samuelis, in quo ea continebantur,

tur, quæ usque ad ejus vitæ finem acciderunt: qui deinde translatus est in primum Regum. Et hoc vero similius, quod & Bellarminus in Scriptoribus Ecclesiast. in Samuele existimavit.

I. Reg. X. dicitur scriptus à Samuele.

ספר משפט המלוכה *Liber de Jure Regni.*

R. Levi Ben Gerson ait, hoc libro illum egisse de Regis auctoritate, ac potestate in populum, cumque librum collocatum esse à Samuele in Arca. Alii vero putant illum hoc libro non tàm egisse de Jure, quàm de more, seu potius abusu Regiæ Potestatis, & vaticinatum esse incommoda, & clades, quæ inde orituræ essent. Addamus extremo loco, si quæ ex Hebræis de laude Samuelis occurrerint. Liber Thorath Cohanim ait, hos tres pari laude censeri dignos Mosen, Aaronem, Samuelem: illud fortè Psalmi spectans: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.* Siphri Zuta; idest minor, ait, quoties Deus cum Samuele loquebatur, solitam loco, in quo erat, imminentem altè pendere nubem. Samuel, ac David primi post Mosen Prophetæ, inquit Jalkut in Samuelem n. 150. antiquiores citans. Idem num. 141. adnotat Samuelem etiam post mortem prophetasse. Siphri ait, eum à Deo punitum, eo quod dixisset *Ego sum videns*: Pœnam autem fuisse, ut cum ad eligendum Regem, & ungendum venisset, diu ignoraverit quemnã e filiis Isai Deus ungi juberet. ut qui se *Videntẽ* vocaverat, caligaret. in Hierosolymit. cap. Chelek dicitur obtulisse Davidi libellum Ruth eo more, quo Regibus dicare libros solemus.

TITVLVS XX.

David Rex.

דוד המלך

DAvid Filius Isai ex Tribu Judã Regum Hebræorum gloria, & virtute clarissimus fuit, eritque dum sæcula erunt. Duo in illo admiratione dignissima, præter eximiam, summamq;

pietatem: Regnum, & Sapientia, utrumque non usitato gloriæ censu, idque in homine ruri nato, inter greges educato. De regno agendi non est hic locus. Satis erit hoc indicasse, Hebræos huic uni Regis nomen adeò proprium, ac peculiare fecisse, ut nunquam ferè eum nominent, quin simul Regem vocent דוד המלך quod in aliis non faciunt. Observandum, id quoque in Matthæo, qui dum Christi genealogiam pertexit, ubi ad Isai ventum est, *Isai* inquit, *genuit David Regem: David autem Rex genuit Salomonem*, atque adeo bis David Regem vocat; Salomonem, ac cæteros ne semel quidem. De sapientia agendi locus hic esset, si nostræ vires id sibi polliceri possent. Ipse de se modestè fatetur, *incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Sanè nonnisi θεοδίδακτος esse potuit, qui pueritiam inter greges, adolescentiam in bello, & fuga, ætatem in costituendo Regno trivit, & tamen sapientia tantus evasit. Præceptorem ei dant Hebræi Samuelem, ad quem furtim eum accessisse quoties per graviora negotia licuit, ex quo semel ab eo unctus est Rex, facile assentior. Et ut solent omnia Hebræi ad Hyperbolem augere, dicunt ea nocte, qua Saulem fugit, ad Samuelem se contulisse, & plus didicisse paucis horis, quàm quisquam alibi centum annis disceret. Hæc *Sciochar Tob*. & ex eo Jalkut in Samuelem nu. 159. Huic Magistro tres Hypodidascalos addunt. Hiram Ieiritem עירא היאירי Sacerdotem, quẽ tanti fecit, ut ei uni Decimas solvere voluerit; quam ob caussam, ut ajunt, fames, ac lues populum invasit à Deo immissa, ut scribit Iuchasin fol. xi. Achitophelem, quem tamen consiliarium potius, quàm Magistrum ei dant. Et Miphibosethfilium Saulis. Qui in Berachoth Cap. 1. dicitur ideo appellatus *Miphiboseth*, cum antea vocaretur *Isboseth*. quòd soleret faciem Davidis verecundia suffundere, gravius eum increpans inter docendum. a. פה *Ore* & בושת *Verecundia*. ibidem David reddens caussam cur de se ausus sit dicere, *quoniam ego Sanctus sum*: hanc inter alias refert, quòd tam facile se huic præceptori sub-

subderet, fastu deposito, qui potentes plerumque comitari solet. Addunt, quod facilius credam, Davidem ipsum docendi munus extrema ætate suscepisse, quod ipsemet videtur indicare, dum dicit: *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos*, & ad illud, *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi*, Tan chuma ait, היה רודש לישראל רבדי תודה שלא שמעט אוזן *Docebat, atq; interpretabatur legem ejusmodi verbis, quæ auris non audivit, ex quo est orbis*. Sed de his satis: ad Scripta veniamus, quæ illi tribuuntur.

ספר מהלים Liber Psalmorum

מזמודים אחדים Psalmi alii

קינות ץל יהונחן ושאול Lamentationes in Ionatham, & Saul

סמר שמואל Libri Regum ex parte

חקונות Constitutiones

חכנית הבית Forma Templi.

ברדוה ק Benedictiones centum:

יסור צולם Fundamentum Mundi.

L*Iber Psalmorum* præcipua Sacrarum literarum pars, & Spiritus Sancti admirabile, planeque divinum poema, tantæ auctoritatis est, ut ab ipso omnia Agiographa, quæ vocant Hebræi *Chetubim*, denominentur. ita Christus Lucæ 14. v. 44. *quæ scripta sunt*, inquit, *in lege, & Prophetis, & Psalmis de me*.

me. Psalmos loco omnium Agiographorum posuit. Hunc librum Sacrum, atque à Deo in terras demissum fatetur ipse Mahomethus. Et quidam sunt Viri docti, qui sic judicant; si nullum aliud Vera Religio testimonium haberet, hujus libri lectione satis agnosci posse, nonnisi Deo afflatum loqui illius auctorem. Quis enim hominum unquam Deum ita laudavit? quid huic simile Orpheus, Homerus, Hesiodus, ac tota Græcorum colluvies protulit? Psalmos autem David non temerè effutiebat, sed diu noctuque versabat, quid caneret Deo dignum. Imo nec se umquam psallere putabat, sed à Deo accipere quicquid caneret: *lingua mea*, inquit, *calamus scribæ*, & alibi. *Sumite Psalmum, & date tympanum*. Seipsum enim instar tympani Deo offerens, ab eo psalmum sumebat. In Beraclioth cap. 1. *R. Osajas dixit: David Sanctus nunquam ultra mediam noctem dormiebat. R. Zeira dixit usque ad mediam noctem dormiebat, ut equus* (ferè stans); *inde vigilabat, ut Leo*. (nunquam oculos claudens) *R. Isai dixit: Imo usque ad mediam noctem vacabat studio legis, ex inde psalmis, & hymnis*; ibidem paulo post ex traditione Simeonis Justi, qui Prophetas extremos vidisse censetur ista dicuntur. *Citharam David habebat ad caput lecti suspensam. Et cum primum noctis medium appetebat, aquilonaris Ventus flabat in citharam, quæ inde reddebat sonum, quo David excitabatur ad laudes Deo canendas, usque dum suis laudibus ipse excitaret auroram. Sicut scriptum est: Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara; exurgam diluculo*. Hanc citharam nemo facile credat ejusmodi fuisse quales sunt, quæ in officinis prostant. Hebræi sic explicant. Citharam Davidis ejus mentem intelligunt, quæ ad laudes Deo canendas semper intenta aptaque, cum primum appetebat media nox, afflatu auræ cujusdam è supremo Cæli vertice adspirantis excitabatur ad cantum. Ergo ut Græci de Panis Syringe, de Lyra Orphei, de Mercurii testudine fabulantur; ita Hebræi de Cithara Davidis. Porrò psalterium illud *Decachordon* videntur aliò trahere, quàm revera debuissent, nempè ad decem virorum conventum, qui psalmos scripserint, quos Davidi tribuimus. In Bava Bathra cap. 1. *David scripsit librum Psalmorum per manus decem Seniorum, per Adam primum,*

primum, per Melchisedech, per Abrahamum, per Mosem, per Heman, per Idithun, per Asaph, per tres filios Core. R. Salomo. *Per manus decem Seniorum, ideft scripsit ea quæ illi dixere, qui ante ipsum fuerunt, etsi horum quidam illius ætate vixerunt. Asaph scilicet, atque Idithun, qui ex Levitis fuere Cantores. Per manus Adam Primi, ut ubi est: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Et mihi autem nimis bonorificati sunt. Has sententias dixit Adam primus. Per manus Melchisedech, ut illud: Dixit Dominus Domino meo, ac totum Psalmum. Per manus Abraham, ut ubi est nomen Ethan Esraebitæ: quia hic, ut Rabbini dicunt, est Abrahami. Per manus Mosis psalmum, qui inscribitur: Oratio Mosis, & decem psalmos, qui ordine sequuntur. Per manus Heman, ubi est: Intellectus Heman. Per manus Idithun, ubi est: Intellectus Idithun.* Sed quicquid Hebræi, ac R. Salomo, ac plures e nostris quoque dicant, qui de his decem auctoribus plura distinctius, ac præsertim Sixtus Senensis, ac Genebrardus, in re parum certa, nihil tutius videtur esse, quàm Veterū omniū loquendi morem sequi, apud quos Psalmi semper Davidis nomine citantur. Lege eruditissimi Interpretis Joannis Lorini Commentariorum initium. *Psalmos* alios præter hos CL. scripsisse Davidem certum est. Athanasius in Synopsi tria millia psalmorum eum cecinisse dicit. Electionem horum CL. quidam Ezechiæ Regi tribuunt: alii, quod potius crediderim, ipsi Davidi.

Lamentatio, in morte Jonathæ, & Saulis. II. Reg. 1. nu. 16. *Planxit autem David planctum hujusmodi super Saul, & super Jonatha filio ejus, & præcepit, ut docerent filios Juda arcum. Sicut scriptum est in libro Justorum, & ait &c.* Magna est controversia, quid sibi velit nomen *Arcus* hoc loco interpositum. R. Salomo. & R. Levi Ben Gerson dicunt, Davidem utrumque fecisse. Nimirum, & luxisse mortem Saulis, & jussisse filios Juda diligentius dare operam disciplinæ militari, & exerceri arcu, ne inposterum, tàm turpiter in bello caderent. Sed vix potest hoc loco disciplinæ militaris mentio interponi, quo tantum de Carmine lugubri agitur. Sic enim Hebraicè ad Verbum. *Et dixit, ut discerent filii Juda* קשת *Arcum, ecce scriptum*

scriptum est in libro Justorum. Considera Israel &c. Itaque R. David Kimchi probabilius putavit nomen hoc *Arcus* esse initium Lessi, seu funebris cantionis, quam David filios Iuda discere voluit. Sed Lessus ipse hic refertur, neque habet hoc initium. Alii *Arcum* hoc loco pro Musico instrumento accipiunt. Nam Italicè quoque plectrum vocamus: *L'arco della Cetra*. Denique dici posset hic vocem *Arcus* poni adverbialiter, ac si diceret: Vt docerent filios Juda per arcum, idest per girum: hoc est filios Juda, qui circumquaque habitant, ut קשת sit idem, quod מביב: vel certè Arcus forma erat, qua disponebantur, qui ejusmodi lessos, & lugubres Cantiones canebant; sicut Carmen, quod in Heroum laudem canebatur antiqui vocabant σχολιὸν *tortuosum*, eo quod in spiram caneretur. Quoniam autem hoc Davidis Carmen inter Psalmos non extat; sicut neque Jeremiæ Carmen in obitu Josiæ inter ejus Threnos legitur, docti viri existimant librum ejusmodi piorum Carminum seorsim extitisse, qui contineret, tùm hæc lugubria, tùm alia, quæ in Dei laudem, ac piorum Heroum gloriam scripta essent. Ex quo non videtur à veri specie abesse suspicio, hunc ipsum librum esse, quem vocent *Librum Justorum*. Nam Hebraicè ספר הישר tàm *librum Recti*, quàm *librum Cantionum* significat à שיר *Canere*. Et sanè bis citatur hic liber in Josue, & hic, utrobique occasione Carminum; illic citatur Carmen in laudem Victoriæ illius, & Solis, Lunæque frænati cursus, hic in deplorationem Saulis, & Jonathæ.

Libros Regum inchoasse Samuelẽ, usq; ad cap. 25. primi libri diximus, cætera usq; ad Salomonis res à Davide conscripta. Sic Genebrardus, aliiq; apud Tenam. Sed ut commentarium de suis rebus à Davide scriptum non negarim, ita prosequutum Salomonis historiam, non video quo argumento probent, qui asserunt.

Constitutiones, seu *TeKanoth* vocant Hebræi, quę ab ipsis servantur, & in lege præscripta non sunt. Quarum à Mose incipit Ordo. Nonnullas ego hic referam, quæ usq; ad Davidem ab ipsis recensentur. Mosis nomine dicunt extare Constitutiones tres R. Abraham Zachuth in libro Juchasin. *Edidit Moses Constitutiones tres, ut Capite ultimo Tract. Taanioth dicitur Prima Bene-*

dictio

dictio Cibi ברכת הזן *quam edidit, quo tempore descendit è Cœlo Man: secunda Ordo concionandi pro singulorum dierum festorũ ratione, quę vocant* דורשים פסח בפסח *id est concionentur de Pascha in Pascha: tertia Vigiliæ, seu Vices Sacerdotales, quas vocant* משמרות של אלעזר ואיתמר *Vigiliæ Eleazari, & Ithamar. R. Moses Maymonides addidit quartã, etiam statuisse Mosen septem dies epularum in nuptiis, & totidem luctus in funere. Sic scribit Cap. primo quæstionum lugubrium. Et Cap. primo Nuptialium Syngrapharum in Hierosolymit., & libro Thorath Adam*. Benedictio Cibi, quam vocant *Berachath hammazon* quatuor Benedictionibus constat apud Judæos. Primam tribuunt Mosi, Secundam Davidi, Tertiam Salomoni, quartam Rabbinis.

Prophetis qui sub Mose vixerunt quarta Constitutio tribuitur. idem Juchasin: *Prophetæ, qui tempore Mosis inter Israelitas fuerunt Constitutionem quartam fecerunt: Scilicet, legem tribus vicibus per Hebdomadam publicè legendam, feria secunda, & quinta, & Sabbatho.*

Josue, inquit idem Juchasin, *Decem Constitutiones edidit, sicut dicitur in capite Membe, & præterea secundam Benedictionem cibi. Licet autem de Mosè Mag. N. dixerimus eum nonnisi tres Constitutiones fecisse, tamen capite* במה מדליקין *dicitur Constitutiones plurimas edidisse. quamvis illic R. Salomo nonnisi unam afferat: sed in Medras (ubi narratur illud factum, quando Cæsar jussit quodam die non accendi Romæ ignem, & Judæi transgressi sunt, atque is indignatus dixit: Mosi jubenti ignem accendi paretis, mihi jubenti non accendi, non paretis) dicitur Moses fecisse plurimas Constitutiones. Sed apparet illic vocari Constitutiones etiam præcepta legis scripta.* Ita sistit in eo, ut solum tres Constitutiones à Mose editas scribat, quartam à Prophetis ejus æqualibus. Undecim à Josue.

David unam Constitutionem edidisse, scribitur ab eodem. *De solitudine* על היחוד, idest *Ne quis audeat solus cum muliere*

liere alicubi esse. Constituit autem hoc eo tempore, quo accidit factum Thamar, & Ammon. Intelligendum vero de mulieribus solutis; nam de iis, quæ viro junctæ sunt ex Lege Mosis debebatur. Excepit tamen Matrem. Vide ne ob hanc antiquam inter Judæos constitutionem forte mirati sint Apostoli Christum cum Samaritana loquentem, & si loco aperto, & omnium oculis exposito.

Forma Templi. Primo Paralipom. cap. 28. vers. 11. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem Porticus, & Templi, & Cellariorum, & Cænaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, nec non & omnium, quæ cogitaverat atriorum, & exhedrarum per circuitum. &c.,* & post singularum rerum enumerationem hæc addit. *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Universum hoc totius Sacræ exadificationis exemplar vocat *Tabnith* תבנית Quæritur utrum ea descriptio Davidi allata fuerit è Cælo. Hebræi dicunt eam illi indicatam à Deo per Samuelem. R. Salomo. ad illa verba, *quæ cogitaverat*, quæ sic Hebraicè habentur אשר היה ברוח עמו *Qui erat in spiritu cũ ipso*: trahit hoc ad Samuelem, ita scribens: *Sicut ostenderat illi Samuel videns. nam & 1. Paral. 1x.v.22. scriptum est. Ipsos constituit David, & Samuel videns.* & illa ipsa nocte, qua fugiens Saulem ad Samuelem accessit, hæc dicitur ab eo accepisse. & postea ad illud. *Omnia scripto.* ait R.Sal. *Omnia scripto explicuit mihi exactè, pondus, & pondus uniuscujusque vasis Samuel videns.*

Centum Benedictiones. Hebræi quotidie centum Benedictiones Deo persolvunt (utinam vel unam ritè persolverent) quas à Davide compositas scribunt. Orach Chaym cap. 43. *R. Meir dixit C. Benedictiones quotidie cuique dicendæ sunt. Respondit R. Natronai, qui fuit caput Academiæ in Mata Macasia, David Rex composuit has centum Benedictiones. Causa cur composuerit hæc fuit. Quotidie moriebantur ex Israel plurimi, nec apparebat*

causa.

causa. *Donec Spiritu Sancto edoctus David composuit centum Benedictiones, quibus Deo ritè persolutis, malo obviam itum est*. Sed Kabbalistæ altius de his centum Benedictionibus machinantur. Quorum hìc afferre sententiam ex eorum fere primipilo R. Joseph Gecatilia in *Sciaare Ora*, non erit ab re. Ait hic, centum Benedictiones esse centum bases argenteas, quarum singulæ talentum argenti penderent, factas in tabernaculo. Bases enim Hebraicè vocantur **אדני**, & iisdem literis scribitur nomen *Adonai*. quod in singulis Benedictionibus repetunt. Deindè quærit cur necesse est Benedictiones esse numero centum? quia inquit, nisi tot essent, ne una quidem esset. *Quod est in populo Dei Israel, Levita, Sacerdos, hoc est in homine Anima, Spiritus, Mens. Israel solvit decimas Levitis, Levitæ decimas decimarum Sacerdoti. Sic Anima spiritui, & spiritus Menti. Quare nisi anima benediceret centum benedictionibus, ne una quidem pertingeret ad mentem. E' centum enim Animæ benedictionibus decem perveniunt ad spiritum, & ex his decem una ad mentem*. Explicant hæc de modo, & ordine intelligendi: triplex enim in homine cognitio est: *Sensus*, quem vocant Animam. *Ratio*, quam vocant spiritum, & *simplex intellectus*, qui vocatur Mens: id quod in mente simplex est, in spiritu decies multiplicatur, in sensu centies; vel contra, ex multis, quæ sensus percipit distincta in centum, ratio colligit veluti formas decem; Mens vero unum intelligit ens. Hæc illi de centum Benedictionibus. Quæ planius, & apertius ad mores sic explicant, difficile esse orare non tantum labiis, sed spiritu, & mente; atque è centum orationibus, quas ore pronunciamus, vix decem spiritu, idest ratione, atque ut uocamus discursu pronunciari; rursum ex his decem vix unam mente idest, supremo illo, ac simplici intelligendi genere, quo Deus absque medio attingitur. Quæ, si cautio adhibeatur, vtilia esse possent ad illud Pauli explicandum: *psallam spiritu, psallam & mente*.

Fundamentum Mundi, liber est, quem Hebræi Regi Davidi tribuunt. Extat in Bibliotheca Bavarica, mihi hactenus non visus.

Ad extremum nonnulla, quæ ad laudem Davidis faciunt ex Hebræorum traditionibus seligamus. Tres homines cæteris omnibus præstare dicunt Hebræi Adamum, Davidem, Messiam, & hoc ipso nomine Adami contineri אדם singulis litteris dictionum loco sumptis, quod si hactenus dicerent, ut nonnisi virtutis, ac rerum gestarum similitudinem significare vellent, ferri posset: nunc autem, ut solent, omnia ad hyperbolen, & impias fabulas trahunt, & Adami animam in Davidem migrasse dicunt, Davidis deinde migraturam in Messiam: neque hic sistunt, sed cujusque hominis animæ hanc periodum assignant, ut ter mutet corpora, stultè ad id probandum abusi sententia Job 33. v. 19. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viventium*: stultè, inquam, hoc loco abusi, non enim de mortuis excitandis agit, sed de anima bis, terque à vitiorum corruptione revocanda ad lumen virtutis, & sapientiæ, ut R. Levi Ben Gerson ibidem adnotat. Redeo ad Davidem. Notatu dignum est, id quod in Tract. *Jura* Cap. 1. dicitur, eum stirpe materna ex Maria Sorore Mosis traxisse originem. Scilicet hoc etiam Christũ referre debuit. Tract. *Moed Katon* cap. ואלו מגלחין de Davide ex veterum Traditione narratur, eum solitum docere sapientes insidentem pulvinaribus, sed postquam Hiras Jeraites, & Samuel ejus Magistri objerunt, tantum ex eorum morte mærorem concepisse, ut posthac humi sedens docuerit. *Tana R. Eliahu* narrat eum pepigisse cum Deo se illi omne genus obsequii præstiturum, tantum ut ipsius legem integrè scire, atque intelligere posset. Itemque ait Deum illi promisisse novam Academiam se ei erecturum, in qua futuris sæculis doceret. Ejus Verba: *Dixit David Rex, pepigit mecum Deus Benedictus pactum, ut peritum me, ac doctum efficiat, tùm in sacris literis, tùm in traditionibus, explanationibus, quæstionibus, allegoriis*: scilicet pro mei obsequii pretio, ac mercede; nam addit statim eam sententiam, quam in Evangelio

gelio legimus. כמדה שארם מורבה מוררים לו *In qua mensura mensus quis fuerit remetientur ei*. Pergit. ישיבה לדוידמלד ישאל מאיד פנים להם *Academia David Regis Israel illuminat facies eorum*. Tanchuma dicit ejus tempore tantum fuisse sapientiæ studium Hierosolymis, ut, quod incredibile dictu videtur אעילו מינוקות שלא טעמו טעם חטא היו יודעים לדרוש הסודה *Vel infantes, qui nondũ culpæ capaces essent, scirent explanare legem*. Hoc scilicet fuisset, id quod ipse ajebat: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*. Extremo loco addam ex *Bereschith Rabba*, id quod *JalKut* in Psalmos ad finem refert. *De David Rege dicebant: Quum Librum Psalmorum jam absolvisset, spiritus ejus non nihil elatus est, & dixit Deo: Domine mundi, ac rerum omnium, est ne ulla res, quæ umquam tibi tale carmen cecinerit, quale nunc ego? Tunc ante eum stetit Rana, & ait: David Rex, ne tibi nimium placeas. Ego enim plus cano quam tu, & per singula carmina loquor tria millia proverbiorum*. Quidam eorum dicunt Ranam hanc fuisse Salomonem, de quo is numerus Proverbiorum traditur sacris literis. Ranam autem vocari, quod voluptatibus mersus vixerit. Alii dicunt res mentis expertes multo certius, & sincerius Deum laudare, quem nulla vnquam culpa offendunt, facilius est hanc sententiam Hebræorum nugis accensere.

TITVLVS XXI.

Nathan Propheta.

נתן הנביא

NAthan Propheta; ut Epiphanius tradit è prosapia Toe fuit. Quod nomen in scripturis non invenio, sed Tho-

chen in forte Simeonis, e cujus forte Tribu hic fuit, patria Gabathensis è Galilæa. Idem Epiphanius eum Magistrum Davidis in lege Domini fuisse ait, ex quo illa præsens animi fiducia, qua eum admissi facinoris causa duriter increpuit.. Citatur 1. Paral. ult. liber.

רבדי נתן Verba Nathan.

Aitque facer auctor eo libro contineri historiam Regum Israelis, & rerum, ac temporum *omnium Regum Terræ*. Quod R. Salomo explicat intelligendum esse de iis regibus, quibus aliquid cum Israele fuit negotii; & fortè eo tempore nullus erat clarior, ac potentior Princeps, cujus res, ac negotia cum Rege Israelis conjuncta non essent. Nam Davidis, & Salomonis potentia, opes, & gloria indicant eos toto orbe conspicuos fuisse, magnique ad omnia momenti. Quæri solet utrum liber hic fuerit umquam in canone, & pro facro habitus. Non puto. Nam certum est Esdræ tempore eum inter libros Canonicos non fuisse numeratum; Esdræ enim Canonem in hunc usque diem Hebræi retinent. Atqui tùm hic liber, tùm alter Gaddi, de quo mox, eo tempore extabant. Nam libri Paralipomenon Esdra vivente scripti sunt, in quibus Lector ablegatur ad historias Nathanis, & Gaddi, velut ad libros usu tritos, & vulgo notos. Ergo habebantur, nec tamen inter facros erant.

TITVLVS XXII.

Gad Videns.

גד החוזה.

GAd Videns hoc uno notus nomine, de quo 1. Paral. ultimo sic scribitur. *Gesta autem David Regis priora*,

&

& nouissima scripta sunt in volumine Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque Gad Videntis; universaque Regni ejus, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, sivè in Israel, sivè in cunctis Regnis terrarum. Hunc R. Salomo ait satis notum esse ex מעשה המגפה facto, quo David jussus est eligere è tribus unum, aut Luem, aut Famem, aut Cædem populi, quod sic narratur 2. Reg. 24. *Sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & Videntem David dicens: Vade, & loquere ad David dicens: trium tibi datur optio.* Vocatur *Propheta, & Videns David*, hoc est, ut explicat R. David Kimchi, *cuius Visio, & Prophetia pertinebat ad David. Etsi ejus Prophetiæ scriptæ non sint, præter hanc.* Et fortè ideò scriptæ non sunt, quia nonnisi ad unum hominem spectabant. *Propheta, & Videns* differunt. *Videns* enim חוזה est qui res futuras mente assequitur. *Propheta*, נביא est, qui eas ore profert, ac pronunciat. Rursum videntur differre חוזה, רואה quorum utrumque vertitur Latinè *Videns*. Sed *Roè* dicitur de Samuele, & significat clarè, & in aperta luce aliquid conspicari: *Chorè*, quod de Gaddo dicitur, aliquid obscurius significat.

T I T V L V S XXIII.

Achias Silonites:

אחיה השלוני

Achias Silonites Epiphanio quidem è Tribu Juda ortus dicitur, at Hebræi Levitem eum faciunt in Bava Bathra cap. *Jes Nobelin*. Et facile potuit ex utraque ortum ducere, ut erant promiscua conjugia inter has tribus. Hunc scripsisse librum, qui vocaretur.

Pro-

נבואת אחיה השלוני Prophetia Achiæ Silonitæ.

Constat è II. Paralipomenon IX. licet enim illic R. Salomo neget ullum Achiæ librum indicari, sed tantùm vaticinium, quo Roboamum prædixit magna ex parte Regnum Patris amissurum, Jeroboamum verò perditè regnaturum in decem Tribus; locus tamen ipse apertè indicat librum aliquem ab eo scriptum. *Reliquum*, inquit, *verborum Salomonis priorum, & posteriorum, nonne scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in Prophetia Achiæ Silonitæ.* Fuit autem Achias eius oppidi civis, in quo Tabernaculum tempore Judicum stetit. Silo vocabatur. Epiphanius Selom vocat, quasi esset Hebraice שלום. De hoc Hebræi duo dicunt, quæ mire videntur inter se pugnare. Primum, eum fuisse discipulum Davidis. Sic enim in serie Traditionis scribit R. Moses Maimonides, Davidem à Samuele, Achiam à Davide didicisse. Alterum Achiam fuisse ex iis, qui ex Aegypto egressi sunt, & vidisse Amram fratrem Mosis, quod in Bava Bathra loco citato dicitur: ex quo fit, ut rectè adnotat Zemach David, eum ultra quingentos annos vixisse, neque id modo, sed expectasse pene quingentos annos Davidis nativitatem, à quo demum discere posset Legis arcana, cum faciliùs à Mose potuisset, ne dicam à Samuele. Præter quam quod nemo ex iis, qui ex Aegypto egressi sunt Palæstinam ingressus est duobus exceptis Josve, & Caleb. In Capite *CheleK* magni fit ejus auctoritas, pietas, sapientia: *Pluris valebat*, inquiunt, *maledictio Achiæ, quam benedictio Balaami*: quis credat?



TI-

TITVLVS XXIV.

Iddo Propheta.

ערו החוזה

IDdo Propheta, ac Videns citatur in libris Paralipomenon, & quidem secundi libri nono capite vocatur *Jabdo* ערי quo loco ultima littera cum sit I, legitur ac si esset Vau, id quod vocant *Keri Chetib*. At capite duodecimo scribitur *Hiddo* ערן & rursum eadem forma capite 13., sed cum Daghes *Hiddo*. Fortè ערן idem nomen apud Hebræos pro vulgi arbitrio variè pronunciabatur. Vt Mutius, & Mucius; Vergilius, & Virgilius. His verò tribus locis ejus hæc tria opera citantur.

חזות Visiones

דבוי ימים Annales

מרדש הנביא ערו Midras, seu Expositio Prophetæ Iddo.

QVidam hos tres libros ita distinguunt. Primum ajunt comprehendisse Visiones contra Jeroboam Regem Israel, admixtis quibusdam de Salomone. Secundum fuisse historiam rerum gestarum sub Roboam Rege Juda. Tertium de factis dictisque memorabilibus Abiæ Regis Juda. Sed R. Salomo putat vnius libri tria esse nomina, & librum eundem partim historicum fuisse, partim Propheticum, partim Conciones comprehendisse, & adhortationes ad vitia fugienda, virtutesque sectandas. R. David Kimchi ait ejus Historiam vocatam esse *Midras*, quia post narrationem rei gestæ digrediebatur ad contempla-

templationem Divinæ providentiæ, ac Numinis, humanæq; nequitiæ. Itaque Visiones ab Historia distinguit, non tamen Historiam, & *Midras*. R. Ghedolias ex antiquis Traditionibus haberi dicit hunc esse eum; qui Jeroboamum sæpè reprehendit, & quem Propheta ille mendax in Samaria repulit.

TITVLVS XXV.

Semajas Propheta.

שמעיה הנביא

SEmajas Propheta horum omnium æqualis, ut 2. Paral. 12. dicitur, librum de rebus sui Temporis edidit, sic inscriptum..

דברי שמעיה הנביא Verba Semaję Prophetæ.

Horum omnium unum erat Concilium temporibus Primorum Regum Judæ, atq; Israelis, quos ideo sejungere nolui; quamvis ultra Salomonis annos diu vixisse non sum nescius. Zemach David: *Achiæ Silonitæ Collegæ erant Iddo Videns, & Semajas Prophèta, & Achimaaz Sacerdos Magnus, & postea Azarias, & reliqui Sapientes Israelis.* Hunc dicunt Magistrum fuisse Salomonis.

TITVLVS XXVI.

Salomò.

שלמה

SAlomo Davidis Filius Rex tantus, ut nullæ gentium fabulæ eo pertingant gloriæ: regnavit non in Palæstina modo,

sed

ſed ut R. Eliezer in Capitibus vetus auctor ſcribit, in totum Orbem; Palæſtinam enim Imperio tenebat, reliquum Orbem auctoritate, & fama. De eo antiquus liber Peſikta ſic ſcribit: *Tres gradus Magnificentiæ Salomonis leguntur. Dicitur primò Regnum obtinuiſſe in omnes Trans Fluuium degentes. Secundò dicitur in totum Orbem exercuiſſe imperium. Tertiò dicitur ſediſſe in Dei ſolio* (ideſt gloriam ſupra hominem adeptus) *Tres quoque gradus depreſſionis de eo leguntur. Primò enim Rex Iſrael vocatur: ſecundò Rex Hieruſalem: tertiò Rex domi ſuæ. Ter vices mutavit. Rex, Privatus, Rex. Dives, Pauper, Dives. Sapiens, Stultus, Sapiens. Septem nominibus vocatus eſt. Salomo, Jedidia, Kohelet, Agur, Jake, Lamuel, Ithiel*. Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum vetuſtiorem omnibus Græciæ Sapientibus probat, quod indicant Sacræ literæ, cum eum Sapientiſſimis viris comparantes, nullum eorum è Græcia memorant: ſic enim 3. Reg. 4. v. 29. *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis ſicut arenam, quæ eſt in litore maris, & præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Aegyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus. Sapientior Ethan Ezrachite, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Machol, & erat nominatus in cunctis gentibus per circuitum*. Hic Hebræi licet non negent ſenſu planiore, ac literali quatuor Viros Ethan, Heman, Chalco, & Dorda, fuiſſe eo tempore ſapientiæ fama clariſſimos, quibus comparetur, ac præponatur Salomo; aliam nihilominus afferunt explicationem allegoricam, qua ſic dicunt in Peſikta, & Tanchuma, *Sapientior omni Homine, ideſt etiam Adamo primo. Sapientior Ethan Ezrachite, ideſt Abrahamo: Heman, ideſt Moſe. Chalcol, ideſt Ioſepho. Dorda, ideſt Davide*. Adamo qui vocatur כל אדם *omnis homo*, quia in eo erat omnium hominum velut in origine, ac fonte ſucceſſio: Abrahamo, qui vocatur apud Hebræos Ethan Ezrachites: Et omnes Pſalmos huic inſcriptos Abrahamo tribuunt. Moſe qui vocatur Heman, quaſi Neeman fidelis, quod nomen à Deo habuit. Joſepho qui vocatur Chalcol, quaſi Nutriens, eo

Pp quod

quod Aegyptum nutriverit. Davide qui vocatur Dorda; hoc est ſcientia pollens. Hi autem vocantur filii Machol, ideſt Miſericordiæ, quia inquiunt מחלח להם שנינה במעשה העגל *Ignovit illis providentia in facto Vituli*. Cum enim ſcelus illud Vituli dicant non modo ſequentibus, ſed etiam præteritis ætatibus obfuiſſe, Deo parentes ob facinus impium filiorum puniente, hos quatuor ajunt exceptos, & immunes communis noxæ Dei indulgentia ſervatos. Hæc Hebræorum ſententia eſt, quam excutiendi, ac diiudicandi hic locus non eſt, ubi eorum Traditiones tantum recenſere decrevimus, ſed hanc levem fabulam ex vocula illa fictam opinor. Obiiciunt ſibi ipſi, quo pacto Salomon dici poteſt ſapientior Moſe, cum ſcriptum ſit: *Non ſurrexit ſicut Moſes Propheta in Iſrael*. Reſpondent in Tract. Ròs Haſciana c. 1. לא קם במשה אפביאים אבל במלכים קם *Non ſurrexit ſimilis Moſi inter Prophetas, ſed inter Reges ſurrexit*. Alii vero ibidem dicunt verſum illum pſalmi, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis* intelligi de Salomone, qui paulo minor fuit Moſe Dei Angelo, vel ut Hebraicè legitur, *Deo*, ideſt *Pharaonis Deo*. Verùm ubi ad explicandam Salomonis ſapientiam venitur, eam in rerum naturalium cognitione fere totam ſtatuunt, quare videntur innuere ſapientia quidem humana excelluiſſe Salomonem omnes, qui ea clariſſimi habebantur, at non ita Divina, ſeu Prophetica. Enim vero ſi de Prophetica, Divinaque Sapientia hic ageretur, non fieret comparatio cum Aegyptiis, & Orientalibus. Nam quod ex omnibus gentibus ſolos nominat Aegyptios, & Orientales, non fruſtra nec temere id facit. Non modo enim hæ gentes tum omnium ſapientia clariſſimæ, hæ proximæ, hæ ſacris literis nobiliſſimæ, ſed etiam hæ duæ totam rerum naturæ ſcientiam complexæ. Nam Aegyptii terræ, Orientales Coeli ſcientiam ſummam profitebantur. Aegyptiis præcipua cura terræ colendæ, ac metallorum, nec non Geometriæ, & cæterarum artium, quæ circa terram occupantur. Hinc illis

quicquid

quicquid in terra nascebatur pro numine erat. Orientalium cura, & studium in Cæli motu, & siderum efficacia indaganda. Hinc R. David Kimchi hoc loco putat ipsum nomen Orientis, quod hic est *Kedem* ad sidera esse referendum. Et illud Isaiæ מלאו מקרם *Repleti sunt sicut ab initio* explicat, *Repleti sunt siderum benignitate*: ergo idem fuit dicere Salomonem Orientalibus, & Aegyptiis sapientia præstitisse, atque illum Coeli terræque, & proinde naturæ totius intelligentissimum, ac scientissimum vocare. Verùm ut nunquam vera Hebræis placent, nisi hyperbole, ac fabulosa auxesis accedat, nesciunt laudare Salomonis sapientiam, ac rerum naturæ notitiam; quin eum Magum, Ariolum, Conjectorem, Alchimistam, & si quid est his deterius faciant. Quasi hæc ille à Deo petierit, aut illi Deus dederit. Ajunt eum linguas avium intellexisse. Pesikta ut notat. R. D. Kimchi in eum locum: *Sapientior cunctis filiis Orientis. Quæ erat scientia filiorum Orientis? callebant nimirum scientiam siderum, & Planetarum, & Tier.* טייך R. David, explicat, *linguam avium, nam Avis Arabicè vocatur Altier.* אלטייר Quin cum avibus imperasse dicunt, easque ad ejus obsequiũ præsto fuisse. Bava Bathra Cap. I. רשד גרול היה לו והיה דורב עליו ובא לחרמור ביום אחד *Aquilam grandem habebat, huic inequitans uno die ibat in Thermud.* Pesikta, & refert Jalkut in Eccl. n. 1068. עוף גרול נאה ומשוכחהיה עולם בכל יום על שלחנו *Pulcherrima, Maxima, & Venustissima avis quotidie super ejus mensam veniebat.* Ibidem ajunt eam ex Libya solitam advenire. Nolo hìc longior esse in hoc argumento, in quo Hebræi nullum fabulandi finem faciunt, eo usque, ut scribant etiam cordis occulta vidisse Salomonem, & solitum sine testibus, ac probationibus ferre sententiam ex iis, quæ sapientia sua assequebatur. Jalkut ex Pesikta majore in Paral. n. 1082. Quædam

tamen legis arcana cum ignorasse dicunt, ut Videre est Tract. Erubin. cap. 2. ubi hæc tria enumerantur, quæ assequi non potuerit. סוד פרה ארומת מנן שרו של חודה ומצוות והקץ *Arcanum Vaccæ rufæ: Premium, quod repositum est, Legem, ac præcepta servantibus: Finem.* Verùm, ut quod instituti nostri præcipuum est, scripta Salomonis enumeremus: eorum duæ classes erunt; alia enim Sacra auctoritate constant, alia non item.

Scripta Salomonis in Canone Sacrarum literarum.

שיר השירים Canticum Canticorum.
משלי Proverbia.
קהלי Ecclesiastes.

Quorum Sacræ literæ meminerunt.

שלשת אלפים משל Tria millia Parabolarum.
שורים חמחה זאלף Carmina quinque, & mille.
על ע צים De Plantis.
על הבהמה De Bestiis.
על העעוף De Volucribus.
על הרמש De Reptilibus.
על הרגים De Piscibus.

Quæ ab aliis ei tribuuntur.

פי׳ עלהתורה Commentarius in Legem.
Psalmi.

מומורים Pſalmi.
רנדי ימים Annales.
חנמחא רשלמח Sapientia Salomonis.
מנחכ Deſcriptio.
אנדורת Epiſtola.
על דפואת De Medicina.
על צרקה De Juſtitia.
נתב ולשון ערבי Scriptura, & Lingua Arabica.
שירים דבים Poemata multa.
חקנורת Conſtitutiones.

Quæ dolo malo Salomoni ſuppoſita ſunt.

על אלקימיא De Alchimia.
צל הצורורת De Vmbris Idearum.
מפחח Clavicula.

C*Anticum Canticorum*. Admirabile, planèque Divinum Carmen ab Salomone jam ſene compoſitum, ut ſcribit Seder Olam, quod oſtendit eo tempore ſcriptum, quo jam pertęſus humanos amores, ad divina capienda, & canenda animum, & ſtudium converterat. Filiam Principis, cujus hoc toto Carmine laudes proſequitur Salomo, ajunt ſpecie, atque umbra tenus fuiſſe Paraonis filiam ejus Conjugem, ita ut ſub ejus Allegoria ut ipſi dicunt Synagogæ; ut nos putamus, ac re vera eſt Eccleſiæ amores, & nuptias canat. Ego verò hìc facere non poſſum, quin antiquam eorum fabulam, quæ neſcio quid latentis allegoriæ habere videtur, hìc memorem. Sanhedrim Cap. II. dicunt: *Quo tempore Salomo duxit filiam Pharaonis Gabriel Angelus è Cœlo deſcendens defixit in mari arundinem ad quam*

agge-

aggestus est limus, cui inædificata est Roma. Quid habet commune Roma cum filia Pharaonis? An quod hæc futura esset Ecclesiæ Caput, quæ vera Salomonis Sponsa? Scilicet ut Hebræi ipsi videntur explicare, quod Salomone legem Dei violante vetitis nuptiis, Deus Synagogam ex eo tempore reiicere cœperit, ac Romanam Vrbem erigere, in qua fideliorem sibi pararet Ecclesiam. Certè usque ad has Salomonis nuptias Hebraica Respublica crevit, ac majora in dies incrementa sumpsit. Hinc ruere cœpit, ac retro sublapsa referri. Quod autem in Bava Bathra dicunt Ezechiam, & eos aulicos scripsisse Canticum Canticorum, aut explodendum est, aut ita explicandum, ut ipsi explicant, ab Salomone scriptum, ab Ezechia vero promulgatum.

Ecclesiastes Hunc quoque librum, ac multo certius, quam priorem Salomo scripsit extrema ætate, quod Aben Ezra colligit in iis verbis Cap. I. *Ego Ecclesiastes fui Rex in Hierusalem*, qua loquendi forma, & simul iis, quæ ab se facta narrat, ostendit se jam peracta ætate hæc scribere. Sed R. Salomo tenacior traditionum, & fabularum, quas ab antiquioribus acceperat, non recedit hoc loco à Veterum Hebræorum Commentis. Nam in Midras, & in Targum Koheleth narratur Asmodæus Dæmon pepulisse Regno, ac Regia sede Salomonem, & ejus loco, ac specie aliquandiu sedisse. Quo tempore Salomo factus ex Rege mendicus, errarit aliquandiu, deinde facinorum suorum pænitentia ductus, & formam, & locum pristinum recuperarit. Quare hæc verba: *Ego Congregans* (idest mendicus stipem conquirens) *fui Rex in Israel*, putant ab Salomone dicta eo tempore, quo à Regno, & velut à se ipso exul vagabatur. Hæc illi nimia licentia fabulandi finxisse videntur, ut indicarent tàm scelestè regnasse Salomonem eo tempore, quo coluit Idola, & voluptati se totum permisit, ut non Salomo regnare videretur, sed ejus loco Asmodæus. Sed malè ex hac fabula sacri hujus loci explicatio petitur. Olim Hebræi Consilium inisse dicuntur, an expediret hunc librum occuli, ac subtrahi manibus vulgi, & nonnisi Sapientioribus permitti. Pesikta: *Voluerunt Sapientes abscondere librum Ecclesiastis, eo quod in eo viderentur*

esse

esse verba declinantia in partes Epicureorum. Quod ne fieret obstiterunt Sapientiores. Vt scribitur Tract. Sciabath. C. II. *Quaesierunt Sapientes abscondere librum Ecclesiastis, quia in eo videbantur esse Verba pugnantia: & quare non absconderunt illum? quia incipit à Verbis Legis, & desinit in Verba Legis.*

Liber Proverbiorum, à quibusdam quatuor auctoribus tribuitur ita ut ab initio ad Caput XXV. sit Salomonis, sic enim incipit, *Parabolae Salomonis F. David &c.* à Cap. XXV. ad XXX. sit Aulicorum Ezechiae. Sic enim incipit haec pars: *Hae quoque Parabolae Salomonis, quas transtulerunt Viri Ezechiae Regis Juda*. A Cap. XXX. ad XXXI. sint Agur, sic enim dicitur: *Verba Agur*: nos habemus, *Verba Congregantis*. A Cap. XXXI., usque ad finem sint Lamuelis Regis: exordium enim est hujusmodi: *Verba Lamuelis Regis*. Hebraei autem omnia putant ab Aulicis Ezechiae Regis Juda scripta ex iis, quae constabat à Salomone dicta esse, ut videre est in Bava Bathra C. I. ubi de auctoribus librorum sacrorum agentes, ita dicunt: *Ezechias, & ipsius Aulici scripserunt Isajam, Cantica Canticorum, Proverbia, & Ecclesiasten*. Iidem tamen totius libri Auctorem faciunt Salomonem, ut in Seder Olam, qui liber apud eos summae auctoritatis est, his verbis לעת זקנתו סמוך מיתתו שרתה עליו רוח הקרש ואמר גםסדים משלי ושיר חשירים וקהלת *Tempore senectutis suae prope mortem dominatus est in eum Spiritus Sanctus, & pronunciavit tres libros, Proverbia, Canticum Canticorum, & Ecclesiasten*. Pronunciasse eum dicunt hos libros, quos postea Aulici Ezechiae scripserint, & dici posset, eum nonnisi voce publica eos libros promulgasse, quos postea è privatis plateis Academia illa celeberrima Ezechiae Regis eductos publici juris fecerit. Certè hos tres libros esse Salomonis Hebraei aeque, ac nostri fatentur. Auctoritas verò Divina horum trium librorum omnibus saeculis cognita, & probata est.

Licet

Licet R. Simeon Ben Macasia Tract. Meghilla c. 1. ausus sit dicere: ***Liber Ecclesiastis non est ex iis, quos non licet tangere nisi lotis manibus, quia ex ingenio Salomonis scriptus est:*** quod illic statim refellitur. Et quicquid Hebræi dicerent, nobis solius Ecclesiæ Christianæ satis esset auctoritas. Duo tantum supersunt quærenda de his libris. Primum an ita uti nunc habentur à Salomone scripti fuerint; an potius ille alia lingua, ac stylo scripserit, quæ alii sic postea ediderint. Alterum quo ordine sint ab eo scripti. Ad primum quod attinet, quidam decepti ea voce, quæ in Proverbiis est: *Quæ transtulerunt*, Hebraicè העתיקו linguæ, aut styli diversitatem aliquam suspicati sunt inter scriptum Salomonis, & hoc quod habemus. Sed verbum Hebraicum *Transferendi*, non solum de Interpretis opera dicitur, sed de Scribæ, qui ex uno in alterum codicem verba describit, ac transfert; idque multo magis si inter transcribendum dictiones diligentius discernat, atque distinguat, notis adhibitis, quibus clarior reddatur oratio. R. Levi Ben Gerson, quem citat R. David Kimchi in III. Reg. IV. ***Verisimile est***, inquit, ***ex illis tribus millibus parabolarum, quæ locutus est Salomo, collectum esse librum Proverbiorum, & ex illis quinque, & mille carminibus electum esse Canticum Canticorum. Nam ideo dicitur initiò Proverbiorum: Proverbia Salomonis F. David Regis Israel, ad intelligendam sapientiam, ac disciplinam, ac si diceret: hæc tantum ex omnibus proverbiis Salomonis huc spectant. Fortè enim aliorum proverbiorum alius erat usus, & finis, & ideo non sunt relata in hunc librum, qui inter Divinos numeratur. Ob eandem causam dixit: Canticum Canticorum ipsi Salomoni. Hebraicè*** שיר השירים אשר לשלמה, ***ac si diceret, Canticum ex Canticis, quæ Salomo composuit, velut electum ex omnibus.*** Hactenus R. Levi. Quam sententiam nonnulli etiam è nostris Auctoribus secuti videntur. Alphonsus Tostadus in III. Reg. IV. quæst. VIII., & Anastasius Nicænus legens

gens titulum Proverbiorum, ταῦται αἱ παροιμίαι Σολομῶντος διάκριτοι *Hæc sunt Proverbia Salomonis selecta*, & rursus ex Hebræis R. Salomo Bar Nachmani scribit. *Non est scriptum* שירה *quod Carmen significat, sed* שיר *quasi à* שאר *Reliquum, ac si diceret: reliquum ex Proverbiis.* Sed non video quid quemquam prudentem cogere possit, ut Proverbia, & Canticum Canticorum, potius ex majore aliquo libro collecta, quam uti sunt edita ab Salomone credat; cum hoc Interpretes plerique, hoc sensus, ac traditio communis, hoc plana tituli interpretatio doceat; alterum verò, etsi esse possit, nullo gravi argumento probetur. Quod verò ad alterum spectat, quo ordine editi sint hi libri. Hebræi in suo Canone primum Proverbia ponunt, deinde Canticum Canticorum, ac tertio loco Ecclesiasten, sic tamen ut inter Proverbia, & Canticum, Job; inter hoc, & Ecclesiasten intercedat Ruth, ac Threni. Nos melius numeramus hoc ordine: *Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum.* Velut Patris, Filii, Spiritus Sancti personam in his tribus libris gerente Salomone. Patris in Proverbiis in quibus toties dicit *Fili mi.* Filii in Ecclesiaste, ubi dicit *Verba congregantis Filii vomentis.* Spiritus Sancti in Canticis Canticorum, in quibus sacros amores canit. In Midras longa de hoc ordine disputatio est. *R. Chaja Bar Abba dixit: Primum dixit Proverbia, postea Cantica, deinde Ecclesiasten, quia scriptum est: & locutus est tria millia parabolarum; en Proverbia. Et fuerunt carmina ejus mille, & quinque: en Cantica. Ecclesiasten vero scripsit in fine. R. Jonathan dixit: Cantica Canticorum initio edidit, postea Proverbia, & ultimò Ecclesiasten. Scilicet R. Jonathan conjecturam quærens ex moribus hominum, hæc dixit. Nam homo quandiu invenis est, modulatur varia genera cantionum. Grandior ætate sententias, & parœmias loquitur. Ubi demum senuerit, dicit: Vanitas vanitatum.* Sed hoc est divinare.

Altera classis Scriptorum Salomonis, quæ in Canone non sunt, sed quorum tamen in Sacris litteris mentio est, ea continet, quæ III. Regum IV. dicitur disputasse. *Locutus est quoque Salomo tria millia Parabolas, & fuerunt carmina ejus quin-*

que & mille, & disputavit super lignis à cedro, quæ est in libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Quæritur an hæc tantum pronuncians dixerit, an etiam in scriptum retulerit, hoc posterius multo est credibilius. Nam nec solent verba numerari, nec putandum est ullum hominum, neipsum quidem Salomonem scire potuisse, quot inter loquendum proverbia sententiasque dixisset. Adde quod hoc refertur de Salomone velut opus certum, & permanens. Nec dubium quin Salomo non instituerit Ludum Philosophicum, in quo de rerum natura doceret, sed has disputationes scribendas amanuensibus suis dictaverit; atque ita non pugnat, quod dicitur *locutus est*, cum eo, quod putamus eadem scripto esse mandata. Periisse autem hos libros agnoscit R. D. Kimchi. *Tria millia*, inquit, *Parabolarum, non inveniuntur apud nos, sicut neque carmina quinque & mille; multi enim libri in captivitate perierunt. Sic etiam quæ de rerum natura composuit, ut dicitur. Et scripsit de plantis, ostendens nimirum earum vires, & ingenium, & remedia ex illis, & sic de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus, & quicquid sub orbe Lunæ est, ejus scientiam non effugit, quin de omnibus libros scriberet.* Hæc R. D. Kimchi. Sed ut sæpè monui, numquam Hebræis satis est id quod verum est, quin aliquid admetiri de suo velint. Midras ait. *In singulos versus Legis scripsit Salomo tria millia parabolarum, & in singula Proverbia mille, & centum sensus*, quod si verum esset infinitus propè numerus Proverbiorum, infinitior verò sensuum, sivè rationum fuisset. In adversam partem peccat R. Salomo, qui putat per hæc verba nihil indicari diversum ab his, quæ extant. Nam per tria millia parabolarum, intelligi vult librum Proverbiorum, explicans illud שלשת אלפים per שלשת למורים *Tres institutiones, doctrinas*, nam אלף & *Mille* significat, & simul *docere, instituere*. Librum verò Proverbiorum R. Salomo distinguit in tres sectiones, quia ter dicitur משלי שלמה *Pro-*

Proverbia Salomonis, ac si ter incipiat auctor. Primum cap. 1. Deinde cap. x. Tertiò cap. xxv., atque ita primam lectionem putat continere capita ix. secundam capita xvi. tertiam capita vi. & has sectiones vocari *Alaphim*, velut Institutiones, atque Doctrinas. Illud vero: *& fuerunt Carmina ejus quinque & mille*, sic explicat. *Et fuerunt Carmina ejus quinque*, idest, Tres jam dicti libri Proverbiorum, & præterea quartus Canticorum, quintus Ecclesiastis. Et super hæc omnia אלף, idest *Doctrina*, sivè *Explicatio*. Tradidit enim explanationem horum omnium. Sed hæc R. Salomonis expositio, quàm sit coacta, & à mente auctoris aliena nemo non videt. Neque illud arridet, quod significat R. D. Kimchi: *Nos in Bibliis invenimus dixisse Salomonem versus propè octingentos, quid ergo est, quod ait: Tria millia parabolarum? Midras explicat: in singulos versus, quos scripsit, locutus est: idest ore edidit duos, vel tres sensus.* Melius antea dixerat, id quod omnes fatemur, eum scripsisse hæc volumina, quæ postea perierint. Josepho quoque non assentior, qui putat Proverbia hæc tàm multa Salomonis totidem libros fuisse, & idem fuisse cum iis, quæ de rerum natura scripsit. Sic enim lib. viii. c. ii. *Composuit Salomo libros Odarum, & Carminum quinque supra mille, & parabolarum, ac similitudinum libros ter mille. Cuillibet enim speciei plantarum suam adbibuit parabolam, ab hyssopo, usque ad cedrum. Idem fecit de pecoribus, & cæteris terrestribus animalibus, natatilibusq;, & quæ per aerem feruntur.* Atqui multo probabilius est non tria millia librorum, sed parabolarum, idest sententiarum scripsisse Salomonem, ac præter hæc etiam de rerum Natura.

Tertiam classem Scriptorum Salomonis eam fecimus, quæ libros continet, quorum auctores alii quàm Sacri meminerunt, in quibus primum obtinet locum.

Commentarius in Legem. Primus qui Legem Commentariis illustraverit fertur fuisse Salomo; hinc illum in singulos versus Legis tot millia Proverbiorum dixisse Midras scribit, & Tract. Jebamoth capit. 1. dicunt ודם שבא שלמה היתה

היתה תורה דומה לכפיפה שאין לה אזנים עד שבא שלמה וירשה לה אזנים *Antequam venirect Salomo similis erat lex vasi, quod ansas non habet. Venit Salomo, & fecit ei ansas.* Pulchrè ansas vocavit explanationem; Hebraicè enim ansæ (sicut & Italicè) Aures vocantur. Aures ergo duas legi fecisse dicitur Salomo: idest duplicem sensum. De studio quo conatus est legem intelligere, scribunt (ut refert Jalkut in Prov. num. 1039.) eum jejunasse per dies XL., ut assequeretur eam legis notitiam, quàm posset Mosi proximam. Et putant etiam rerum naturæ scientiam eum ex lege hausisse. R. Moses Bar Hachman in proœmio Comm. in legem. *Salomo Rex, cui Deus dedit sapientiam, & scientiam, omnia ex lege didicit, ex ea assecutus est, ut arcanum omnium generationum intelligeret; etiam Vires herbarum, & proprietates earum, quò usque etiam de iis scripsit*: idemque postea probare nititur loco, ex libro Sapientiæ producto; quem locum nos adducemus, cum de hoc libro sermo erit. Sunt autem ex Hebræis, qui putant, eos ipsos Commentarios Salomonis de Avibus, Reptilibus, Bestiis, Plantis, nihil aliud fuisse, quam explicationes Quæstionum, ad legem spectantium. Pesikta. *Et locutus est super ligna, quì fieri potest, ut homo dignetur loqui de lignis? nimirum Salomo disserebat, cur de leproso in lege præcipitur, eum esse purificandum excelso inter excelsa, & humili inter humilia, Cedro nimirum, & hyssopo? scilicet, quia ob superbiam homines corripiebantur lepra. Qui ergo extulit se sicut Cedrus, ut purificetur dimittat se, sicut hyssopus. Et loquebatur de Bestia, & Volucri: quì fieri potest, ut homo loqui dignetur de Bestia, & Volucri? Scilicet Salomo disserebat, cur bestia ritè occiditur, & comedi potest, si abscindatur Trachea, & Stomachus; avis verò, ut ritè occidatur, satis est si alterum horum abscindatur. An quia bestiæ sunt ex terra, non autem volucres? Nam hinc de Bestia dicitur: formavit Deus animantia ex terra, inde autem de avibus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volucres: licet Bar Cappara, ut conci-*

liaret

liaret hæc loca (nam & Volucres, & reptilia animalia sunt, nec tamen è terra facta dicuntur) *dicebat ex luto esse facta*. *Et loquebatur de Reptilibus: qui fieri potest, ut homo dignetur loqui de reptilibus? scilicet disserebat Salomo, cur in lege distincta sunt octo reptilia, quæ si quis tangat, vel feriendo, lapidandus est; non item cætera? nimirum, quia hæc octo reptilia habent pellem. Et de piscibus: qui fieri potest, ut homo dignetur loqui de piscibus? Nimirum disputabat Salomo, quare in fera, & bestia, & volucre exigitur ritus ille jugulandi, qui vocatur Scekita, in pisce autem non requiritur. Dicebat Salomo totam legem hoc modo percurri. Sed in mysterio Vaccæ rufæ, interrogavi, speculatus sum, quæsivi, dixi, jam jamque rem teneo; sed longe à me fuit*. Ejusmodi disputationes in legem existimant scripsisse Salomonem.

Psalmos Salomoni etiam tribuunt: & primum à quibusdam Salomo numeratur inter decem auctores libri Psalmorum; etsi hoc R. Salomo neget, quia illos decem putat Davide antiquiores, aut ad minimum æquales fuisse. Tribuuntur autem Salomoni Psalmi tres, maximè.

שיר המעלות לשלמה Canticum Graduum Salomoni.

שיר חנוכת הבית לדוד Canticum in Dedicatione Templi, Davidi.

יושב בסתר עלירן Qui habitat in Adiutorio Altissimi.

PRimum, & secundum ei tribuit Pesikta, simul tres tribuit ei Jalkut in Psalmos nu. 842. Et in Cantica num. 1080. sed de his, uti de reliquis putandum eos à Davide conscriptos. Peculiares quoque Psalmi circumferuntur Græcè tamquam Salomonis, quos etiam nuper edidit Ludovicus de la Cerda.

Annales Salomonis III. Regum XI. *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & Sapientia ejus, ecce omnia scripta sunt in libro Verborum dierum Salomonis*. Hic liber alterius ne de rebus Salomonis, an ipsius de suis fuerit,

quæ-

quæritur. Rabanus alterius putat fuisse. Alii Salomonis ipsius. R. David Kimchi, neutrum hic significari, dicit; neque ullum citari librum, qui de rebus Salomonis historicè agat; sed tantum libros Salomonis, ex quibus de ejus sapientia facilè sit coniicere; sed hoc minus probabile, & plures existimant significari Commentarium, quem Salomo de rebus suis scripsisset, ut Josue.

Sapientia Salomonis, hoc nomine plures extant libri, & nunc quoque à recentioribus Hebræis scripti nonnulli hoc nomen præferunt. Sed in Ecclesia præter Sapientiæ librum hoc nomine veniunt: Proverbia, & Ecclesiastes, & in Missa lectiones ex Ecclesiastico, Proverbiisque recitantur sub nomine Sapientiæ; quin omnia Salomonis opera hoc nomen præferre videntur; nam, ut Lorinus adnotavit Capite III. in Librum Sapientiæ, Julius I. Citans, Epistola I., Proverbia vocavit Sapientiam; & Clemen. I. lib. 1. Constit. c. VII. & VIII. citans item Proverbia, & Canticum, vocavit Sapientiam. Ecclesiasten quoque sapientiam Salomonis vocat Gregorius in Psal. IV. Poenit. Vt enim Sapiens κατ᾽ ἐξοχὴν est Salomo, ita quodvis ejus scriptum Sapientiam vocarunt. Nec modo ejus scripta, verum etiam, ea quæ scripta ab aliis ob similitudinem Styli, ut ait Augustinus lib. XVII. de Civ. c. XX. Salomonis appellantur, Sapientiæ nomine censentur, ut Ecclesiasticus, & Sapientia, de quibus agitur multo post. Picus Mirandulanus præfatione in Heptaplum, alium Sapientiæ librum citat velut à Salomone conscriptum. *Extat*, inquit, *apud Hebræos Salomonis illius cognomento sapientissimi liber, cui Sapientia titulus. Non is, qui nunc in manibus est, Philonis opus; sed alter, Hierosolymitana, quam vocant, secretiore lingua compositus. In qua vir naturæ rerum, sicuti putatur Interpres, omnem se ejus libri disciplinam fatetur è Mosaicæ legis penetralibus accepisse.* Verùm liber hic, quem Picus citat, ille est, qui Syriacè vocatur חוכמתא רבתא דשלמה *Sapientia magna Salomonis*. Atque is idem est, qui apud nos Sapientia vocatur, ut postea docebo, cum duo fragmenta ejus libri insignia descripta

e Com-

e Commentariis R. Mosis Nachmanidis proferam. Utinam, & librum ipsum Hierosolymitana lingua scriptum nancisci liceret.

Rescriptum Salomonis lib. II. Paral. c. XXXV. *Præparate vos per domos, & cognationes vestras in divisionibus singulorum, sicut præcepit David Rex Israel, & sicut præcepit Salomo filius ejus*. Hebraicè est בכחבדוד טלך ישרא וכמכחב שלמה כנו *Juxta scriptum David Regis Israel, & juxta rescriptum*, seu *descriptionem Salomonis filii ejus*.

Epistolæ. Josephus libro 1. Contra Apionem. *Hiramus Rex Tyri amicus erat Regi nostro Salomoni: Amicitiam verò conciliaverat præcipuè amor Sapientiæ. Problemata enim solvenda sibi mutuo dirigebant; melior in his tamen erat Salomon, & sapientior apparebat. Hactenus verò servantur apud Tyrios epistolæ multæ, quas illi scripsere ad invicem. Quòd autem non fingam de Tyriis, testem producam Dium, qui in Phænicum historiis integerrimus approbatus est. Is igitur in Historia Phænicum sic scribit: Regem Salomonem misisse dicunt ad Hiramum Regem ænigmata, & poposcisse ab eo; adjecto, ut qui non posset discernere pecuniam solventi persolveret. Confessumque Hiramum, se non posse solvere propositas quæstiones, multis pecuniis damnatum esse. Inde Abdemarum quendam virum Tyrium propositas quæstiones solvisse; ipsumque alias proposuisse, quas si non solveret Salomon multas rursus pecunias Hiramo Regi persolveret*. Idem Dionis aliqua excerpta indicant apud Eusebium in omnimoda Histor. Alias Salomonis Epistolas ad Vafrem Regem Aegyptiorum, earumque responsa refert Eupolemus, & ex eo Eusebius lib. IX. de Præp. c. IV: Apud quem alia quoque leguntur ejusdem Salomonis ad Suronem Regem Tyri: quod vide, ne sit interpretis errore sic dictum. Nam Tyrus Hebraicè *Zur* vocatur, Interprès igitur legens Regem *Zur* putavit hoc nomen Regis esse non Regni. Constat alioqui eo tempore, Hiramum fuisse Regem Tyri. Quin Alexander Polyhistor, ut Clemens lib. 1. Strom. auctor est, Salomonis Epi-

stolas

ſtolas ad Tyrium, & Aegyptium Reges prolixè referebat. Aliæ citantur ad Galaaditas, Galilæos, Samaritanos, Moabitas, Ammonitas.

De Medicina. Ezechias pius Rex, quemadmodum in vulgandis Salomonis libris, qui ad promovendam pietatem pertinebant, ſedulus fuit; ita in iis ſupprimendis, qui vulgò noxii eſſe poſſent, haud exiguam diligentiam adhibuit. Suſtulit autem, ut ajunt, libros Salomonis de medicina, *propterea* (inquit Euſebius ab Anaſtaſio Nicæno citatus quæſt. XXXIX. in Scripturam) *quòd morborum medelas inde acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationem*. Quidam ex Hebræis putant, hos de medicina libros fuiſſe eoſdem cum iis, quos de Plantis, de animalibus, de reptilibus, de avibus ſcripſit. Nam, ut ait R. Levi Ben Gerſom præfatione in Cantica: *dum earum rerum cauſas, & elementa, & principia deſcribit, quæ eſt phyſica conſtitutio, veriſimile eſt, eum utilitates quoque aperuiſſe, quibus ſingulæ res remedio eſſe poſſint, & quid in cibum homini conveniat*. R. Moſes Nachmanides, & ipſe arbitratur Præfatione in legem, librum de medicina ספר רפואות ſcriptum eſſe à Salomone inter has ipſas diſputationes de Plantis, de Animalibus. Nec cæteris modò, quæ à natura ſunt incommodis, & morbis medicinam facere docuit; ſed etiam adverſus Dæmonum invaſiones dicitur excogitaſſe remedia: de quibus Joſephus lib. VIII. c. II. *Quin, & eam rem divinitus conſecutus eſt ad utilitatem, & medelam hominum, quæ adverſus Dæmones eſt efficax; Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & conjurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, ut nunquam poſtea reverti audeant*. Quam rem experimento firmare nititur. At nobis certum eſt, nihil ſuperſtitioſum, aut magicum ex veræ ſapientiæ diſciplina tradidiſſe Salomonem.

Liber de Juſtitia nuper inuentus una cum aliis pluribus in Monte Sancto Granatenſi, quorum alii alios auctores præferebant. Hic Salomoni adſcribebatur: quem librum Poſſevinus

nus ait xx. foliis abſolui. Sed Eccleſiæ calculum non meruit, & inter apocryphos relatus eſt.

Scriptura, & *Dialectus Arabica Orientalis* Salomoni tribuitur. Pineda de rebus Salom. lib. III. c. XI. *Invenit Alphabethum*, & *linguam*, *quam vocant Arabicam Orientalem*; *ideſt antiquiſſimam illam*, & *cujus eſt uſus tantùm in Arabia Judeæ vicina*. *Sic ſane in libris plumbeis Granatenſibus*, *hoc noſtro ævo inventis*, & *ab Apoſtolo Jacobo aliiſque Sanctiſſimis diſcipulis Hiſpaniarum Doctoribus exaratis in plumbi laminis*, *aſſeritur eos ſcriptos eſſe Characteribus Salomonis*, *cum tamen ſint Arabici*. Sed hæc jam e Pinedæ libro expuncta; utpote è libris ab Eccleſia poſcriptis.

Poëmata multa cum ſcripſiſſe præter ea Carmina, de quibus ſupra egimus, Tragædias, & Comædias, & Satyras ſcribit Abulenſis III. Reg. III. quæſt. 9.

Conſtitutiones Salomonis enumerat liber Juchaſin tres.

עירובין Mixtiones.

נשילת ידים לקודש Lotio manuum ad Sancta.

על שניות De Secundis.

Mixtiones, hoc eſt ritus miſcendi domos, ut quia intra eandem domum licet Sabbatho quædam ferre, liceat etiam continuare, & velut miſcere domos contiguas, & ex una in aliam ferre aliquid. *Lotio manuum ad Sancta*. Hoc eſt ne liceat tangere ea, quæ Deo ſanctificata ſunt, niſi manibus lotis. At poſtea Hillel, & Samai conſtituerunt, ne primitias quidem illotis manibus eſſe attingendas. *De Secundis* conſtitutum erat in Lege, in quo gradu conſanguinitatis prohibitæ eſſent nuptiæ. Salomon addidit unum gradum, & vocavit ſecundas שניה לעריות.

Quarta Claſsis librorum quos Magi, Alchimiſtæ, ac cæteri ejus farinæ tribuunt Salomoni, commemoratione vix digna eſt, ac ne vix quidem: adſcribam iis de libris verba Genebrardi: *Inter Salomonis libros erat liber precationum*, *ſivè*

præcantationum, quo docebat modum depellendarum ægritudinum. Quem librum illum esse puto, quem R. Kimchi inscribit de morborum Curationibus, e Talmudicorum Traditionibus, Commentario in Cap. quartum Tertii Regum, quo majores usos ait instar Hippocratis, & Galeni. Reliquerat & librum de Exorcismis, sivè adjurationibus ad fugandos Dæmones, nam facultatē contra Dæmones callebat dono sibi divinitus inspirato. Josephus lib. Antiq. quem Origenes Tractatu XXXV. in Matthæum sua ætate extitisse significat. Hinc detegitur igne vindicanda Magorum nostri temporis impostura, qui nomine Salomonis abutuntur ad Dæmones evocandos. Cum e contrario eos non evocare, sed pellere suis libris docuerit. E quibus Exorcismos vetus Synagoga desumpserat in dæmoniacorum solatium, & liberationem usurpatos, Christi sæculo Actorum XIX. & adhuc vim habentes Josephi temporibus, inspectante miraculum Vespasiano lib. VIII. Antiq. c. II. Nempe quemdam modum exorcizandi condiderat; quo Dæmones adjurati ex obsessis pellebantur corporibus; cui officio mancipati Exorcistæ vocabantur. Dist. XXI. §. 1. Zonaras Tom. 1. c. LVIII. Libri ergò Salomoni impiè attributi sunt, qui transcribuntur. 1. Salomonis Incantationes. II. Clavicula Salomonis. III. Annulus Salomonis. Nam eorum primus apertè est sceleratus: medius continet elementa, & Institutiones magicas, estque velut clavis Magiæ ad Dæmones circulis, characteribus, variis figuris, ceremoniis, & hujusmodi absurditatibus illiciendos, etiamsi ita incipiat: Initium, & finis libri hujus est timere Deum. Tertio doceri aiunt quo pacto Dæmon in gemmam annuli accersatur, & illigetur. Liber Zohar habet aliqua ex Libro Salomonis pag. 8., & 15., quæ superstitioni proxima videntur, & minimè adscribenda Sapienti.

TI-

TITVLVS XXVII

Agur.

אגור·

Agur quibusdam putatur insignis Scriptor fuisse hujus ætatis; nam cum Proverbiorum XXX. Hæc Verba Hebraicè legantur דברי אגור בן יקה המשא נאם הגבר לאיתיאל לאיתיאל ואוכל quæ noster Interpres ad sententiam vertit aptissimè: *Verba Congregantis filii Vomentis: Visio, quam locutus est Vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait*. Sed Hebræi sonum ipsum vocum retinentes multa hinc nomina propria fecere; atque adeo plerique eorum sic explicant: *Verba Agur filii Jake onus hoc dixit Vir Itbieli, & Vebali*. Quis vero fuerit Agur, duæ inter eos sententiæ sunt. Altera virum aliquem doctrina insignem; altera putat, ipsum esse Salomonem. Priorem sententiam tuetur Aben Ezra in hunc locum, *Agur*, inquit, *ætate Salomonis vir erat insigni probitate, & sapientia, & fama inter æquales celeberrimus. Proinde Rex Salomo collegit, quæ erant ab eo dicta sapienter in hunc librum. Hic vocatus est Gheber, idest Vir fortis ob robur sapientiæ, Itbiel vero, & Vebal ipsius aut Sodales erant, aut discipuli, quos insignes sapientia, & ipsos fuisse par est credere*. Sed alteram sententiam plures sequuntur, qui hunc putant esse Salomonem, cujus inter alia nomina hoc esse supra docui ex Pesikta. R. levi Ben Gerson: *Verisimile est hunc Agur esse Salomonem, qui scriptum sic vocarit ob verba, quæ collegit hoc libro, sicut alio libro vocat se Koheleth, idest colligentem populum ad Conciones*. Idem sentit antiquior Tanchuma, Midras, R. Salomo, idem recentiores in quibus Aben Techia.

TITVLVS XXVIII.

Lamuel.

למואל

LAmuel Rex Proverbiorum XXXI. apertissimè nominatur velut auctor eorum, quæ eo loco subiiciuntur. Hinc multi Regem hunc sapientissimum fuisse opinati sunt, è cujus scriptis non dedignaretur Salomo in sua referre sententias tàm multas: itaque Sixtus Senensis lib. II. Bibliothecæ Sanctæ de hoc Lamuele sic scribit: *Lamuel Rex Hebræus scripsit bipartitam quamdam instructionem, quæ ultimo Proverbiorum capite recitatur; cujus prior pars brevem Regis Institutionem habet, Posterior vero continet Institutionem matris familias XXII. versibus comprehensam, Juxta ordinem, & numerum Hebraicarum literarum, ita ut singuli versus à singulis literis incipiant*; sed cum ante Salomonem David, & Saul soli regnarint in Israele, nullus autem Lamuel; credibile non est, auctorem hujus Institutionis ullum fuisse Regem Hebræum alium à Salomone. Neque exterum Regem hoc nomine vocatum dices, cum ipsa Hebraici Alphabethi observatio doceat auctorem Hebræum fuisse. Itaque tùm in Pesikta, tùm in Comentariis R. Salomonis, Aben Ezræ, R. Levi Gersonidis, Aben Techiæ, & omnium reperies Lamuelem intelligi hoc loco Salomonem ipsum. Idem sentiunt, quod pluris est, Patres & Interpretes Christiani.



TI-

TITVLVS XXIX.

Elias Thesbites.

אליהו החשבי

Eliæ Thesbitis ignotum genus, ac tribus. *In Bava Mezia* Cap. *Me Kabbel* longa de ejus prosapia disputatio est: quidam ajunt e Tribu Gad paterno sanguine ortum, materno vero è Beniamin; alii verò (quos sequitur Tanchuma) prorsus è Beniamin; alii ex Manasse oriundum faciunt. Cumque, ut ait Jalkut in sect. ויצא quæstio esset inter Sapientes de ejus stirpe, ipse progressus in medium dixit, *è filiis Rachelis ego sum.* At in Capite *Me Kabbel* statuitur eum è filiis Aaronis, ac Tribu Levi fuisse. Mirum est quantum huic uni ex omnibus Prophetis tribuant Hebræi. Eliam, & Messiam statuunt omnium operum bonorum Judices. Sic enim scribunt in Vaijhra Rabba. Et refert Jalkut sect. *in Monte: Cum quis aliquid boni facit Elias, & Messias illud scribunt, Deus autem obsignat.* ajunt eum esse æqualem Mosi in pluribus rebus. Pesikta major. משה ואליהו שוים זה לזה *Moses, & Elias æquales fuerunt alter alteri.* Venturum una cum Mose, ut ad finem Mundi Israelitas revocet Tractatu *Sciabbath* Cap. הבוכה. Quæri autem potest unde illi nomen *Thesbites ex habitatoribus Galaad*? Miratur Elias Grammaticus ab omnibus declinatam eam quæstionem. Et sic eam solvere conatur in Tbisbi. *Quotquot Interpretes vidi, eorum nullus conatus est explicare cur Elias vocetur* חשבי מחושבי גלעד *Thisbites ex habitatoribus Galaad. Et quare non sit vocatus Elias Galaadites, sicut Berzellai Galaadites, & Jeremias Anothites, & Micheas Morasthites, & similes, nec ullus invenitur,*

tur, qui vocetur ex habitatoribus hujus, vel illius Civitatis. Thargum vertit: Elias de Tosciab, ex habitatoribus Galaad, & R. D. Kimchi; explicat, eum prius habitasse in Vrbe Tosciab, deinde in Galaad. Non tamen explicat cur potius vocetur ex habitatoribus Galaad, quam Galaadites. Ego ejus rei causam reddam. Certum est post factum Pellicis illius, Israelem praecepisse Galaaditas omnes occidi Jud. XX. Venite, & percutiamus habitatores Jabes Galaad. Nec fieri potest, quin aliqui evaserint, vel non fuerint inventi illic tùm. Ex his ergo unus fuit Elias; postquam vero reparata est Civitas, illi qui ad eam rediere, vocati sunt ex habitatoribus Galaad. Quod si quis interroget, undè id compertum habeamus Eliam hunc fuisse ex illis, Responsio in promptu est. Nonne Sapientes nostri dicunt Eliam esse Phineem; atqui Phinees interfuit illi facto. Dicitur enim ibi, & Phinees filius Eleazari Sacerdos magnus erat stans coram ipsis. Verùm hæc fabula, quæ fingit Eliam esse Phineam, non modo est contra omnem historiæ Sacræ fidem, & contra graviorum Interpretum sententias, verùm etiam contra Judæos ipsos. Nam celeberrima est apud eos traditio Tractatu Nezichin, capite primo, שבעה קפלו את העולם מחושלח דאה אדם , שם ראה מחושלח יעקב ראה שם , עמדם ראה יעקב , אחיה השילוני דאה עמדם אליהו ראה אחיה *septem continent sæculum: Mathusale vidit Adamum, Sem vidit Mathusale, Jacob vidit Sem, Amram vidit Jacob, Achias Silonites vidit Amram, Elias vidit Achiam.* In Elia verò desinunt; quia עדיין אליהו קיים *Adhuc Elias superest.* Ex hac verò sententia manifestissimum est Eliam fuisse post Achiam Silonitem. Nam si Elias fuisset idem cum Phinee, stultè Hebræi Veteres Achiam Silonitem inseruissent huic successioni septemvirali. Nam Phinees profectò vidit Amramum. Et ita sex viris poterat claudi ævvm omne, non septem.

Causa

Causa fingendi fuit, quòd Elias Phineæ similis in ultione capienda de iis, qui Dei numen læderent. Ex quo Midras, ut solet, alterum alteri miscuit. In hunc finem finxerunt Phineam vixisse post Davidem: Qua in re sic auctor recens veterum Errata corrigit, Zemach David: *Phineam Sacerdotem magnum filium Eleazari nepotem Aaronis superfuisse adbuc tempore David scribit. R. Lev. Ben Gersom II. Reg. XVII. Versu; & dixit Elias Thesbites, & libro Judicum c. 6. idemque ait R. Isaac Abarbinel præfatione in librum Nechalath Avoth. Argumentum ducunt ex 3. Reg. 9. ubi dicitur de Custodibus Templi tempore David, & Phinees Filius Eleazari Princeps erat super eos. Et huc inclinant R. Salomo, & R. D. Kimchi, qua explicatione numerus annorum Phineæ excedit CCCCLX. annos. Et quis audeat talibus Viris obsistere? Sed nihilominus non potest non mirum videri mihi, nullum fuisse inter Expositores, qui voluerit diligentius inspicere vim particulæ* לפנים *Lephanim, ibi enim sic scribitur: Phineas filius Eleazari Princeps erat inter eos Lephanim; cujus Verbi sensus est mea sententia; olim, & ante multos annos*. Falsum igitur ipsis Judæis videtur Phineam superfuisse tempore Davidis; Phineam verò esse Eliam, idem dicit à pluribus non recipi, citatque additiones in Bava Mezia cap. Mechabel, & Juchasin fol. 11., quibus adde Cap. I. Nezichin; & jure miratur R. Ghedolias interpretes, & Judæorum populum dicere: *Elias est Phinees*. Scripsit ergo Elias,

מכתב מן השמים Epistolam de Coelo,

Est II. Paralipom. XXII. Epistola Eliæ ad Regem Joramum, quæ cum scripta sit multo post Eliæ discessum jure vocatur Epistola è Coelo missa, ut notat *Seder Olam* Cap. XVII. Quo pacto autem, aut per quem missa fuerit, ita explicat R. David Kimchi. *Apparuit fortè Elias alicui ex Prophetis, & ei dictavit hanc Epistolam ferendam ad Regem, ut ille recogitans, Eliam sibi è Cœlo hæc scribere, agnosceret quantum facinus admisisset. Atque undè nos scimus è Cœlo missam? Quia jam dudum tempore Josaphath ascenderat*. Septem annis ante, ut *Seder Olam* notat.

Præ-

Præterea scripsisse dicitur Elias alia multa. Celeberrima est *Ascensio*, vel *Assumptio*, vel *Apocalypsis*, vel *Secreta Eliæ*, quem librum inter Apocryphos reiicit Athanasius in Synopsi: citatur ab Origene Tractatu XXXV. in Matthæum: *Apostolus*, (inquit) *Scripturas quasdam secretas profert, sicut dicit alicubi, quod oculus non vidit, nec auris audivit; in nullo enim Canonico libro hoc positum invenitur, nisi in Secretis Eliæ Prophetæ*. At Hieronymus in Cap. LXIV. Isaiæ, ostendit ex Canonico Isaiæ, non ex Apocrypho Eliæ libro Paulum hoc testimonium desumpsisse: qua de re Operis hujus exordio diximus. Circumferuntur etiam libri præterea tres Eliæ Prophetæ nomine.

סדר אליהו רבא Ordo Eliæ major.

סדר אליהו זוטא Ordo Eliæ minor.

קופת אליהו Spelunca Eliæ.

De quibus quidem libris apertum judicium est eos non esse illius Eliæ Prophetæ, de quo nunc agimus, sed alterius, qui post captivitatem Babylonicam vixit, & cognomento dictus est *Hannali*, idest Propheta. Quamvis Hebræi passim existiment esse hujus Eliæ, & in Chethuboth cap. 2. narretur occasio, qua libri duo priores editi sint: *R. Anan veniebat ad Eliam Prophetam, & ille docebat eum Seder Eliæ. Cum verò nescio, quid perperam admisisset, discessit, egit pœnitentiam, & diù absuit. Postquam rediit, verebatur Eliæ se ostendere. Igitur instar arcæ cujusdam parari curavit, in qua inclusus Eliam docentem audiret, Quo usque totum Seder audivit ex eo. Et ea est causa cur dictum sit, Seder Eliæ Rabba, & Zuta*. Commentarius Aben Habib. *Partem quam prius didicerat extra arcam, vocarunt Seder Eliæ Rabba, sivè majorem, partem verò, quam didicit intra arcam vocarunt, Seder Eliæ Zuta, quia minor fuit*. Hæc illi: verùm ipsæ horum librorum inscriptiones docent eos hujus Eliæ antiquioris esse non posse. Nam tempore Eliæ Prophetæ non dixissent *Rabba*, & *Zuta*, quæ sunt corruptæ

ruptæ jam linguæ verba, sed *Gadol*, & *Katon*, quæ sunt purè Hebraica: igitur vel hinc disce Eliam hunc fuisse post Captivitatem Babylonicam, cum jam corruptè loquerentur Hebræi. Accedit quod nemo vocatus est Rabbi, usque ad Hillelis, & Samai tempora multo post Captivitatem, & paulo ante Christum.

TITVLVS XXX.

Jonas.

יונה

JOnas (quem Prophetarum, quorum extant vaticinia, faciunt antiquissimum) filius fuit Amathi, ex qua tribu, ignoratur. In Capitulis R. Eliezer traditur fuisse filius mulieris Sareptanæ, quem Elias excitavit à morte in Hierosolym. cap. החלנל dicitur fuisse è tribu Aser, aut Zabulon. Midras, ut citat R. Ghedolias, ait patrem ejus fuisse è tribu Zabulon, matrem è tribu Aser. Alii dicunt, ut idem indicat, matrem non fuisse Judæam, alioqui Elias, qui Sacerdos erat, nunquam se polluisset attactu mortui Judæi: at Patria indicat fuisse è tribu Zabulon: fuit enim ex Gath Hacchepher, quæ Civitas est ad illam tribum spectans, ut notat R. David Kimchi initio Comment. in Jonam. Hunc fuisse qui missus est ad Jehu Regem creandum, & inungendum, ajunt R. Salomo, & R. D. Kimchi Comment. in IV. Reg. c. IX. Versu: *Elisæus autem vocavit &c.* Zohar, *Perascin Pikkuole*, ait, Viros qui cum Jona in eadem navi fuerunt, illo prodigio viso, factos esse proselytos. Sententiam Hebræorum, Jonam fuisse puerum excitatum ab Elia, refert S. Hieronymus Prologo in Jonam, & sequitur Epiphanius libro de Vita, & morte Prophetarum: sed quia multo recentior videtur ejus Prophetia (licet enim certum tempus ipse non adnotet non putatur aliud fuisse, quam Cæterorum Prophetarum, inter quos ejus vaticinia feruntur, & sic putant Eusebius in Chronico, & lib. 10. de

Præp. cap. ult.; S. August. l. 18. de Civ. c. 22.) Hebræi dicunt eum diutissimè vixisse, & Seder Olam dat illi ultra C. xx. annos. An sit idem hic Jonas filius Amathi, qui missus est Ninivem, atque ille de quo dicitur IV. Regum XIV. *Juxta Verbum Domini, quod locutus est in manu Servi sui Jonæ filii Amathi Prophetæ ex Gath Hacchepher?* quæritur. Quidam dicunt esse diversum; quandoquidem hic Jonas, qui missus est Ninivem nihil tale scripsit, quale illic citatur: R. David Kimchi ait esse eundem. Sed illud Vaticinium ore prolatum esse, non scriptum. Alii dicunt scriptum in alio libro, qui non extat. Hebræorum plerique, ut idem Kimchi ibidem notat, existimant loco illo IV. Reg. XIV. citari Prophetiam Jonæ, quæ extat, ita ut illud כדבל significet comparationem quandam inter ea, quæ per Jonam acciderunt Assyriis, & ea quæ sub Jeroboam filio Joas contigerunt. Alter nodus est ex Tobiæ XII. ubi dicitur: *Propè erit interitus Ninive, non enim excidit Verbum Domini*. Et S. Hieronymus citat hæc alia verba, *ut prædixit per Jonam*. Hoc libro Hebræi carent. Sed videtur hinc posse colligi Jonam, tertiò prophetasse, & scripsisse Vaticinia sua contra Ninivem, cum post aliquot annos ad pristinam consuetudinem rediisset. Sicut enim dicitur: *Et factum est Verbum Domini ad Jonam filium Amathi secundò*; ita credi posset etiam tertiò illum prophetasse, quamquam hoc expressè negant Hebræi.

TITVLVS XXXI.

Oseas:

הושע

OSeas F. Beeri Prophetavit sub Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia Regibus Juda, & Jeroboam Rege Israel. De hoc ita scribit Aben Ezra: *Hic inter celeberrimos Prophetas est. Fallitur autem Isacides* (R. Salomon Izchaki) *dum putat eum esse*

esse filium Ela, אלה *putans idem esse Beeli*, & *Ela*, *quia scriptum invenit Beer Elim* באר אלים *sed aliud est Ela aliud Elim*, *quia additio literæ variat nomen*. *Præterea Elim nomen est loci*. *Nec solet lingua Sancta Viros vocare filios Civitatum*, *nisi cum generaliter loquitur*, *ut Filia Sion*. Zemach David. *Prophetia Oseæ prior Vaticiniis Isaiæ*, *ut scribit R. David Kimchi in Præfatione Comment. in Oseam*. *Ejus collegæ fuere Amos Pater Isaiæ*, & *ipse Propheta*, *ut nostri Sapientes docent*, & *Sedechias Sacerdos magnus*, *qui omnes ex opinione R. D. Isaac Abarbinelis Magistro usi sunt Eliseo*. R. Ghedolias in Catena Kabbalæ ait fuisse Rubenitem, id quod Pesikta asserit. Et ex ea Jalkut in Oseam num. 516., quæ fortè causa est cur inter duodecim Prophetas minores primus collocetur, & si Jonas sit illo antiquior, juxta ordinem scilicet Tribuum. De hoc Propheta idem R. Ghedolias ita scribit. *Accepi à Senioribus*, *ac primariis Synagogæ Thessalonicensis*, *apud eos esse hanc Traditionem*: *Oseam mortuum esse Babylone*. *Et ante mortem jussisse corpus suum humari in terra Israel*. *Et quia nimis longum iter erat*, *jussisse cadaver includi arcæ*, & *imponi plaustro*, *ac permitti sponte sua viam capessere*, *tùm quo in loco plaustrum substitisset*, *ibi se tumulari præcepit*; *quod cum fecissent*, *plaustrum nullo ductore in Palæstinam usque sine ullo periculo*, *aut lassitudine processit*, & *subsistit in Vico quodam*, *Ubi cum Hebræi miraculo exciti ad arcam accurrissent*, *inventa inscriptione*, *agnitum est cadaver*, & *honorificentissimè sepultum*.

TITVLVS XXXII.

Amos.

עמוס

AMos Thecuites in Hebræorum Chronologia post Oseam collocatur, quem ordinem Græci sequuntur in Bibliis,

 in

in quibus Hebræi æque, ac latini Ioelem præferunt. Patris nomen non addit, quod esset humili genere, *Pastor vellicans sicomoros*. Patris enim nomine filii gloriari, atque insignire se solebant cum is aliqua ratione notior ipsis esset.. Patria Thecua, quam Epiphanius in Tribu Zabulon, Hieronymus in Tribu Juda collocant. Sed R. David Kimchi scribit. *Thecua erat Vrbs magna in parte filiorum Aser*, ex quo etiam colligi potest, ex qua tribu fuerit, R. Ghedolias pariter eum è tribu Aser, discipulum Oseæ facit. De morte quam illi, & Jonæ intulere Judæi nihil scribunt: quo videntur, se illorum, qui Prophetas occidère, filios agnoscere potius, quam Prophetarum. Cum admissi sceleris ab illis eos pudeat, velut illius labis hæredes.

TITVLVS XXXIII.

Jehu F. Hanani.

יהוא בן חנני

JEhu filius Hanani (fertur autem Propheta fuisse uterque; & Pater, & Filius) scripsit, ut II. Paralipomenon XX. dicitur Historiam, quam illic vocant. ספר מלכי ישראל *Librum Regum Israel*. Addunt aliqui eum cæpisse historiam à divisione Regnorum Judæ, & Israelis, eamque produxisse, vsq; ad Joram filium Josaphath, quod ego apud neminem veterum lego; & Paralipomenon locus allatus non modo huic narrationi nullam opportunitatem dat, sed incertum relinquit ipse ne librum Annalium scripserit, an Additamentum, & Appendicem tantum adjecerit libro alterius. Sic enim scribit: *Reliquum autem verborum Josaphat priorum, & novissimorum, scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros Regum Israel*. Hebraicè autem est anceps, ut verti etiam possit,

quæ

quæ addidit אשר העלה על ספר דברי מלכי ישראל
Hic porro est Jehu F. Hanani Videns, de quo paulo ante c. XIX. dixerat, eum occurrisse Regi Hierosolyma redeunti, eique exprobrasse, quòd impio suppetias tulisset. Sed quod videtur R. Salomo significare, nihil aliud citari cap. XX. quàm Prophetiam Jehu illam ipsam, quæ cap. XIX. indicatur, minime assentior. Locus enim docet, Historiam citari.

TITVLVS XXXIV.

Isaias.

ישעיה

ISaias Filius Amos Prophetæ, non tamen ejus, qui proximè in hunc Scriptorum censum relatus est, sed alterius, hic enim Hebraicè *Amoz* אמוץ ille *Hamos* עמוס vocatur, patria Hierosolymitanus, e Tribu Juda, ac stirpe Regia fuit. Hujus Prophetæ, ut stylus omnibus, quæ scripta Hebraicè leguntur, longè antecellere judicatur, ita rerum abditarum aperta cognitio, & Vaticinia pene narrationibus clariora, omnem cæterorum vatum admirationem, & gloriam superant. ***Non tàm enim Propheta dicendus est***, ut ait Hieronymus, ***quàm Evangelista. Ita enim universa Christi, Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuris vaticinari, sed de præteritis historiam texere***. Hinc unus ex omnibus eo gloriæ devenit, ut Christus ipse in Synagoga non dedignaretur esse ejus interpres, & Anagnostes. Nomine ipso Jesu nomen haud obscure indicat, quippè ex eadem salutis appellatione, quam significat Hebraicè Verbum ישע utrumque oritur nomen *Jesus* ישוע & *Isaias* ישעיה. Hebræi pronunciant *Jesaiam*, at Græci Esaiam. ἠσαΐαν. Latini modo Esaiam, modo Isaiam dicunt. Scripta hæc sunt, quæ ei tribui video.

1 Isa-

ישעיה 1 Isaias.

לוח 2 Liber Buxeus.

גליון 3 Liber Grandis.

דברי הימים 4 Historia.

עליה 5 Ascensorius Isaiæ.

חזון 6 Visio.

SEd antequam de his libris ago, pauca de stirpe, obitu, ac stylo ejus adnotanda sunt. Epiphanius eum Hierosolymis è Tribu Juda ortum scribit. Hieronymus nobili stirpe: R. D. Kimchi sic initio Comm. *ejus genealogia ignoratur, nisi quod nostri Doctores dicunt se ex traditione habere, fuisse fratrem Amasiæ*. Sic tractatu Meghilla cap. 1. quidam R. Levi docet. De Amasia vero tradit Aben Habib libro *Darche Noem* ejus extare monumentum in Africa in Regno Morotan, & vidisse se illic Statuas Ducum ipsius, cum Carminibus inscriptis. Utinam, & Carmina descripsisset, ut conjecturam inde capere possemus Carminum hujus ætatis. Nam Isidorus Hispalensis scribit Cantica tria, & Orationem unam, quæ apud Isaiam sunt, Hexametris, & Pentametris versibus constare. Ulterius de Patre Isaiæ Tract. Meghilla cap. 1. *Dixit R. Jochanan: quicumq; Propheta cujus Pater nominatur, indicium est eum esse filium Prophetæ. Cum verò Pater non additur, signum est non esse Filium Prophetæ. Rabbanim verò dixerunt id non ubique servari. Alicubi scriptum est Isaiam filium esse Amoz Prophetæ: alibi verò eum filium Amoz, qui erat Propheta filius Prophetæ.* Quo tempore vaticinatus sit ipse, nos ignorare non patitur addens initio, *In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ Regum Juda*. R. Salomon de initio missionis ipsius scribit: *Anno quo mortuus est Ozias initium Prophetiæ libri hujus ducitur. Die quo Ozias percussus est lepra, dictum est illud: Et audivi vocem Dei dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi: ecce ego mitte me: hinc discimus, tunc fuisse initium missionis ipsius.*

ipsius. Dicunt prima quinque Capita sub Ozia pronunciata esse, sextum sub Joathan, à septimo ad decimum quartum sub Achaz, à decimo quinto ad XL. sub Ezechia. Inde ad finem sub Manasse. De morte ejus in Medras, & Suta cap. 1. dicitur: *quando dixit Isaias vidi Dominum, cogitavit adversus eum Manasses, & dixit: atqui dictum est non videbit me homo, & vivet; quare decrevit eum interficere. Isaias verò fugit, & invocato nomine Dei, exceptus est trunco arboris, ut eo lateret. Sed fimbriæ vestis (quas vocant Zizith) extabant extra arborem, quo indicio deprehensus est. Et Manasses jussit arborem mediam secari, atque ita mortuus est.* Hæc Hebræi: factum lenientes, velut arborem, non Prophetam dissecari Rex jusserit, ne inauditam crudelitatem in Virum tantæ Sanctimoniæ, nobilitatis, ac sapientiæ admissam inexcusabilem fateri cogantur. Adde illud ex Hebræis in Chronico Eusebii positum, sed latino tantum, ac typis excuso. Græca enim, & M. S. non habent: *Manasses impius Rex Isaiam interfecit, Statuamque suam posuit quinque facies habentem*. Sed Cedrenus aliique dicunt τετραπροσώπου *Quatuor facierum*; qui & notant lignea Serra dissectum fuisse, quo major esset cruciatus. Isaiæ stylus omnium, quæ Sacra lingua extant scripta, primas fert, palmamque eloquentiæ. Pollet quidem figuris sententiarum, & succo, & sanguine Orationis, sed ornamentis quoque verborum omnis generis affluit. Præcipue verò beata dicendi copia, & vbertate, qua semper eandem rem pluribus modis effert, ac circum loquitur, ut statim initio videre est, ubi sic loquitur:

הוי גוי חושא Væ Genti peccatrici.

עם כבד עון Populo gravi iniquitate.

זרע מרעים Semini nequam.

בנים משחיתים Filiis sceleratis.

Hæc omnia idem significant. Sequitur:

עזבו את יי Dereliquerunt Dominum.

Con-

נאצו את קדוש ישראל Contaminaverunt Sanctũ Israel.

נזורו אחור Conversi sunt retrorsum.

Atque ita pergit eandem rem semper pluribus formis, modisque dicendi sub oculos ponere. Quo fit, ut in hoc uno auctore fere plus habeat census Hebraica lingua, quàm in pluribus aliis simul junctis.

1. Hebræi de Isajæ libro dicunt in Bava Bathra: *Ezechias, & viri ejus aulæ scripserunt Isaiam.* Explicat Aben Habib: *illi scilicet, qui post Ezechiæ mortem superfuerunt; quia Isaiam occidit Manasses, qui successit Ezechiæ. Caterum is erat mos Prophetarum, ut libros suos non scriberent nisi paulo ante mortem.* Auctor vero *Thosiphoth*, seu Additionum, addit: *Ezechias aulicis suis opportunitatem dedit vacandi sacris studiis, ex quo eorum opera ei sunt attributa.* Certum est Isaiam suorum Vaticiniorum, ut auctorem, ita scriptorem fuisse: Aulicos verò Ezechiæ tantum elegantiorem editionem, & correctionem hujus, & Salomonis librorũ curasse: quod significat vox העתיקו

2. *Liber Buxeus*, tribuitur Isaiæ ex illo Cap. XXX. *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud: & in die novissimo in testimonium, usq; in æternum.* Sed Hebræi aliter hunc locum interpretantur, sic enim Hebraicè est: כתבה על לוח אתם *scribe super tabulam ipsis* ועל ספר חקה *& super librum præcipe.* Ex quo colligunt Isaiæ fuisse mandatum, ut primò sua Vaticinia in tabula scriberet ipsis, idest ut omnium oculis exponeret tabulam, in qua literis grandioribus exarata essent, quæ Deus illis indicari jubebat. Deinde ut eadem in librum conferret. R. David Kimchi *Dixit: Deus Isaiæ: 1. Scribe Prophetiam hanc super tabula prius, ut sit in omnium conspectu, deinde scribe eandem in libro, ut sit in memoriam posterorum.* Nam liber occultus videri poterat, tabula non ita facile transferri, nec diu permanere.

3. *Liber Grandis*, quem ab eodem sumi Deus jussit Isa. VIII. *Sume*

Sume tibi librum Grandem, & scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, festina prædari . Primò liber fuit ex iis, qui circa umbilicum convolvebantur . Hebraicè enim vocatur גליון explicat R. D. Kimchi , *Libellum* מגילה. Quamquam hic putat non librum fuisse , sed Epistolam. Jonathan quoque explicat *Tabulas*, velut *Pugillares*. Quod verò *grandem librum* parari jubet , & postea nonnisi brevissimam sententiam inscribi , מהר שלל חש בז duas explicationes affert R. David : Altera est : hoc fuisse argumentum libri , & longissimam scriptionem de his quatuor voculis agentem , eo libro conscribi debuisse . Altera , revera maximum volumen parandum fuisse Prophetæ , & non nisi has paucas literas inscribendas . Sivè ut eò facilius intelligerentur , quò distinctius scriberentur . Sivè ut significaret Propheta , haud secus , atque in tam vasto spatio paucæ erant literæ , in Palæstina , amplissima regione , paucissimos incolas superfuturos ob divinam ultionem. Additur hæc scribenda fuisse *stylo hominis* , idest , ait R. Salomon , ut cujuscumque hominis , vel imperiti notitiam non effugiant . Stylo vulgari . Monendus fuit Isaias , ut scriberet aliquanto vulgarius , ac demissius , & sublimitatem illam ad popularem captum accommodaret ; ne quæri possent Hebræi se ob styli obscuritatem non intellexisse Prophetæ verba .

4. Fertur etiam scripsisse Historiam Regum gestarum ab Ozia Rege Juda , ut Sixtus Senensis adnotat . Sed caput XXVI. lib. II. Par. unde hoc habet , non ita clarè loquitur ; ait enim : *Reliqua Sermonum Oziæ priorum , & novissimorum scripsit Isajas filius Amos Propheta* , quæ possunt intelligi de iis , quæ ad Oziam pertinentia habentur in ejus prophetia . Quod verò idem Sixtus addit à R. Mose Kimchi tradi , Isaiam auctorem librorum trium Salomonis , Ecclesiastis , Cantici , & Proverbiorum ; R. Moses nil aliud scribit , quàm verba ipsa , quæ in *Bava Bathra* , quibus dicuntur Ezechias Rex , & ejus

Tt aulici

aulici ſcripſiſſe Iſaiæ librum, & hos tres.

5. Liber Iſaiæ adſcriptus apud Epiphanium. In Hæreſi Hieracitarum LXVII. cui nomen.

Aſtenſorius Iſaiæ. Ἀναβατικὸν Ἠσαΐυ

Hierax cum putaret Melchiſedechum eſſe Spiritum Sanctum citabat hæc verba ex eo libro. *ἔδειξέ μοι ὁ ἄγγελος περὶ πάντων ἔμπροσθέν μυ, καὶ ἔδειξε μοι, καὶ εἶπε τίς ἐςιν ὁ ἐν δεξιᾷ τῦ θεῦ, καὶ εἶπα, σὺ εἴδας κύριε. λέγει ὗτός ἐςιν ὁ ἀγαπητὸς. καὶ τίς ἐςινὸ ἄλλος ὁ ὅμοιος αὐτῷ ἐξ ἀριςερῶν ἐλθὼν; καὶ εἶπε σὺ γινώσκεὶ, τῦτ᾽ ἔςι, τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ λαλῦν ἐν σοὶ, καὶ ἐν τοῖς προφήταις. καὶ ἦν ὅμοιον τῷ ἀγαπητῷ* *Oſtendit mihi Angelus de omnibus, quæ ante me fuerunt, & oſtendit mihi, & dixit: Quis eſt qui ad dexteram Dei eſt? & dixi: tu ſcis Domine. Dixit, hic eſt Dilectus; & quis eſt alter ſimilis illi veniens à ſiniſtris? & dixit: tu noſti. Eſt Spiritus Sanctus, qui loquitur in te, & in Prophetis. Et erat ſimilis Dilecto.* Oſtendit Epiphanius temerè Hieracen ex hoc loco aucupari teſtimonium pro ea fabula, qua finxerat Melchiſedechum eſſe Spiritum Sanctum. Meminit ejuſdem libri Hieronymus in Cap. LXIV. Iſaiæ.

6. *Viſio Iſaiæ.* Nomen eſt Vaticinii, quod in Sacris libris extat: ſed eo nomine ficta nonnulla Vaticinia prodiere, quale illud Venetiis editum hoc titulo: *Viſio admirabilis Iſaiæ Prophetæ in raptu mentis, quæ divinæ Trinitatis arcana, & lapſi generis humani redemptionem continet.*

Laudum Iſaiæ diſertiſſimi præcones ſunt Hebræi, ex quibus nos, quæ ſe obtulerint huc referamus. Tractatu Sanhedrin, in Hieroſolymitano (& refert Jalkut in Reges n. 247.) non dubitant ſcribere ישעיה היה שקול כמשה *Tantæ erat auctoritatis Iſaias, & ponderis ſuo tempore, quanti Moſes ſuo.* Libro *Elle baddebrini Rabba: Prophetis ſua ipſorum Vaticinia obſcura erant, exceptis Moſe, & Iſaia.* Quod an cæteris Prophetis inſignem inurat injuriam viderint doctiores. Quemadmodum & illud Moſi videtur injuriam facere, quod ſcribunt de quatuor Prophetis Amos, Jeremia, Ezechiele, Iſaia. Tractatu *Maccoth*

coth cap. 111. scribunt. *Dixit R. Jose Bar Chanina: quatuor edicta præcepit Moses super Israelem, & venerunt quatuor Prophetæ, & abrogaverunt ea: Moses dixit. Deut. XXXIII. v. 26. Habitabit Israel confidenter, & solus; oculus Jacob in terra frumenti, & vini. Venit Amos, & abrogans illud, dixit C. VII. v. 2. Quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Moses dixit. Deuter. XXVIII. v. 65. In gentibus illis non quiesces. Venit Jeremias, & abrogans illud, dixit. C. XXXI. v. 2. Vade ad requiem tuam Israel. Moses dixit Deut. V. v. 9. Reddens iniquitatem Patrum in Filios. Venit Ezechiel, & illud abrogans ait: Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Moses dixit Levitici XXVII. v. 38. Peribitis inter gentes. venit Isaias, & illud abrogans ait: Cap. XXVII. v. 13. In die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum*. Hinc hujus gentis inconstantiam agnoscere possumus, & redarguere, quæ cum suum Mosem tanti faciat, tamen non dubitet temerè dicere à posterioribus Prophetis abrogata esse, quæ prior ipse constituerat. Valebit igitur hic locus, quò facilius probemus à Christo abrogari potuisse multa, quæ Moses constituit, quod ipsi pertinaciter negant.

TITVLVS XXXV.

Sobna Scriba.

שבנה הסופר

SObna F. Helciæ scriba, meritò Scriptoribus adnumeratur, cui quidam (ut Sixtus lib. 1. Bibl. c. 12.) tribuunt Proverbiorum librum à cap. xxv. usq; ad finem, & cujus apud Hebræos veteri traditione celeberrima est epistola ad Sennacheribum Regem Assyriorum, in qua hæc inter cætera respondit Regiis literis, & mandatis per Rabsacem missis שבנה וסיעתו השלימו חזקיה וסיעתו לא השלימו *Sobna, & ejus asseclæ*

asseclæ legatis tuis consenserunt: Ezechias, & ejus asseclæ non consenserunt. Quia vero nonnulli dubitant, an idem Sobna sit cujus IV. Regum XVIII. mentio est, & cujus Isaiæ XXII. Divi Hieronymi, & Hebræorum sententia est, eundem esse, & apud Isaiam Sacerdotio exuendum prædici ob scelus proditæ Urbis. Huic tamen sententiæ quidam dicunt obstare ejusdem Isaiæ Vaticinium cap. XXXVII. *Hæc dicit Dominus Regi Assyriorum, non ingredietur Civitatem hanc, & non jaciet ibi sagittam.* Ex quo colligi putant minimè proditam Urbem à Sobna; sed Hebraica traditio habet, ab eo quidem proditam, sed à Rege nihilominus minimè captam: sic enim scribunt in Sanhedrin cap. VI., & refert, R. D. Kimchi IV. Regum Cap. XVIII. *Cum Sobna cum suis egrederetur è Civitate, ut se copiis Regiis Assyriorum adjungeret, venit Gabriel, & occlusit portas Vrbis ante faciem Sectatorum ejus. Cum ergo solus ad Regem venisset, ait illi Rex: Ubi sunt copiæ tuæ Sobna? Respondit: terga verterunt. Statim persoderunt illi talos, & caudis equorum alligatum raptari jusserunt.* Virum doctum fuisse, & exterarum linguarum peritum, constat ex nomine Scribæ, & quod Rabsacem rogaverit, ut Syriacè non Judaicè loqueretur. Ejus Comes Joach dicitur fuisse *A Commentariis.* Hebraicè est מזכיר idest, qui monumentis literarum ea mandaret, quæ Reges domi forisque gererent. Targum ממנא על דוכרניא *cui demandata erat cura Commentariorum, vel Historiarum.*

TITVLVS XXXVI.

Ezechias, & ejus Academia Aulica.

חזקיה וסעידתו

EZechias F. Achaz Rex Juda improbi patris mira virtutis indole degener filius; belli, ac pacis studia coluit, ac literarum

terarum omnium præcipuè Sacrarum inter ſuos gloriam inſtauravit. Neque ſolum ab aliis rem literariam promoveri ſollicitè curavit, ſed eam ipſe promovit, in literas egregiè incumbens. Verè, atque ex veterum fide de illo Genebrardus ſcribit: *Ezechias coluit bonas artes, nam & ſtudioſus fuit Mathematicarum, apud Chaldæos tunc vigentium; unde annum conſtituiſſe fertur, & leges poſuiſſe de intercalando menſe Niſan tertio quoque anno*. Hic cum conſtituiſſet erigere ſacræ, atque exotericæ eruditionis ſtudia priſcorum ab Salomone Regum incuria penè collapſa, Aulam ipſam in Academiam vertit, ut qui regiam amicitiam ambiret, is viam ſciret, qua eam poſset adipiſci, hanc unam eſse, ſi ſe probaret ingenio, atque eruditione pollere. De beneficentia ejus in Academias, & ſtudioſos hæc ſcribunt in capite *Chelek*, ad illud: *Computreſcet jugum à facie Olei. Oleum*, inquiunt, *Ezechiæ Regis, qui largè ſuppeditabat, Oleum Scholis, & Academiis*. Deinde factum illuſtre narratur, ac dignum tanto Rege. *Aliquando Ezechias infixit gladium oſtio Academiæ, & dixit: quicumque non impenderit omne ſuum ſtudium in legem, hoc tranſverberabitur gladio*. Ex eo quid ſecutum? Publica eruditio. *Quæſitum eſt*, inquiunt, *à Dan uſque ad Berſabee, & non eſt inventus ullus* עם הארץ *Populus terræ, ideſt idiota, & à Gabatha, uſque ad Antiphras non eſt inventus vir, neque mulier, puer, neque puella, quæ non eſſet erudita in quæſtionibus purificationum*. Maximos Theſauros putabat Reipublicæ leges, ac Sacras literas. Quare cum oſtendit legatis Regis Babylonis theſauros ſuos, dicitur maximè legem Moſis, ac duas Tabulas oſtendiſse; ut ſcribitur in Capitulis R. Eliezer. Huic Regi Hebræi tribuunt octo illa nomina, quæ Meſſiæ dedit Iſaias: *Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater, AEternus, Princeps, Pax*; Nam id quod noſter interpres vertit: *Pater futuri ſæculi, Princeps Pacis*, illi coactè, ac violentè ſuo more ſic dividunt: אבי , עד , שר שלום ideſt. *Pater, AEternus, Princeps, Pax*. Ezechiæ igitur multa tribuuntur, vel ut ab eo ſcripta, vel ut ejus auſpicio, & juſsu ab aliis. Sunt autem è multis hæc.

1 Li-

ספר שופטים	1 Liber Judicum.
מלכים א׳ וב׳	2 Libri Regum duo posteriores.
שיר השירים	3 Canticum Canticorum.
משלי	4 Proverbia.
קהלת	5 Ecclesiastes.
ישעיה	6 Isaias.
תקון השנה	7 De Correctione anni.
איסור ספרים	8 De prohibitione librorum.
אגרת על הפסח	9 Epistola de Festo Paschæ.
מכתב של חזקיה	10 Canticum Ezechiæ.

1 *Librum Judicum* Ezechiæ tribuunt Historia Scholastica, & Hugo, e quibus Sixtus, & Sanctius. Cum revera id minus probabile reddat adversa tùm conjectura, tùm veterum auctoritas, quæ putat auctorem eorum librorum esse Samuelem.

2. *Libros Regum* præsertim posteriores duos ei tribuit eadem Historia Scholastica in præfatione libri Judicum, & Sanctius probabile censet. Sed quemadmodum Commentarios historicos ab eo scriptos credibile est, ita hos libros, qui extant, cum ultra ejus ætatem progrediantur, necesse non est ei tribuere, præsertim cum id veterum testimonio careat.

3. 4. 5. *Canticum Canticorum*, *Proverbia*, & *Ecclesiasten* cum scripsisse una cum suæ Academiæ aulicis Sodalibus, scribunt Hebræi in Bava Bathra cap. 1., & alibi passim. Sed nos jam in Salomone ostendimus, eum, aut ejus amicos minimè horum librorum auctores fuisse, nec formam, aut stylum immutasse; sed tantum correxisse; atque ex vetusto autographo exemplari descripta in vulgus protulisse. Is enim est verior sensus illorum verborum, quæ Proverb. xxv. leguntur: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt Viri Ezechiæ Regis Juda*, Thargum vertit, *quas scripserunt*. Aben Ezra scribit hoc

hoc loco. *Hic versus est Scribæ* (non Salomonis) *& credibilè est hunc Scribam esse Sobnam. Is enim tum erat Scriba Regius.* R. Salomo ait: *Statim atque Ezechias factus est Rex dedit operam, ut quæreret Proverbia Salomonis. Hic est Ezechias qui constituit in omnibus Civitatibus Magistros.*

6. *Isiæ* Vaticinium ab Aulicis Ezechiæ Regis editum scribunt Hebræi in *Bava Bathra*, & additiones ibi dicunt (ut in Isaia adnotavimus) Academiam Ezechiæ, quæ ipso mortuo diù duravit, & omnia nomine ipsius edebat, fuisse, quæ scripsit Isaiam. Quia tamen eum scribere nisi prius scriptum à Sacro Vate non potuit; intelligendum est librum, quem antea scripsisset Isaias, postea descriptum, & promulgatum ab his Academicis fuisse.

7. *Correctionem anni* ferè primus Ezechias aggressus est, quod satis ostendit eum peritissimum rei Mathematicæ fuisse, ut proinde signum ei daturus Deus recuperandæ valetudinis, non aliud per Isaiam dederit, quàm umbrarum in horologio recessum per decem gradus. Correctionem verò hanc scripto ab eo promulgatam credibile est, quæ in eo sita erat, ut tredecim menses lunares supputarentur, quo cursum Solis Lunæ cursus æquaret.

8. *Librorum examen*, & noxiorum abrogatio, utilium descriptio, & propagatio incomparabili posteritatis commodo instituta est ab Ezechia Rege; de qua re Genebrardus: *Amici Regis Ezechiæ mandato, auctoritate, & suasionibus ejus libros Reipublicæ utiles non tantùm componebant, verùm etiam veteres, quos ederent perquirebant.* Verè cum Serpente æneo, quem sustulit, libros etiam magicos, & vanæ Alchimiæ, ac Divinationis ab eo sublatos scribunt plures, ac de libris Salomonis, quos occuluit, supradiximus, de quibus etiam apud Hebræos Tract. Pesachim cap. IV. *dixerunt Magistri nostri sex res fecit Ezechias Rex. Tres laudem obtinuerunt: tres reliquæ non item. Laudatum est, quod Patris acta resciderit, ejusque ossa per Urbem trahi jusserit* (quis credat hoc factum, aut laudatum? Hyperbole est, ne dicam fabula) *quod serpentem æneum confregerit,*

rit, *quod denique librum de Medicina occultaverit* (R. Salomo explicat eum librum fuisse Salomonis) *Non laudatum*, *quod Januas Templi exciderit*, *easque Regi Assyriorum miserit*; *quod obstruxerit exitum fontis Gihon*, *quod intercalaverit geminum Nisan*. Scilicet quia Hebræis Adar, idest Februarius intercalaris est mensis.

9. *Epistolas* de Festo Paschæ celebrando scripsit Ezechias; ut narrat secundus Annalium Sacrorum liber Cap. XXX. *Epistolas quoque scripsit ad Ephraim*, *&* *Manasse*, *ut venirent*.

10. *Canticum Ezechiæ*, quod nos vocamus, Hebræi Canticum non vocant; sed ut vocatur Isaiæ XXXVIII. *Scriptura*, Hebraice מכתב. R. David vertit *Confessio*, ac si Deo se vitam debere fassus, ejus debiti scriptum hoc voluerit esse testimonium, ac veluti Syngrapham. Hinc Hebræi quærunt, quare Ezechias ob tantum beneficium non cecinerit Canticum: & in Capite Chelek nescio quid ea de re lego. *Dixit R. Tanchuma*, *&* *explicavit R. Bar Cappara*, *cur omnes literæ mem*, *quæ sunt in medio dictionis apertæ sunt*, *ea tantum excepta*, *quæ est in dictione lemarbe apud Isaiam*, *idest multiplicabitur ejus imperium*, *in qua tantum dictione mem in medio clausi est*. *Respondetur*: *cupiebat Deus Ezechiam facere Messiam*, *ita ut Sennacherib esset Gog*, *&* *Magog*: *Stetit ante eum proprietas severitatis*, *ac dixit*: *cur Davidem*, *qui tam multa cecinit in laudem tuam non fecisti Messiam*, *&* *Ezechiam facies Messiam*, *cui cum tale præstiteris beneficium*, *non cecinit ibi Carmen*. Vana nimirum fabula, & nugis adnumeranda Judaicis. Sed interim non inutilis ad eos refellendos, cum negant eum locum Isaiæ de Messia loqui, sed omnia ad Ezechiam pertinere. Nam vides hic eos fateri de Messia illic agi, eosdem quoque dicere Ezechiam non esse Messiam. Hic primum audio quosdam libros rejectos esse, ac tenebris damnatos, quos Græci ἀποκρύφους idest absconditos vocant: Hebræi *Nigna Zim*. נגנזים sic enim loquuntur. גנז ספר דפואות. *Abscondit librum medicaminum*: idest retulit eum inter Apocripha.

Me-

Meghilta de hoc Rege scribit חורה שלמד לישראל הועילה להם ושלמד למנשה בנו לא הועילה לו *lex quam docuit populum populo profuit; at lex quam docuit filium Manassem, filio non profuit.* Hoc est feliciorem eum fuisse in populi institutione, quàm filii. Nam sub eo, uti retuli, populus totus eruditioni Sacræ deditus fuit. *In diebus Ezechiæ, cum omnes essent* בני תורה *Studiosi legis, Deus eorum exaudiebat Orationes,* inquit, *Thora Cohanim.* Quantum huic regi deberent Sacra Studia, testati sunt in ejus morte sapientes. Nam II. Paralip. XXXII. dicitur: *Dormivitque Ezechias cum Patribus suis, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum David, & celebravit ejus exequias universus Juda, & omnes habitatores Hierusalem.* ex Veteri traditione dicitur in *Bava Kama* cap. I. *super ejus tumulum fecerunt* ישיבה, *Academiam, quidam dicunt triduo, alii septem diebus, alii XXX.* Thosiphoth movent scrupulum, an juxta legis præscripta super ipso tumulo potuerit Academia celebrari. Et liber *Nimicke Joseph* affirmat. Alterum insigne doctrinæ, ac sapientiæ excultæ ibidem referunt, ex traditione R. Nechemiæ: *Posuerunt librum legis super tumulum ejus, & dixerunt: hic fecit sicut hic scriptum est.* Hebraicè קיים זה מה שכתוב בזה.

TITVLVS XXXVII.

Michæas.

מיכה

Michæas in sacris literis duplex legitur, & Propheta uterque. alter filius Jemla, cujus III. Reg. XXII. mentio est, qui Regi Israel, ac Regi Juda conjunctim consulentibus vera, sed aspera dictu audituque nunciavit. Alter cujus, & Pater, &

genus ignoratur, solius enim ætatis, & Patriæ mentio est in ejus libello: *Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthitem in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda.* Patriæ quidem appellatio traditur à R. David *Morasa*; à R. Salomone *Moris*, à Thargum *Maresa*, & alii Ephraimiticæ Tribus locum esse tradunt apud Epiphanium; Hebræi verò ad Tribum Juda spectasse indicant, ut Juchasin, ex quo colligi potest ex hac quoque Tribu Michæam oriundum fuisse, quod etiam significare videtur illustre Vaticinium editùm de Bethlehem, in hæc verba: *Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* In capite Chelek dicitur esse inter eos, quibus est pars in sæculo futuro. In Midras, ut notat Juchasin, ad ea verba: *quem mittam?* dicitur: *Misi Michæam, & percusserunt eum in maxilla. Misi Amos, & vocarunt eum Pesilusa* פסילוסא, idest, *Balbum*, sed hic locus de Michæa filio Jemlæ intelligendus est, quem Sedecias F. Bananæ percussit colapho sub Achab. Jeremiæ XXVI. Seniores populi ad sedandum tumultum in Jeremiam excitatum dicunt: *Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Judæ, & ait ad omnem populum Juda dicens: hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem in acervum lapidum erit, & mons Domus, in excelsa Sylvarum. Nunquid morte condemnaverunt eum Ezechias Rex Juda, & omnis Juda?* Locus hic Michææ tertio extat: sed licet Ezechias ei tum pepercerit, non effugit indignationem postea furentium Judæorum, quin ex alto dejectus in præceps neci daretur: id scribit Epiphanius, scelere Ioas filii Achab Regis Juda factum. Et Michæam sepultum *in Marathi* (sic vocat) *patria, prope polyandrum, estque*, inquit, *monumentum ipsius usque in hanc diem celeberrimum.*

TI-

TITVLVS XXXVIII.

Joel.

יואל

JOel Filius Rhaduelis illustris Vates fuit, de quo dicunt in Tractatu Taanith C. 1. ejus ætate prodigium accidisse Israeli, ut frugum proventus, qui sexto mense vix maturescere solebat, intra diem quartum decimum maturesceret: quod ego quidem de proventu morum, ac pietatis in Israele sub Institutione Joelis interpretor. Hujus nec patria, nec ætas in Sacris literis proditur. Patriæ tamen Epiphanius meminit, Bethor in parte Ruben eam vocans, ex quo ejus quoque stirpis fuisse creditur. *Tempus Joelis ignotum est* (inquit Temach David) *R. Salomo, & R. D. Kimchi scribunt à quibusdam putari eum vixisse sub* Joram *filio Achaz illis septem annis, de quibus Elisæus dixit Deum vocasse famem super terram IV. Reg. VIII. At vero in Seder Olam, & in Halacoth habetur: Ioel Nahum, & Habacuc sub Rege Manasse munere Prophetæ functos. Noluisse autem ejus nomen scriptis suis inserere, quod is Rex impius esset*. Hæc de tempore. Quod verò pater ejus vocatur Rhaduel, consequens erat eum quoque Prophetam putari, ex Hebræorum Canone, quo statuunt quoties Pater Prophetæ alicujus indicatur, eum etiam Prophetam esse. Verum quia non est alibi Rhaduelis hujus Prophetæ mentio, quidam putarunt eum esse Samuelem. Midras: *Joel Propheta filius Samuelis Prophetæ fuit: vocatus est Pater ejus Rhaduel, à Rhada, quod liberaverit populum suum precibus suis*. R. Aben Ezra tamen id nequaquam historicè dictum credit, sed ut solet Midras, Allegoricè. Joelem citat Petrus Apostolus Actorum secundo. Epiphanius placidè obdormisse tradit, & sepultum in Bethor patrio solo.

TITVLVS XXXIX.

Nahum.

נחום.

NAhum nihil aliud nobis de se scriptum reliquit nisi quod se vocavit Elcesæum. Quod nomen procul abest ab eo, quod sibi multo post Hæretici Sectatores Elcesæi, sivè Elxai cujusdam imposuere. Hic enim Syriacè vocabatur אל כסאי *quasi Deus absconditus*. Noster autem Vates Hebraicè vocatur אלקושי sed undè illi nomen hoc à patria he, an à parentibus? Dubitat Aben Ezra. R. Salomon à patria putat; Thargum vero à parentibus; nam explicat מבית קושי *ex Familia Kosci*. Fortè adhuc aliqua supererat Hierosolymis, dum hæc scriberet familia *Kosciorum*. Nam & Cossi olim Romæ fuerunt simili appellatione. At Epiphanius locum putat. *Nahum*, inquit, *natus erat ab Elkesi trans Jordanem fluvium, versus Begabar, de Tribu Simeon*. Quo tempore vaticinatus putetur, ex Hebræorum sententia retuli. Sub Manasse nimirum, quod etiam adnotat Jalkut in Reges num. 246. Ejus Vaticinium adversus Ninivem id ei secundo minatur, quod antea Jonas minatus fuerat: fore ut igni, & aqua vastaretur. *Id quod*, inquit Epiphanius, *tandem contigit, quippè eam ex terræmotu, igne undique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superveniens, sublimiora vrbis occupavit*. Inter primarios Prophetas numeratur Nahum, IV. Esdræ I. quem placidè mortuum, ac sepultum in Begabar patrio solo tradit Epiphanius.

TITVLVS XXXX.

Habacuc.

חבקוק

HAbacuc Propheta de se ipso cætera omnia siluit præter nomen. Primum igitur quæstio esse potest idem ne sit Habacuc, qui Danielis ultimo prandium, quod messoribus paraverat dicitur tulisse Danieli, & hic quem inter duodecim Prophetas numeramus. Hebræi cum eo capite Danielis careant, nihil de hac quæstione dicunt: e nostris plurimi affirmant eundem esse. Epiphanius in ejus vita, Hieronymus in Prologo, Theodoretus, aliique: argumento est, quod utrobique sit Habacuc Propheta. Alii negant eundem esse, in quibus Bellarminus, & Ribera, quibus accedo. Argumento est primo, quod Habacuc vaticinetur captivitatem Babylonicam futuram: id quod Bellarminum movit, ut negaret eum esse, qui sub captivitatis finem prandium Danieli attulerit, nam nimis longa ætas ei danda esset: accedit Hebræorum Traditio, qui eum vaticinatum fuisse dicunt sub Manasse, ut supra retuli, & passim qui apud eos historiam texunt, Habacuc antiquiorem captivitate non paucis annis faciunt. Proxima quæstio est de natalibus. Epiphanius è tribu Symeon, ex agro Bethzochar eum describit. Longius Hebræi de ejus majoribus sermocinantur. *Zohar sectione* בשלח *Sunamitis illa* (quæ Senium Davidis fovit) *mater fuit Habacuc*. Et sectione לך לך ait eandem fuisse uxorem Abdiæ: non tamen videntur Abdiam facere patrem Habacuc, imo hunc ante illum in serie Prophetarum collocant. In Capitulis vero R. Eliezer scribitur non quidem ex ipsa natus, sed ex ejus sorore, quæ fuerit illa ipsa Sunamitis, cujus filium à morte revocaverit Elias, atque hunc ipsum filium fuisse Habacuc;

Et

Et inde illi nomen hoc esse; dictum enim Habacuc, à complexu, quod bis ad vitam gemino complexu prodierit, primo ex matris, deinde ex Eliæ sinu. Hujus ergo extant vaticinia, & prosa Oratione, & Carmine: & prosa quidem describit adventum Chaldæorum ad vastandam Hebræorum regionem: *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem.* Versu autem scribit, ac vaticinatur adventum Messiæ. Inscriptio Carminis est תפילה לחבקוק על שגיונות *Oratio Habacuc pro ignorantiis.* Midras Sciocher Tob, & ex eo Jalkut in Habacuc nu. 563. scribit. *Dicebat apud se Habacuc* (reputans futuras rerum perturbationes) *quid est hoc, quod non æqua ratione Justis Divina Clementia favet, sed quosdam periculo eximit, alios non item? aut quæ causa, cur ex malis boni proficere debeant? Hæc cogitanti Deus apparuit, & ait: Lege quod de me scriptum est: Deus fidelis, & absque iniquitate. Respondit Habacuc: In ignorantia dixi, quæ dixi, & hoc est quod ait: Oratio Habacuc pro ignorantia.* Præter ea quæ præ manibus sunt, Epiphanius hoc Vaticinium illius recitat. *Annunciavit præterea Habacuc paucis post diebus postliminio ex Babylone Hierosolymam populum remeaturum: obiecit porrò ostentum iis, qui Judæam habitant, quod scilicet visuri essent in templo grande lumen lucide micans, & ita contemplarentur gloriam Dei. Prædixit item de consummatione Templi, quod à populo occidentali foret devastatio ejus Hierosolymis, tùm Carbasus, inquit Dabir* (Oraculi, seu Sancti Sanctorum Peripetasma) *in duas partes scindetur; geminarum item columnarum capitella, seu epistilia e medio auferentur; neque quisquam cognoverit, ubi sint, quoue pervenerint, sed in desertum efferentur ab angelis, ubi nuper defixum erat Tabernaculum Testimonii. Et in illis cognoscet in consummatione Dominus, quod illuminabunt persecutos à serpente, tanquam ab initio, & servabit eos Dominus ab umbra mortis, eruntque in Tabernaculo Sancto.* Hoc fragmentum Vaticinii Habacuc, ex quo libro desumpserit non indicat Epiphanius, cum in hoc, qui extat non habeatur. Sed

minime

minime dubium videtur ex libro alterius Habacuc id esse desumptum, quem Habacuc. F. Jesu, aut Judæ vocant, de quo posteà. Noster vero Habacuc, quem Græci Ambacum vocant, placidè mortuus in agro suo, honorificè sepultus dicitur; ejusque ossa cum ossibus Micheæ reperta in Palæstina Theodosio Imperatore, scribit Sozom. lib. VI. c. vltimo.

Liber de quo dictum est Habacuc II. *Scribe visum, & explana super tabulas, ut currat qui legerit*, LXX. verterunt: *super Buxum*. Jonathan vero על ספרא דאדרייתא *super librum legis*. R. Salomon explicat, jussum Habacuc scribere librum, & explanare juxta id, quod in tabulis legis antea perscriptum fuerat. Sed Jonathan videtur Commentarium in librum legis hoc loco intelligere à Deo imperatum Prophetæ. Ac si duos juberet ab eo scribi libros *scribe visum*, idest Prophetiam, & præterea *explana super tabulas*; hoc est, scribe Commentarium in tabulas legis. R. David Kimchi putat nihil aliud hic præcipi, quam hæc pauca verba, quæ sequuntur, scribi apertè, & explicatè. Plurium sententia est visum Prophetæ oblatum, quod jussus est perscribere, non in libro, ne in eo voluntado aliqua mora esset: sed in tabulis, ut uno intuitu percurri posset, nec obscurè, sed explicatè: Hoc est grandioribus literis, & fortè additis lectionis adminiculis, punctis, atque aliis distinctionum notis, aut certè etiam Commentario addito, quamquam hoc minus probabile est; neque enim curreret Lector, si quid in perscriptum obiiceretur. Sunt igitur libri Habacuc.

נבואה 1 Prophetia.
תפלה על שגיונות 2 Oratio pro Ignorantiis.
לוחות 3 Tabulæ.

TITVLVS XXXXI.

Abdias,

עובדיה

Abdias, quem Hebræi Obadiam, Græci Obdiù vocant: Hebræorum opinione alienigena fuit, genere Idumæus; sic scribitur in *Dine Memonoth*. Patriam Sichem ei dat Epiphanius, fortè ideo, quod ibi ejus sepulchrum coleretur una cum Elisæi, ac Joannis Baptistæ sepulchris. R. David Kimchi: ***Rabbinorum nostrorum Traditio est Abdiam fuisse, ex Edom, qui tamen vaticinatus est cladem Idumeæ, fuisse tamen Proselytum***. Hieronymus Epist. ad Paulinum: ***Personat***, inquit, ***contra Edom sanguineum terrenumque hominem, fratris quoque Jacob semper æmulum hasta percutit spiritali***: eo credibilius est eum genere Idumæum fuisse, quia si quis genere Israelita contra Idumæos vaticinaretur, suspicione æmulationis, atque odii non careret, ac potius ex pravo affectu, quàm instinctu numinis loqui videretur. Indigenam ergo illis Vatem Deus submisit. Gravior quæstio est de tempore quo floruerit, ac scripserit. Hebræi eum omnium antiquissimum Prophetarum post Salomonem faciunt. Nam Halachoth Ghedoloth eum proximè post Iddo Prophetam numerat. Tanchuma vero ait ex Traditione majorum haberi eum fuisse filium Eliphaz Themanitæ, quod esset antiquius. Refert Jalkut in Abdiam num. 549. Communior apud Hebræos opinio est eum esse Abdiam, qui sub Achab Rege vixit, & III. Reg. XVIII. dicitur centum Prophetas in speluncis abditos pavisse. R. David: ***Abdias qua ætate vixerit ignoratur, nisi quod sapientes nostri dixere hunc esse Abdiam, qui nominatur sub Achab***. Consentit huic eorum opinioni altera Epiphanii narratio, qui ait: Abdiam hunc fuisse e tribus Pentacontarchis, quos Achab Rex ad Eliam misit,

tertium

tertium, cui demiſsè roganti pepercit Elias: nam nihil vetat eundem, aut ſimul aut diverſo tempore diſpenſatorem domus Achab fuiſſe, & Tribunum militarem. Addit Epiphanius eum viſis Eliæ prodigiis deſeruiſſe militiam impii Regis, & Eliam ſequi maluiſſe, cujus è cætu, ac diſciplina fuerit. Favet quod tumulus, uti dixi, Abdiæ prope Joannis Baptiſtæ, atque Eliſæi tumulum fuiſſe narretur, velut Eliæ præcipuis ſectatoribus una conjunctis. Hanc ſententiam ſequitur Zemach David collocans Abdiam ſub annum MMMXXXIV., & S. Hieronymus in Commentario fatetur Abdiam hunc eſſe eundem qui ſub Achab traditur fuiſſe diſpenſator Domus Regiæ. Adverſus hæc omnia obiiciunt Abdiam meminiſſe captivitatis Babylonicæ, quare eum inter poſtremæ ætatis Prophetas eſſe numerandum. ſed hoc non obſtat ejus antiquitati: nam legenti ejus vaticinia facile apparet eum de captivitate nonniſi obſcurè, ut Prophetæ ſolent, vaticinari, licet Prophetarum more verbis utatur temporis præteriti: ſolùm igitur obſtat, quod neque apud Hebræos, neque apud Græcos, neque apud Latinos hujus antiquitatis exiſtimetur, qûin omnes eum captivitate quidem priorem faciunt, parem tamen, aut ſupparem cæterorum, qui minores vocantur. Nos in re incerta plurium ſententiæ ſubſcribimus. Quòd autem hic Vates contra Idumæos invehatur, ejus vaticinia Judæi detorquent in Regnum Chriſtianorum, quos Idumæos vocant. Ubique enim Edom apud eos pro Romanis, & Chriſtianis, ſicut Iſrael pro Saracenis, ac Turcis ſumitur. forte etiam nominis alluſione, nam Edom vocatur Auſter, hic autem Hebraicè Deroma, quo Romanum Imperium indicari putarunt.



TITVLVS XXXXII.

Sophonias.

צפניה

Sophonias filius Cusi, filii Ghedoliæ, filii Amasiæ, filii Ezechiæ, Propheta vaticinatus est, ut scribit, tempore Josiæ Regis Judæ. Longa majorum series Viri nobilitatem abunde testatur. Aben Ezra: *Scriptura majores viri hujus enumerat usque ad Ezechiam Regem. Credendum autem Amasiam fuisse fratrem Manassis. Nec mireris, quo pacto inter Ezechiam, & Sophoniam tot parentes intercedant, cum Josias (sub quo vaticinatus est Sophonias) fuerit ab Ezechia tertius. Nam ex quo Ezechias aptus ad gignendos filios fuit, usque ad Josiæ tempora, quibus vaticinatus est Sophonias, plus quam centum anni sunt*. Hæc ille, qui Sophoniam, ut vides, è tribu Juda, & Regia stirpe Davidis facit. At Epiphanius eum è tribu Simeon, monte Sarabatha deducit. Alii addunt Cusi, Ghedoliam, Amasiam, Ezechiam omnes Prophetas fuisse. Mihi hac in re placet R. David Kimchi sententia: *Sunt quidam*, inquit, *qui ajunt Ezechiam hunc* (à quo stirps hujus Prophetæ deducitur) *fuisse Regem Juda, & fieri potest. Certum autem ejus rei argumentum nullum est. Solum id constat amplissimos, & clarissimos ejus fuisse majores, qui sic enumerantur*. Hunc è tribus ætatis ejusdem vatibus clarissimis fuisse dicunt Hebræi: simul enim claruisse Jeremiam, Sophoniam, & Holdam. Porro Jeremiam solitum in compitis concionari. Sophoniam in Academia, & Scholis. Holdam in Gynecæo. Pesikta major. Jalkut in Jeremiam, num. 262. Scripsit librum, qui ejus nomine inter Minores Prophetas legitur. Aliud ei scriptum tribuebant, *Assumptionem Sophoniæ*, quod inter Apocrypha numeratur in Synopsi Athanasii.

TI-

TITVLVS XXXXIII.

Manasses Rex.

מנשה המלך

MAnasses Rex inter scriptores Hebraicos jure numeratur ob eam, quæ extat ejus nomine, Orationem, quam & si Græci, atque Hebraici codices non habent, Latini quoque non habent pro Sacrarum literarum parte, tamen à multis veterum ei tributam, & à quibusdam Sanctis Patribus interpretatione dignam habitam scimus. II. Paralip. XXXIII. de Manassis ordine sic scribitur: *Principes Regis Assyriorum ceperunt Manassem, & vinctum catenis, atque Compedibus duxerunt in Babylonem; qui postquam coangustatus est orauit Dominum Deum suum, egitque pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intente: & exaudivit Deus orationem ejus*. Et paulo post: *Oratio autem ejus, & exauditio scriptæ sunt in sermonibus Hozai* LXX. Interpretes verterunt. *ἐπὶ τῶν λόγων τῶν ὁρώντων in sermonibus Prophetarum*. Et sic explicat R.D. Kimchi putans idem esse חוזי atque חוזים Videntes, seu Prophetæ. sed melius noster interpres hunc peculiarem librum certi auctoris *Chozai* fuisse putat, qui de pænitentia Manassis scripserit. Nulla enim analogia, vel Grammaticæ lex patitur sic Hebraice scribi hoc verbum, si *Videntes* significat. An vero ex libro Chozai descripta hæc fuerit, quam latinè habemus Oratio, vel aliunde, non est facile conjectura assequi, nec tutum divinare. Extat Græcè in quibusdam exemplaribus. Hebraicè quoque apud R. Ghedoliam in Catena Kabbalæ, hac inscriptione: *Hæc fuit Oratio Manassis cum detineretur ferreis catenis in custodia Babylone. Translata è Græcis exemplaribus à Sapientibus Idumæorum*. idest *Romanorum*. Manassem Hebræi dicunt Ezechia Rege, ac Patre Magistro usum in literis addiscendis,

quæ tamen illi non profuerunt. Vt ait Meghilta. Plurimum studii posuisse in תורת כהנים Levitico, scribitur in Cap. Chelek. Quibusdam in rebus Mosis præcepta reprehendere ausum; ut in iis, quæ de sororum Conjugio prohibendo scripsit; dicitur Succa Cap. I. *Annis XXII. improbè vixit, annis XXXIII. egit pœnitentiam* Cap. Chelek, & Seder Olam.

TITVLVS XXXXIV.

Chozai.

חוזי

CHozai Scriptor historiæ Manassis, ut paulo ante dixi II. Paralip. XXXIII. citatur. Quod vero Græcus Interpres, & R. D. Kimchi putant hoc loco nullum certum auctorem designari, sed Prophetas; nullo modo placet: primum quia prorsus aliena ab analogia est hæc loquendi forma, ut חוזי sit idem quod חוזים. Nam exempla, quæ affert R. D. Kimchi longe distant. ut illud ex Isajæ XX. וחשופי שת *Discoopertis natibus*. Primum hic alia punctorum, & lectionis est ratio, & si enim fateri velimus, licere interdum Regimen (ut Grammatici loquuntur) pro absoluto ponere, tamen negamus *Chozai* esse formam regiminis, quæ est *Choze* חוזי. Deinde ille ipse Isajæ locus non probat id quod R. D. Kimchi putat; est enim re vera sensus regiminis. perinde ac si diceres: *Discoopertos natium*. Alter quoque locus Jerem. XXII. 14., ubi positum est, חלוני non magis cogit nos Kimchio subscribere. Nam videtur alia subesse causa cur eo loco ita sit scriptum. est autem is locus: *Qui dicit ædificabo mibi domum latam, & cænacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras*. Hebraicè est *Fenestras meas*. Non puto Jeremiam temere sic scripsisse, sed voluisse illis hominibus illudere, qui omnia sua vocant. proinde elegantissimè dixisse: *qui aperit sibi fenestras meas*. Non probat

bat igitur hic locus licere uti forma regiminis pro absoluto. Altera causa cur ea explicatio non placeat, quia nusquam alibi sic citari Prophetas invenies. Nec probabile est de poenitentia, & liberatione Manassis, quæ historica narratio est, tam multos Prophetas scripsisse, ut sic citandi essent, *Videntium nomine*. Quare Chozai velut auctorem, atque historicum peculiarem, plerique interpretum hoc loco accipiunt. Quod autem Annotationum in Paralipomenon libros, auctor incertus (quæ Hieronymo adscribuntur) Isaiam fuisse dicit, qui vocatus sit Chozai, idest *Visio mea*, nec historiæ convenit, nec nomini. nomini quidem, quia *Chozai* non potest verti, *Visio mea*, sed *Videntes mei*: historiæ, quia Isaias mortuus est ante quam Rex Manasses mores mutaret in melius. nec citatur hoc loco Vaticinium aliquod, sed Historia.

TITVLVS XXXXV.

Helkias.

חלקיה.

HElkias Summus Sacerdos idemque, ut Hebræi putant, Propheta, ut lib. iv. Regum narratur Cap. xxii. v. 8. librum legis invenit. *Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan scribam: librum legis reperi in domo Domini; deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud. Narravit quoque Saphan scriba Regi dicens: librum dedit mihi Helcias Sacerdos, quem cum legisset Saphan coram Rege, & audisset Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua*. Res est quæstione dignissima quid hic nomine libri legis indicetur. Hebræi quibus religio est aliud nomine legis, quàm Pentateuchum intelligere, hoc ab eo repertum acriter pugnant. Verba R. David Kimchi adscribam, qui eam rem diligentius exactiusque tractat: *Dixerunt librum hunc legis eum fuisse, quem tempore Achaz Regis,*

gis, qui libros legis incendit absconditum parieti infoderant. Hunc ab Helkia repertum, id quod mihi procul abesse à vero videtur. Nam Ezechias, qui post Achaz regnavit, & Studia legis in Israele magnopere auxit, quo pacto librum legis non produxit in lucem? Certè Ezechias moriens plurimos in Israele libros legis reliquit, sed cum ei successisset Manasses, qui diu regnum tenuit, hoc est annis LV., & impias Ethnicorum superstitiones secutus est, per hunc lex oblivioni data est. Nemo enim amplius legem Domini curabat, intentis omnibus in exteras religiones, & ritus Ethnicorum. Atque adeo anni LV. sufficerunt, ut iis lex oblivioni daretur. Cum igitur Josias Rex jussisset inquiri quicquid in Templo Domini esset argenti, ac denariorum, Helkias, dum omnia scrutatur, Templum, Sancta Sanctorum, Oraculum, invenit legem Domini suo loco positam ex latere Arcæ, quia verò videtur mirum Manassem eo tempore, quo sub finem vitæ poenitentiam egit, librum legis non quæsisse. Respondet R. David. *Credibile est captivitatem Manassis incidisse in ejus extremam ætatem. adeout postquam resipuit non superfuerit ei tantùm vitæ, & vix fortè de lege Domini audiverat: superstiones autem Ethnicorum sustulit, quia de iis à Prophetis audiverat*. Idem addit Josiam ideò miratum, ac perterrefactum scidisse Vestem, quòd liber esset inventus revolutus, ac notatus eo loco Deuteronom. XXXVIII. v. 36. *Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem Constitueris super te in Gentem, quam ignoras, & servies ibi*. Alii non integrum Pentateuchum, sed solum putant ab Helkia inventum Deuteronomium, in qua sententia est D. Chrysostomus in cap. 11. Matthæi Hom. ix. & 1. Cor. 11. hom. vii. utrobique narrans in pariete inventum Deuteronomium. At R. Azarias Edomæus in Meor Enaim putat librum antiquis Assyriacis literis, & lingua Sancta scriptum, ab Helkia esse inventum. Quippe eo tempore fuisse quidem in manibus Hebræorum legem Mosis, sed prophana scriptura, & lingua peregrina, aut certè paraphrasi Hebraica redditam. Mihi omnium

nium vero simillimum videtur id, quod, cum de Mose agerem scripsi. librum ab Helkia repertum, eum fuisse, quem scripsit Moses, ut populum in Dei obsequio contineret, antequam Pentateuchus scriberetur, ut suo loco pluribus dixi. Nam Pentateuchum in manibus Hebræorum fuisse, nec potuisse rem novam videri, credibile est. Is autem liber quem Moses ante præscripserat, Liber legis vocatur. eoque percelli jure pius Rex debuit, quòd sciret eo Mosem adiurasse populum, & iis, qui eo libro scripta servarent, summa, & optima quæque; aliter viventibus gravissima, & sævissima spopondisse.

TITVLVS XXXXVI.

Urias.

אוריה

URias F. Semejæ, ex Oppido Cariathiàrim Propheta sub rege Joachim claruit, cujus & Vaticinia, & exitum Sacræ literæ narrant, Jeremiæ xxvi. *Fuit Vir Prophetans in nomine Domini Urias filius Semei de Cariathiarim, & Prophetavit adversus Civitatem istam, & adversus terram hanc juxta omnia verba Jeremiæ. & audivit Rex Joachim, & omnes Potentes, & Principes ejus, verba hæc, & quæsivit Rex interficere eum, & audivit Urias, & timuit: fugitque, & ingressus est AEgyptum, & misit Rex Viros in AEgyptum, Elnathan filium Achobor, & Viros cum eo in AEgyptum: & eduxerunt Uriam de AEgypto, & adduxerunt eum ad Regem Joachim, & percussit eum gladio, & projecit Cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis.* Hactenus Uriæ vita. An autem sua Vaticinia scripto ediderit incertum est. R. David Kimchi arbitratur Prophetas solitos scribere sua vaticinia; decebat enim litteris mandari, quò certius cum eventu conferri possent. Sane tanta Regis indignatio significat non tantum verbo, quod leve fuisset,

fuisset, sed etiam scripto id vaticinium, quod ipse in contumeliam suam interpretabatur, editum fuisse.

TITVLVS XXXXVII.

Jeremias.

ירמיה

Jeremias F. Helciæ, Sacerdos è vico Anathoth, innocentia, & rerum divinarum cognitione clarissimus inter scriptores Hebraicos imprimis recensetur. Scripsisse enim fertur multa, è quibus hæc sunt.

ספר ירמיה	1	Liber Jeremiæ.
מלכים	2	Libri Regum.
קינות	3	Lamentationes.
ספר אשר שרף יהויקים	4	Liber à Joachim exustus.
קינות על יאשיהו	5	Lamentationes in morte Josiæ.
שלשה ספרי המקנה	6	Libri tres possessionis.
משא בבל	7	Contra Babylonem.
מכתב ירמיה	8	Descriptiones Jeremiæ.
אגרת	9	Epistola.
ספר אחר בלי שם	10	Liber alius Anonymus.

Hebræi veteres putant Jeremiam ejus Helciæ filium esse, qui Librum legis inventum obtulit Josiæ Regi. quod & R. David Kimchi non improbat, qui eum, ait, cæpisse vaticinari anno xiij. Regni Josiæ. Juchasim vero de eo sic scribit. *Jeremias Sacerdos Theologicam Traditionem accepit à Sophonia.*

nia . Vaticinatus est annos XL. , usque ad excidium primi Templi . Pesikta ait , eum è stirpe Rahab fuisse , quod ei Contumeliæ loco solerent Judæi obiicere. Meghilla Cap. 1. Consanguineum Choldæ fuisse. Berescith Rabba (quem citat Jalkut in Ier. n. 296.) ait eum Virtute præ cæteris præstitisse, & simillimum fuisse Mosi, imò alterum Mosem. Sed nunc de libris.

1. *Liber Jeremiæ* , sivè ejus Prophetia . Hanc Hebræi æquè, ac Latini, Græcique, secundo loco post Isajam, inter Prophetas majores collocant . Scriptum ab eo hunc librum Hebræi dicunt in Bava Bathra ; alii ipso dictante à Baruch F. Neriæ. Ibidem in Bava Bathra Prophetiam hanc distinguunt in duos libros . Habet autem Capit. LII. versus MCCCLXV. De stylo quo scripta sit , S. Hieronymi sententia est rusticiorem videri , præsertim si comparetur Isajæ, atque Oseæ. Cujus rei causam in patriam retulit , quæ exiguus erat Vicus tertio ab Urbe lapide . Non tamen imperitiam linguæ in eo notat S. Hieronymus , quam R. Isaac Abarbinel ei non dubitavit audacter impingere, initio Commentarii ; in quem jure propterea R. Jacob Chaim in præfatione ad Biblia majora Venetæ editionis invehitur . Neque enim imperitum linguæ creavit patria suburbana Hierosolymis ; etsi modestia qua se continebat in Vicis , & Oppidis , & frequentiores Urbes non adibat, fecit ut more vulgari simplicius, & indiligentius loqueretur, quàm loqui soleret in aula Regum affinis Isajas . Alioqui cum Sacerdos fuerit , minimè verisimile est literarum cum rudem fuisse . Cur autem Scriba usus fuerit postea dicemus, cum de Baruch sermo erit. Porrò Hebræi Jeremiam Sophoniæ discipulum faciunt . de quo sic scribit R. Abraham Zachut: *Jeremias Sacerdos Traditionem Theologicam accepit à Sophonia, & prophetavit annis XL. usquè ad primi Templi devastationem . Fuit hic medius inter Mekabbelim, idest eos qui Traditionem Theologicam constituunt . Sunt enim omnes XL., atque hic vicesimus . Et à Sophonia eruditus est circa annum MMMCCCXVI. Templum vero*

devastatum est anno CCCXXXVIII. Cujus Cladis symbolum est locus Jeremiæ XV. v. 1. Non est anima mea ad populum istum, eiice illos à facie mea, & egrediantur. Nam vox eiice Hebraico שלח *habet numerum CCCXXXVIII. Accidit excidium Templi Primi prima hebdomadæ die, Nona mensis Ab, primo anno post Scemitta, idest quietis, quo agri non coluntur, & idem prorsus evenit in Templo secundo. Eratque in utroque excidio tempus excubiarum Jebojarib; & in utroque canebatur versus ad maledictionem pertinens.*

2. *Libri Regum* quo auctore conscripti sint adhuc dubium est. Primus, & secundus, quos Hebræi Samuelis nomine designant, ab eodem scripti feruntur. Alii tamen volunt primum librum usque ad Caput 25. esse ipsius, reliquum vero primi, & secundum esse Nathanis, & Gad; & ad id probandum adducunt Verba, quæ superius nos quoque attulimus, quibus Nathan, & Gad historias David Regis scripsisse dicuntur. Sed ego his locis maxime moveor ne putem hoc probabile esse. Nam quoties citantur historiæ Nathanis, & Gad, nunquam citantur ut additamenta, & partes, sed ut libri qui seorsim editi sint: Neque ego quidem crediderim tàm exiguum opus duobus auctoribus æqualibus esse tribuendum. Nec auctor Paralipomenon citaret historias Nathanis, & Gad, nisi seorsim editæ eorum nomina præferrent. At liber secundus Regum ejusmodi nominibus caret. Existimo igitur priores duos Regum libros, uti nunc habentur non esse eos ipsos, quos scripsit Samuel, vel quos ediderunt Nathan, & Gad: Sed ex his, aliisq; collectos opera maximè Pontificum, sic tamen ut Samuelis Commentarius fere integer adscriberetur, unde operi nomen apud Hebræos inditum est.

Duo verò posteriores libri, quos & Nostri, & Hebræi *Regum* appellant, Græci vero *Regnorum*, simili Oratione collecti sunt ex iis, quos scripserant Achias, Iddo, Semejas, *Jehu*, Chozai, aliique Prophetæ; imprimis vero Isajas: quis autem Collector, & scriptor fuerit ignoratur. Hebræi Jeremiam dicunt, quos sequuntur è nostris Procopius Gazeus, aliique. Nihil

hil habeo quod iis opponam; cum & stylus non absimilis sit, & tempus congruat, & indigenarum traditionibus, ubi nihil obstat, fides abneganda non sit. Continent libri Regum, Primus Pesukim idest Versus DCCXCVII. Secundus DCLXXIX. Tertius DCCCIX. Quartus DCCXII. Ita Sixtus Senensis. At Masora in fine librorum Samuelis, idest primi, & secundi Regum adnotat Versus M.D.VI. cum ex collectione Sixti tantum sint M.CCCC.LXXVI. ita Sixtus in duobus posterioribus Regis numerat Versus M.D.XXI., at Masora numerat MDXXXII. Liber *Verba Dierum Regum Israel*, alius est à libris Regum incerto auctore scriptus, Citatur autem sæpè in libris Regum, & Paralipomenon. Est & recentior liber hoc titulo.

דברי מלכי ישראל Verba Regum Israel.

Collectus ex Josepho maxime, absque nomine auctoris.

3. *Threni*, quod tertium est opus Jeremiæ; Hebraice איכה *Quo modo*, à prima libri dictione, vel קינות *Lamentationes* ab Argumento dicti; flebilis Monodia deplorans Hierosolymitanæ Vrbis excidium. Liquet Carmine scriptam, sed quo metro, aut lege non liquet. Hieronymus ex quatuor Alphabethis in quæ dividitur. Primum, & secundum, & quartum ait ad Saphicum accedere, tertium Trimetris simile. R. Salomon ait: bis à Jeremia scriptum hoc opus. Primo quidem tribus Alphabethis constans, deinde cum Rex Joachim funesto argumento offensus, eum igni dari jussisset, iterum ab Jeremia editum quarto alphabetho auctum. Sed

4. Liber ille Jeremiæ, quem Joachim jussit exuri, ut Jerem. XXXV. legitur, non erat liber Lamentationum, ut rectè ostendit Aben Ezra, Confutans R. Salomonem his verbis. *Non est hic liber ille quem Joachim combussit, quia non repe-riuntur in illo Duo illa quæ Deus jussit scribi in libro Jeremiæ. Sic enim Deus jussit: Sume tibi volumen, & in eo scribe omnia verba, quæ locutus sum tibi super Israel, & super Juda, & super omnes gentes. Rursum scriptum est in eo libro fuisse scriptum: Veniet Rex Babylonis, ac devastabit terram*

 hanc,

hanc, *quorum nihil est in libro Lamentationum*. Jonatham initio Threnorum addit, nomen auctoris scribens. אמר ירמיה נביא וכהנא רבא *Dixit Jeremias Propheta*, *& Sacerdos magnus*. Septuaginta quoque Interpretes addiderunt præfationem, quæ latinè quoque legitur. *Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel &c.*

5. קינות על יאשיהו Lamentationes super Josiam.

Liber à Jeremia scriptus ut dicitur II. Paral. xxxv. *Luxerunt eum Jeremias maximè, cujus omnes Cantores, atque Cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant*, *& quasi lex obtinuit in Israel : ecce scriptum fertur in lamentationibus*. R. Salomo explicat. *Quo tempore solemnis luctus*, *& comploratio erat*, *reminiscebantur etiam lamentationum Josiæ*. *Sicuti nunc nona mensis Ab*, *qua deploratur excidium Hierosolym.*, *deplorantur etiam interempti diebus nostris insectatione Principum*, *eorumque decretis*. Et multi quidem existimant Lamentationes has non esse diversas à Threnis Jeremiæ, qui nunc extant; ut Josephus ait, & R. Salomo etiam indicat. Sed nec tempora, nec argumentum conveniunt. Nam lamentationes, quæ nunc extant, scriptæ sunt post ultimam devastationem Urbis, & Sedeciæ captivitatem. Josiæ autem mors multo ante contigerat templo adhuc stante. In his quoque lamentationibus nihil de morte Josiæ, sed omnia tendunt ad deplorandam populi captivitatem, Urbis ac templi vastitatem. Accedit quod lamentationes Josiæ non solius Jeremiæ fuere, sed plurium auctorum, ut indicant in latina versione, verba illa : *Planxerunt super eum Jeremias maximè*. & quod sequitur : *Cujus lamentationes*. Hebraicè est *lamentationes eorum super Josiam*. קינותיהם על יאשיהו quare liber qui hic citatur, cũ dicitur הנה כתובים על הקינות *Ecce scripta sunt in lamentationibus*. Videtur fuisse liber qui complecteretur omnes lugubres cantiones, tùm à Jeremia, tùm ab aliis Viris sapientibus, ac piis scriptas.

ptas, atque adeo non solius Jeremiæ opus; & fortè idem qui Liber Justorum.

מגילת ספר Volumen libri.

Jeremiæ XXXVI. scriptum est. *Anno IV. Joachim filii Josiæ Regis Juda factum est Verbum hoc ad Jeremiam à Domino dicens: tolle Volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversus Israel, & Judam, & adversus omnes gentes, à die qua locutus sum ad te in diebus Josiæ, usque ad diem hanc*. quem librum scripsit Baruch dictante Jeremia, & allatus ad Joachim Regem ab eo impositus est prunis, atque exustus. Verùm ab Jeremia instauratus est jussu Dei: De hoc libro quædam expendam. Primo videtur fuisse magnus liber. Nam Jeremias jussus est à Deo scribere hunc librum Anno quarto Joachim, & non est absolutus, & lectus ante anni quinti mensem nonum. Præterea pro exiguo libro non vocasset scribam Jeremias. Secundo erat volumen, idest liber convolutus, qualis nunc est lex quæ à Judæis scribitur; illud verò quod dicitur, *Cumq; legisset Judi, tres pagellas, vel quatuor*, non significat librum fuisse compactum hoc more, quo sunt apud nos libri, quorum pagellas evolvimus, sed pagellæ significant spatium, quod in perpetua membrana æquale uni pagellæ erat. Hebraicè pro pagellis est דלתות *Deletboth* vertitur à Chaldæo פצין *Cardines*, quod videtur significare librum pluribus umbilicis constantem. Sed Hebræi in quibus R. Salomo hinc sumunt argumentum, ut probent hunc Jeremiæ librum fuisse Threnos, quia cum scriptus esset Ordine Alphabethi, & quidem per ternas literas, cum pervenisset inquit Rex ad tres *Delatboth*, idest ad literam *daleth*, quæ tertio repetitur, indignatione commotus librum igni adjudicavit: cujus rei reddunt causam, quod priora illa non adeo offendissent Regem. Verùm id constare non potest cum dicat, *ad tres, vel quatuor Delatboth*. Et primum Alphabethum Threnorum singulares habet literas, non ternas, multo minus quaternas; quod verò dicitur Rex cultro librum scidisse, explicant He-

Hebræi, illum abscidisse inde omnia אזכרות idest *nomina Dei:* Erat autem atramento scriptus. Postremo hic liber non erat is, quem nunc in manibus habemus Jeremiæ. tùm quia major videtur fuisse ille, & plures contra omnium Gentium scelera Dei minas habuisse scriptas; tùm quia, quæ post hoc factum acciderunt, & facti hujus historiam liber ille non habuit. Puto igitur in eo libro scriptum fuisse quidquid Deus Jeremiæ ab initio aperuerat. ex illo verò in hunc postea translata esse, quæ proderant posterorum institutioni.

6. Libri tres Jeremiæ nominantur Cap. XXXII.

ספר מקנה החתום Liber Possessionis signatus.

ספר מקנה הגלוי Liber Possessionis apertus.

ספר המצוה והחקים Liber mandati, & præceptorum.

NON erant libri, sed Syngraphæ, ac tabulæ emptionis, qua Jeremias à Chanamele emit agrum. Fuisse autem tres apertè colligit R. D. Kimchi e textu. Nam de *libro signato* dubitari non potest. nec de *libro aperto*, quos sæpè nominat; qui ambo idem continebant, ideo geminato scripto, ut qui emptionem factam scire vellet cogeretur aperire signatum librum. Tertius vero qui erat *Mandati*, *&* *Præceptorum*, המצוה והחקים, necessario erat alter libellus, seu syngrapha, qua inter eos convenerat de illius emptionis conditione, & legibus.

7. Liber *Contra Babylonem*. Cap. LI. *& scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem in libro uno, omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem.* Haud dubium, quin liber hic fuerit seorsim scriptus, atq; editus. Ait enim: *Et dixit Jeremias ad Sarajam, cum Veneris Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc, dices.* Præterea 11. Machab. C. 11. Citatur liber.

8. Descriptiones Jeremiæ.

Sic enim dicitur. *Invenitur autem in Descriptionibus Jeremiæ*

remiæ Prophetæ , quod jussit eos ignem accipere , qui transmigrabant &c. Sixtus Senensis , librum à Jeremia scriptum putat, posset autem quis putare significari hic non tàm libros à Jeremia scriptos, quàm jussa, & rescripta Jeremiæ; hæc enim significant ἀπογραφοὶ , sive Hebraicè מכתבים Imò Græca verba indicant Jeremiã ipsum nõ fuisse auctorem horũ scriptorũ. Sic enim habent ἐυρίσκεται ἐν τοῖς ἀπογραφαῖς, ἱερεμίας ὁ προφήτης ὅτι ἐκέλευσε &c. *Invenitur autem in rescriptis. Jeremias Propheta, quod jussit &c.* Hoc est rescripta, seu Commentaria Veterum hoc habent ; Jeremiam ita jussisse: tutiùs tamen vulgato hæremus Interpreti.

9. *Epistola Jeremiæ* qua eos, qui captivi adducebantur admonuit officii, religionisque retinendæ, habetur ad finem Prophetiæ Baruch. ea carent Hebræi. Fieri potest, ut post Canonem ab Esdra constitutum reperta sit, & à posterioribus, & præsertim ab Apostolis probata. Judæi enim, quod Esdras non admisit in Canonem, nunquam postea receperunt.

10. Liber alius Vaticiniorum Jeremiæ olim apud Nazaræos erat, cujus meminit Hieronymus in Cap. XXVII. Matthæi, ex quo putat Origenes, illud : *Quoniam Nazaræus vocabitur* esse desumptum. Credibile est id scriptum supposititium à Nazaræis ipsis confictum esse , & hoc ei testimoninm insertum: & si conjecturæ locus est, putandum etiam in eodem libro fuisse ea Vaticinia, quæ recitat Epiphanius in ejus Vita, in hæc verba. *Profectus Dominus è Sina in Cælos, sed revertetur in majestate , & virtute Divina . & hoc indicium adventus ipsius erit, quando gentes universæ ligno supplicabunt.* Et postea. *Arcam hanc* (nam Arca, una cum omnibus, quæ in ea erant curante Jeremia Montis Sinæ rupibus hiantibus excepta, illic latere Judæi existimant) *nec quisquam reserabit unquam, neque Sacerdotum, neque Prophetarum , excepto Mose electo Dei. Tabulas quas continet, nemo explicabit præter Aaron. Cæterum in resurrectione, primum arca resurget , & prodibit è Saxo, inque Sina Monte locabitur , & omnes Sancti ad eam confluent , ut illic suscipiant Dominum . Et vitent inimicum, qui eos perdere affectabit .* Addit Epiphanius *Tunc Saxum*

xum sigillavit digito inscribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri. & nubes petram cooperuit, & eum locum nemo novit. quin, ne nomen quidem, usque in hunc diem, & usque ad consummationem sæculi datur legere. Hæc aliàque Epiphanius ex illo libro Apocrypho Jeremiæ, quem uti viventem persecuti sunt Hebræi, tandemque apud Taphnes in AEgypto lapidibus obrutum peremerunt, ità postea fabulosis ornarunt laudibus. Hunc fuisse qui primus omnia, quæ de Jerosolymis scripta fuerant illustraverit, inquit Berescith Rabba. Hunc, & Isajam, solos intellexisse, quæ dicerent; cæteris sua ipsorum obscura fuisse Vaticinia dicunt in *Elle Haddebbaim Rabba*. Hunc esse qui Decem Tribus ab exilio reduxerit, ait, Meghilla C. I. Hunc non modo in Vtero Matris electum, ac vocatum, quod certum est; sed inde etiam, matrem allocutum, eamque docuisse ait Pesikta major. Nempè à nugandi scopo numquam aberrant corruptores veritatis Rabini, quibus unum ingenium est vera falsis obruere.

TITVLVS XXXXVIII.

Semajas.

שמעיה

Semajas Nechalamites, seu Patria, seu genere; quamquam hoc minus probabile est, libellum scripsit contra Jeremiam, quem ut scriberet ajebat se impulsum esse divinitus. Meminit libri Jeremias Cap. XXIX., & licèt appellet eum *Sepher*, tamen apparet Epistolam fuisse.

TI-

TITVLVS XXXXIX.

Chanamel.

חנמאל

CHanamel filius Sellum Patruelis Jeremiæ, Propheta insignis, & nescio cujus arcanæ Theologiæ peritus fuisse traditur à Judæis. Et quoniam fabulis quoque opportunitas esse aliqua potest, quid ab eo gestum in obsidione Hierosolymitana fabulentur, hìc referre non gravabor. Nec pigeat, vel eos qui de Trojana obsidione tam multa Homeri somnia legunt, hæc quoque legere, quæ sciri magis nostra refert, vel ut ea refellamus, vel ut aliquid inde discamus. Sic igitur è vetustioribus Jalkut in Threnos num. 1001. *Chaldæis Urbem excidentibus, & jam jamque se eam capturos sperantibus, Deus obsessos robore firmabat tribus annis, expectans eorum pœnitentiam, ac cæteri quidem milites, ac Viri fortes diuturnis præliis à Chaldæis interfecti cadebant. Vnus autem totam obsidionem sustinebat Vir fortissimus Abika Filius Gabatiræ. Is enim cum in Urbem à Chaldæis magna vis lapidum tormentis iniiceretur, eosdem resumens manu lapides, & in exercitum reiiciens magnam cædem hominum edebat. Quo genere bellandi tandem ita valebat, ut pedibus quoque idem præstaret. Verùm populi sceleribus id merentibus, repente dum mœnibus insistit, vehementiore vento abreptus, ac præceps datus in medios Chaldæos, à quibus ictu lapidum necatus est. Hujus morte destitutam præsidio Urbem, videns Chanamel, ac simul intelligens Chaldæos statim in eam impetum facturos, usus occulta sapientia, Angelos Deo ministrantes adjuravit nominatim, effecitque, ut omni genere armorum instructi supra muros starent. Quibus visis Chaldæi metu exterriti longe recesserunt. Deus autem eam Urbem ipsis tradi volens, mutavit illico Angelorum nomina. eosque revocavit in*

Cœlum. Conatus est rursus Chanamel eos devocare, sed nihil effecit, quippe nomina jam alia illis erant ipsi ignota. Itaque ne nihil ageret supremum omnium, & mundi Principem adjuravit, cujus ope, res mira, Hierosolymam è terris avulsam sublimem in aere suspendit, quod videns Deus Principem illum increpuit. Tùm Hierosolyma humi recidit, eaq; Chaldæi sunt potiti.

Absurdum hoc mendacium ideò retuli, ut Lector videat ubiq; Judaicas fabulas magicis imposturis favere, & hoc nomine esse maximè aversandas.

TITVLVS L.

Ezechiel.

יחזקאל

Ezechiel F. Buzi è tribu Levi stirpe Pontificum, patria vero fuit Serarà, ut scribit Epiphanius. Viri modestiam commendat exordium ejus libri, de se ipso, ac stirpe sua omnino silens. Prophetàm se prodidit ab anno v. captivitatis Regis Joachim, ut ipsemet scribit. Qua de rè sic R. D. Kimchi. *Et factum est in anno tricesimo, supputatio hæc ut ajebat Dominus meus parens, vero, ac literali sensu explicanda est, anno trigesimo Jobelæi. quod ità demonstratur. Visio Templi, ac Civitatis ædificandæ ostensa est Ezechieli anno Jobelæi, qui fuit captivitatis Joachim quintus, & vicesimus. Atqui captivitas Regis Joachim contigit anno Jobelæi XXV.: hæc autem Visio quinto captivitatis anno accidit: fit igitur, ut annus hic tricesimus Jobelæi fuerit.* Deindè explicationem Jonathæ affert, qui hunc annum tricesimum quo primum vaticinari coepit Ezechiel putat inde numerari, ex quo Helcias Sacerdos librum legis invenit, eamque conciliat cum priore. Vaticinatus est in Chaldæa juxta fluvium Chobar annos viginti. Quidam apud Clementem lib. I. Strom. ajunt eum fuisse Nazarethum illum Assyrium Pythagoræ Ma-

Magiſtrum. Cur autem ejus gloriæ adeo iniqui ſint plerique Judæorum, ut Vatem nulli eorum qui eadem ætate vixerunt poſt habendum fere ſilentio prætereant, non aſſequor. Sanè R. Moſes Maimonides, R. Abraham in Kabbala, cæterique Judæi qui Theologicæ traditionis ſeriem deſcribunt, Ezechielem ab ea excludunt. Primus R. Iſaac Abarbinel, inter alia quibus Maimonidi ſublinere os viſus eſt, hoc etiam correxit, & in ſeriem traditionis Ezechielem admiſit excluſo Baruch. Fortè id non temere ab iis factum eſt, ſed quod Ezechiel, ut ſcribit Epiphanius, & Martyrologium Romanum, à Principe, ſeu Aechmalotarcha impiè damnatus, ac cæſus fuerit, ipſi ut impleant menſuram Patrum ſuorum, vel mortuum inſectantur: nam & de eo minus honorificè eos loqui animadverto, ut cum calumniantur eum non credidiſse excitari poſſe à Deo interfectos illos quos in planicie Campi Dura ſibi oſtenſos ſcribit. & ob eam culpam commerviſſe, ne tumulum ſortiretur in terra Iſraelis. Ita enim ſcribunt in Capitulis R. Eliezeris: *Vaticinare Fili hominis, Vaticinare ſuper interfectos iſtos. Dixit R. Phinees, poſt viginti annos, quam hi fuerant à Chaldæis interfecti, Spiritus Domini invaluit in Ezechielem, & eduxit illum in campum Dura, & oſtendit illi oſſa arida magno numero, & dixit illi: Fili hominis quid vides? ait illi: Oſſa arida. Dixit illi: eſt in me virtus eos à mortuis excitandi, nec ne? Ait illi Ezechiel: Domine Deus tu noſti. & quia non credidit, non ſunt ſepulta ejus oſſa in terra munda.* Profecto impia, & abſurda calumnia. Quis enim tantum Vatem, ſuſpicetur de ea re dubitaſſe? Verum ego altiorem ſubeſſe cauſam opinor, quod Ezechiel Synagogæ everſionem, & Eccleſiæ excitationem apertiſſimè prædicarit. Quarè etiam librum ſuum orſus eſt à deſcriptione diſcedentis in curru Gloriæ Domini, ut explicat Kimchi. Libri Ezechielis.

יחזקאל 1 Ezechiel.

2 Oraculorum libro duo.

1. EZechiel, sic liber ejus vocatur. quem Hebræi in *Bava Batbra* C. 1. dicunt à Viris Synagogæ magnæ, sub Esdra scriptum fuisse. Explicant plerique ab Ezechiele quidem scriptum, sed quia is in Chaldæa librum apud se privatim scripserat, Viros magnæ Synagogæ eum postea promulgasse, post Hebraicam Rempublicam restitutam.

2. *Oraculorum libros duos* scripsit ut Josephus lib. v. Ant. c. x. tradit. ex his est forte qui numeratur inter Apocryphos in Synopsi Athanasio adscripta. Quæ vero Ezechielis Vaticinia recenset Epiphanius in ejus Vita, & res ab eo gestas, credibile est ex his libris esse desumpta. *Hic*, inquit, *Babylone judicavit Tribum Dan, & Gad quòd impie egissent adversus Dominum persequendo eos, qui legi fidem suam adstrinxerant. Obtulit autem illis insigne prodigium, & ostentum. quoniam angues devoraverunt infantes eorum, & omnia jumenta ipsorum. Prædixitque, quod culpa eorum nequeat populus regredi Hierosolymam, & plura alia.* Duo sunt autem inter Ezechielis Vaticinia summa admiratione digna: Primum Quadriga. Deinde Regis Tyrii justa damnatio. De quadriga illa quam vidit Ezechiel nulla ætas tacuit, nulla unquam tacebit. Hebræi potissimum in ea tantum studii, & operæ collocarunt, ut jam totius, quæ apud eos tractatur arcanæ Theologiæ pars altera sit *Mercava*, idest *Currus*, altera *Berescith*, idest, *In principio.* quarum illa compræhendit quicquid intelligi tantum potest, & mente concipi, seu Theologiam contemplatricem, ut vocant. Hæc quicquid in opus deduci potest, sive operatricem. Cum autem Operatrix Theologia, seu Kabbala declinet ad magicas superstitiones, & maleficia, inde fit, ut summa sinceræ Theologiæ, hoc Ezechielis curru contineatur. Adscribam, quæ de hoc argumento R. David præmisit suis in hunc Prophetam Commentariis. *Ezechiel*, inquit, *vidit Visionem clausam, & audivit auditionem fortem, & tamen nihil eorum occultum fuit,*

fuit, alioqui petiisset sibi explicari, ut petiit Zacharias, ac Daniel. Visio hæc vocatur Mercava, idest Currus, quæ Vox in libris Regum est, cum dicitur: & species rotarum, quasi species Currus, & in libris Paralipomenon: & forma Currus Cherubin. Salomon quippe ob suam sapientiam multo ante vidit, id quod postea vidit Ezechiel spiritu Prophetiæ. Quin David Rex ejus Pater, ei omnia tradidit Spiritu Sancto afflatus, sicut scriptum est. Omnia scripta manu Domini. Quod ergo vidit Ezechiel, hoc est formam Bovis, & formam Leonis (quæ effigies in Templo erant) *& Cherubim, quæ erant loco hominis, & Aquilæ: Nam Cherubim vultum hominis, & alas Aquilæ habebant, velut ex utroque mixti*; ac postea: *Majores*, inquit, *Institutoresque nostri monuerunt Currum Ezechielis, non esse explanandum. Proinde fas non est, nec mihi licet in hoc argumento ea quæ mente assequor scribere. Quin ita faciam. Geram me, ut qui multitudini loquitur, nec prodam arcana in hoc quidem Commentario, quod pro omnibus scribitur. At scripsi aliud, quod inter adversaria mea servo seorsim clausum apud me, & signatum in thesauris meis, in quo explanatio hujus Currus est, ne prorsus res oblivioni tradatur, & posteri hac utilitate priventur, qui digni fuerint legis arcana percipere*. Hæc R. David. Constat autem Hebræos ne lectionem quidem hujus argumenti cuiquam olim ante annum tricesimum licere voluisse: Quamobrem S. Hieronymus, qui primus in totum Ezechielem scripsit, hujus argumenti implexos, & in sese abditos nexus labyrintho comparat.

Alterum quod in Ezechiele sublime præ cæteris, ac singulare videtur est, Regis Tyri justa damnatio. Quem Tyri Regem Hebræi putant fuisse Hiramum, qui Salomonis ætate vixit, & petenti cedrina ligna subministravit ad Templi structuram. Hunc Regem dicunt ad Ezechielis usque tempora vixisse, ac tùm opibus, tùm sapientia, & vitæ diuturnitate tam stolidam sui ipsius æstimationem, ac superbiam animo concepisse, ut se Deum putaret. Fabulam è Midras brevi colligam, quam fuse refert Jalkut in Ezechielem num. 367. *Tanta fuit Regis Hirami super-*

perbia, ut tandem medium mare ingressus defixis quadraginta ferreis columnis quadrato ordine, septem iis cœlos imposuerit. Primum Cœlum erat Crystallinum, secundum stamneum, tertium ferreum, quartum cupreum, quintum æneum, sextum argenteum, septimum aureum. In his Solem, & Lunam, & Sidera posuit, & quodam artificio tonitrua edebat, & fulgura, ac fulmina jaculabatur, nec non sedem qualis ab Ezechiele describitur, & Animalia, & Quadrigam sibi fecit, & lapidibus pretiosis cuncta distinxit. Dum hic ita insaniret, dixit Deus Ezechieli: abi ad eum. Respondit Ezechiel, quo pacto me ad eum jubes ire, qui suspensus in vacuo aere pendet? Tùm Deus O. M. ventum immisit, qui Ezechielem statim illò transtulit. Quo viso Hiramus turbatus est, & ait: quis te huc vexit? Deus me hùc misit, inquit Ezechiel. & jussit me tibi dicere quousque tam vane insanies? Nonne filius mulieris tu es? Respondit Hiramus, sum quidem, sed immortalis, ecce xxi. Reges è prosapia David ad tumulum deduxi, ac totidem Reges Israelis, L. Prophetas, & Summos Sacerdotes decem. Deus proinde ego sum. & in Dei sede, ac solio sedi. Addit Midras, Deum inter cætera ob id quoque, templum everti voluisse, ut jam desineret aliquando Hiramus superbire ob id quod in Templi ædificationem contulerat. Hæc de Hebræorum fabulis, quas vel ad eos impugnandos, vel ad morum allegoriam subinde usurpamus. Templum ab Ezechiele descriptum plures ex Hebræis Commentariis illustrarunt. Ultimus R. Lipman Iom Tob, libro quem inscripsit *Zurath habaith*, Formam domus. eam vero dum mox ædificandam sperant miseri, interea extorres toto orbe sine lare, ac penatibus vagantur. De Academia vero, quæ Ezechielis tumulo inædificata est postea dicam, cum de Neardeana Academia sermo erit.

Leontius de Sectis, Ezechielem, à Nabucodonosore deportatum, scribit, una cum Daniele, Anania, Azaria, Misaele, Esdra. *Ναβυχοδόνοσορ βασιλεὺς Ασσυρίων ἐλθὼν εἰς τα Ιεροσόλυμα ἐπὶ Σεδεκίυ τῦ βασιλέως τὺς Ιυδαίυς ἠχμαλώτευσε καὶ ἔλαβεν εἰς Περσίδα, ἐν οἷς Ανανίας Αζαρίας Εισαὴλ κὶ Μεζεκιὴλ κὶ Εσδρας.*

Na-

Nabuchodonosor Rex Assyriorum cum venisset Hierosolyma Sedecia Rege, Iudæos Captivos duxit in Persidem. in quibus fuere Ananias, Azarias, Misael, Ezechiel, & Esdras. Verùm de Esdra non tam facile alibi reperias: de aliis sententia quoque est Hyppoliti apud Georgium Syncellum, quem refert, ac suo more durius, & immodestius reiicit solo tamen critico supercilio, nulla adducta ratione Josephus Scaliger in suis ad Eusebium notis n. M.CCCCXV.

TITVLVS LI.

Ananias, Azarias, Misael.

חנניה מישאל ועזריה

Ananias, Azarias, Misael juvenes totius memoriæ celeberrimi simul eruditione, ac pietate clarissimi, e tribu Juda, stirpe vero Regia fuere. Quamquam in capite Chelek dubitatur è Juda ne, an ex aliqua alia tribu fuerint. Sed Sacrarum literarum iis obstat auctoritas, quibus disertè dicitur: *fuerunt ergo in eis ex filiis Juda Daniel, Ananias, Azarias, Misael.* Danielis 1. Hi scripsisse dicuntur hæc

שיר 1 Canticum.

מגילת תענית 2 Volumen de Jejunio.

1 Canticum trium Puerorum constat ab iis saltem compositum. sic enim Danielis III. legimus: *Tunc hi tres quasi uno ore laudabant &c.* Quod ait Polychronius, hunc hymnum ab aliis postea conscriptum, fatemur à tribus Viris in camino perscribi non potuisse. Daniel igitur ejus hymni scriptor, tres verò illi auctores fuerunt. Hebræi quidem tractatu Pesachim capite: *Vespere Paschæ* (& refert Jalkut in Psal. num. 873. ajunt hos tres Pueros inter vapores ignium ceci-

cecinisse Psalmos Davidis. *Ezechias dixit, in hoc Psalmo* (In exitu Israel de AEgypto) *memoria est trium Puerorum qui in caminum ignis missi sunt. Ananias dixit: Non nobis Domine non nobis. Misael dixit: Sed nomini tuo da gloriam. Azarias dixit: super misericordia tua, & veritate tua. Simul omnes dixerunt: Ne quando dicant gentes ubi est Deus eorum. Præterea in aliis Psalmis. Ananias dixit: Laudate Dominum omnes gentes. Misael dixit: Laudate eum omnes populi. Azarias dixit: Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus. Simul omnes dixerunt: & veritas Domini manet in æternum.* Sed si fatentur eos cecinisse laudes Deo, cur non potius novo prodigio, novum eos Carmen aptasse fateantur, quàm vetera usurpasse? Nam putidum illud argumentum, quod Hebræos usurpare solitos ait Hieronymus, præfatione in Danielem; *Tantum scilicet fuisse otii tribus pueris, ut in camino æstuantis incendii, metro luderent, & per ordinem, ad laudem Dei omnia elementa provocarent*: satis refellitur ipsorum traditione, qui non minus otiosè eos cantu lusisse distinctis, ac deinde conjunctis vocibus tradunt. perinde ac si non in camino essent, sed in aula, aut odæo. Scilicet in camino se esse minime sentiebant, quos rorulenta lætos aura perflabat.

2. *Liber de Jejunio*, facile potuit his tribus adolescentibus tribui, quos constat fuisse jejunio addictissimos. Verùm qui extat inter opera Thalmudica liber hoc nomine, nec tam antiquum, nec tam pium auctorem habuit. Ipsi quidem hoc scribunt Tract. Sciabath C. 1. *Anania, & socii scripserunt Meghilla Taanith.* sed ne ipsi quidem credunt: certè interrogati, id languide, & cunctanter affirmant. Poscit hic locus, ut quod de his tribus Pueris, Danielis primo dicitur, explicemus. eos scilicet ad palatium regis vocatos: *Ut doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Hebraicè est ספר ולשון *Librum, & linguam.* Fortè quis librū aliquem apud Chaldæos opinabitur fuisse, quo gentis illius disciplinæ omnes continerentur. quale olim fuisse dicitur opus Mercurii

tii AEgyptiis, & nunc Hebræis est Thalmud Babylonicum; forte ad ejus libri imitationem scriptum. Hebræi putant hic positum esse *Sepher*, pro *Sepharim*: singulare, pro plurali; libros scilicet omnes Chaldaicos vocari Sepher. Constat enim infinitam prope vim librorum apud Chaldæos fuisse, cum vel annalium quibus tot sæcula fabularum contineri dicebantur exigua moles esse non posset. Quidam, in quibus Sixtus Senensis, existimant, sapientiam Chaldæorum quinque veluti Sectis, ac disciplinis contineri, eorum quos Nabuchodonosor advocari jussit ad interpretationem somnii. Atque adeo dividunt Chaldaicam sapientiam in *Chasdim*, *Chartumim*, *Asaphim*, *Mecassephim*, & *Gazarim*. quæ sunt quinque sapientum genera ad explicandum somnium adesse jussa. Verum alii melius docent præter has quinque, plures alias fuisse Chaldæis disciplinarum species, & Sectas; has verò tantum evocatas, quòd his maximè opus esse visum sit. Eas verò sic explicat Aben Ezra חרטומים *Chartumim*. *Sunt Sapientes qui principia rerum occultarum, & facta, quæ clam omnibus sunt novere.* אשפים *Asaphim sunt Medici* מכשפים *Mecassephim sunt præstigiatores, qui rerum aspectum, ac speciem immutant.* כשדים *Chasdim, sivè Chaldæi, sunt Astrologi, seu Genethliaci.* גזרים *sunt divinatores, sive Conjectores, sive Augures. His Rex indigebat. Non enim indigebat Ethicis, aut Arithmeticis, aut AEstimatoribus, aut ullius alterius artis, aut humanæ, divinæve sapientiæ peritis. Vocavit Chartumim, Magos; nam ipsi sciunt principia somniorum, & quomodo anima nocturnas Visiones videat. Vocavit Asaphim Medicos, ut venam tentarent, & corporis dispositionem, ex qua plurimum somnia procedunt, considerarent. Vocavit Mecassephim præstigiatores, & maleficos, quia ipsi sciunt horas, & momenta apta rebus gerendis, & fortè intellecturi erant, quod tùm ex concursu siderum fieri posset. Vocavit Chasdim Genethliacos, quia ipsi ventura prædicunt, & hominis horoscopon, ac nativitatem sciunt, & per gradus, ac progressiones siderum, quæ homini dominantur, præsertim duorum lumina-*

narium, & anni, hebdomadæ, diei rationes, & vices omnia diudicant. Atque ideò, hi primi responsum dederunt. quia cum scirent natalitium thema, Nabuchodonosoris Regis, eorum erat primo respondere, & cæteris iter ad solutionem quæstionis aperire. Hæ Aben Ezra.

Quid vero tres Juvenes post evitatum ignem egerint, nusquam in sacris literis traditur. Hebræi ergo varia tradunt. Quidam eos statim interiisse dicunt, in Bereścith Rabba Cap. LVI. Nam cum constaret è Judæis aliquos idola colere, post tale tantumque prodigium exarsisse indignatione Chaldæos, & clamasse indignos vita Judæos, qui cum talem Deum haberent, tamen ad peregrinos cultus trahi se paterentur, & cum fortè nulli alii adessent, hos tres ab iis peremptos. Alii ibidem dicunt eos invidiæ declinandæ causa ob celeberrimi facinoris gloriam abdidisse se alicubi, & quidem addiscendis interea Sacris literis; nam profanis dumtaxat, antea vacaverant, & ut R. Isaac Abarbinel præfatione in Nechalath Avoth, scribit; plerique existimant Zachariam cum dicit C. III. *Audi Jesu Sacerdos magne; tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia Viri portendentes sunt.* de tribus his Viris loqui, Anania, Azaria, & Misaele. & hos vocari: *Viros portendentes:* sivè ut Hebraicè est אנשי מופת *Viros prodigii.* Hos enim apud eum delituisse sacris assidue literis vacantes, ac demum ex Viris magnæ Synagogæ fuisse. Quod in capite Chelek Tract. Sanhedrim legimus. Id si verum esset, diutissime eos vixisse oporteret. Quamquam etiam citra hoc absurda censetur sententia Panodori Monachi apud Georgium Syncellum, putantis, hos tres pueros iàm inde à Decem Tribuum Captivitate abductos; cum contra Africanus, ac Divus Hyppolitus, cæterique cum Sedecia dicant, Hierosolymis Captis, solum vertisse.



TI-

TITVLVS LII.

Haggæus.

חגי

HAggæus exiguam nobis moram iniicit, breve nomen, breve vaticinium, brevis historia, sed nihilo minor, quam cæterorum, exigui licèt Vatis auctoritas. Quo tempore Vaticinatus sit ipsemet explicat, anno secundo nimirum Darii, quem Hebræi filium Esther Reginæ faciunt. Qua tribu natus, aut qua patria non memorant, quibus hæc notare mos est. Juvenem admodum Babylone Hierosolymam ascendisse narrat Epiphanius, atque ibi Vaticinatum de reditu populi è Captivitate. Addit, quod est commemoratione dignissimum, duo nomina quæ frequentissime in Sacris usurpantur *Haleluia*, & *Amen* Haggæi primum ore audita Hierosolymis: *Ibidem*, inquit, *primus omnium cecinit Haleluia, quod est: laudibus efferamus viventem Deum. Amen, quod fiat fiat, interpretamur*. quamquam pressior, & proprior Vocum significatio est, *Halelu Jah Laudate Deum. Amen. Verum*, seu *Constans*. Quamdiù vitam produxerit ignoratur. Hebræi dicunt eum è postremis magnæ Synagogæ fuisse, & eo anno mortuum esse, quo Hierosolymam venit Alexander Macedo. Iidem addunt R. Dusam, quem constat ad Christi tempora pervenisse, & aliquanto etiam ulterius, cum Haggæo Propheta vixisse. Juchasin: *R. Dusa: Hircani filius diu vixit, hoc est toto Templi secundi tempore, usque ad tempora R. Gamalielis, & R. Akibæ post excidium. & in Hierosol. Tract. Jebamoth c.* 1. *dicitur dixisse. Huic pilo insidebat Haggæus Propheta, talesque ejus oculi erant. Sic opinatur R. Moses Maymonides*: I nunc, & Nestores tuos jacta Græcia, cum de suis Hebræi liberaliùs fabulentur.

TITVLVS LIII.

Zacharias.

זכריה

ZAchariæ duo celebres, alter Jojadæ filius, alter Barachiæ: & hic quidem cujus extat Prophetia, patre natus est Barachia: avum habuit Iddo, quem nonnulli putant, ut R. David Kimchi adnotat, esse Iddo videntem; quod minime credi patitur hiatus temporum. Nobili familia natum, patris, & avi nomen additum docent. In Chaldæa quoque primum diem hausisse non dubitant, & Hierosolymis postea eodem quo Haggæus anno mortuum; postea quam scilicet admirabile Vaticinium scripsisset, quod omnibus ingeniis diuturni laboris argumentum esse possit: De quo sic R. Salomo: *Zachariæ Vaticinium clausum est, ac longe abstrusum. Multa in eo sunt, quæ speciem habent somniorum, quibus interprete est opus. Nos quidem veram ejus interpretationem assequi nequimus, donec venerit* מורה צדק *Doctor Justitiæ*, idest Messias, scilicet.

Hoc inter cætera ipsis difficile est, atque perplexum, quod cum Zacharias apertè dicat: templo secundo stante Messiam Venturum, eo jam olim diruto, quo pacto eum venisse diffiteantur, non inveniunt. Verum quia Zacharias, alter Jojadæ filius est qui II. Paral. XXIV. 21. narratur occisus inter Templum, & Altare, & Hieronymus, ac cæteri passim existimant, hunc Zachariam esse de quo Christus Matthæi XXIII. dixerit, *Usque ad sanguinem Zachariæ &c.* monere hic volui, mira de sanguine Zachariæ Hebræos dicere in Pesikta, quæ refert Jalkut in Ezechielem num. 364. Summa est: Nabuzardan cum Templum ingressus, sanguinem illum humi jacentem animadvertisset, & non levi quæstione tandem agnovisset, Sacerdotis, non Victi-

mæ

mæ ſanguinem eſſe, magnam ſtragem Sacerdotum eodem loco edidiſse, ut ſanguis ille vindicta expiaretur, nam nec ablui poterat, nec pavimento ipſo, ut cæteræ ſordes, abſorbebatur. tandem idonea vindicta Deum placatum, & ſanguinem illum videri deſiiſse. Quæ oppido ſunt fabuloſa.

TITVLVS LIV.

Malachias.

מלאכי

MAlachias quia Parentis, & Patriæ nomen tacuit, nec temporis mentionem ullam fecit, e moribus, verbis, nomine putatus eſt Angelus. & hoc ſerio credidiſse Origenem. utique mirum non eſt. cum idem in Joanne Baptiſta crediderit Tertullianus. Hominem tamen omnes fatemur, & natum è tribu Zabulón, patria Sopha Oppido ſcribit Epiphanius: verùm quia ut idem adnotat, nomen hoc Malachi (quod Hebraicè eſt *Angelus meus*) non à parentibus naſcens habuit, ſed progreſſu ætatis ex hominum de ſe judicio conſecutus eſt, ideo quibuſdam mota ſuſpicio eſt, eundem eſſe Malachiam, & Mardochæum, vel Eſdram. Quæ ſententia Tract. Meghilla Cap. I. ſic recenſetur. *Dixit Rau*: *Malachias eſt Mardochæus*. *&* *quare vocatus eſt Malachias*? *quia erat primus poſt Regem* (reſoluto nomine מלאכי in מלך quod Regem ſignificat, & א quod primum) *Contra obiicitur Vetus Traditio*, *quæ ait*. *Baruch F. Neriæ*, *Saria F. Machaſiæ*, *Daniel Vir deſiderioſum*, *Mardochæus Balſan*, *&* *Haggæus*, *&* *Zacharias*, *&* *Malachias omnes fuerunt anno* 11. *Darii*. *ecce ponit Mardochæum*, *&* *Malachiam diverſos*; ibidem alia recenſetur opinio, putans eum eſſe Eſdram. *R. Joſue filius Chorcha dixit*: *Malachias eſt Eſdras*: *Sapientes dixerunt ſic vocatus eſt*. *R. Nachmain*.

F. Iſrae-

F. Ismaelis idem credit. Constat eum ab Esdra, & Mardochæo esse diversum. An vero Esdræ, vel Mardochæi nomen habuerit, parum refert. Quartus Esdræ liber C. 1. videtur indicare eum olim vocatum esse Malachi, quod est Angelus meus, postea *Malach-jah*, quod est Angelus Domini. Sic enim ait. *Et Malachias qui & Angelus Domini vocatus est*. & quibusdam videtur ad nomen suum allusisse cum dixit Cap. 11. v. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ipsius, quia Angelus Domini exercituum est*. & cum Cap. III. dixit. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam ante faciem meam*. quorum illud de quovis Sacerdote, hoc de Joanne Baptista, neutrum de se dixit. De tempore vero, quò vixit, rectè Zemach Dauid. *Scriptura non indicat nobis Prophetæ hujus ætatem, sed traditione habetur eum fuisse tempore Haggæi, & Zachariæ, quia sic scribit Seder Olam Cap. XX. & Rabbini nostri dicunt Mardochæus Judæus, Haggæus, Zacharias, & Malachias prophetarunt eodem tempore. nempe anno secundo Darii. Hi vero tres Haggæus, Zacharias, & Malachias fuerunt ex Viris Magnæ Synagogæ. Sicut explicat R. David Kimchi initio Comm. in Malachiam. quo ait fieri posse, ut Malachias ultimus fuerit. licèt nusquam meminerit Templi secundi ædificati*. Quod ait fortè Malachiam esse ultimum Prophetarum quorum extant Vaticinia, valde credibile est. Nam inter duodecim minores ultimus recensetur apud omnes. licet in aliorum ordine varient Hebræi, Græci, & Latini. IV. Esdræ I. ultimus nominatur, & passim auctores Hebræi, & exteri eum ultimum numerant. Quibus accedit conjectura, quòd velut ultimus ultimis verbis Eliam Hebræis promisit ante diem Domini venturum. Non quod alii postea non fuerint, qui Sacros libros scripserint; nam saltem Macchabæi, & Ecclesiasticus post Malachiam certo scripti sunt: sed de iis loquor qui peculiari nomine Prophetæ vocantur.

TI-

TITVLVS LV.

Daniel.

דניאל

DAniel nobilissimum germen ignoti Patris, e Tribu Juda fuit, ut scribit Epiphanius, & coniici potest ex eo quod IV. Regum XX. scribitur e Sanguine Regio fuisse. Nomina sortitus est plura nam Daniel à suis vocatus, ab Angelo cognominatus est *Vir Desideriorũ* איש חמודות hoc est Vir, qui simul scire, atque intelligere multa desideret, simul ab omnibus ipse desideretur in Berachoth Cap. I. scribitur. *Angelus salutavit Danielem his verbis: Desideratus tu coram Deo, & in excelsis laudatus, & inter homines ævi tui expetitus. & ob hæc omnia vocatus est Vir desideriorum*. Ab Rege vero Babylonis vocatus est *Balthassar*. Sed notandum est nomen Regis ipsius scribit בלשאצר *Belsciazar* Dan cap. v. 1. at nomen Danielis 16. v. 12. בלטשאצר *Beltsciazar*. & si Rex Cap. VII. v. 1. Vocatur iterum aliter בלאשצר Hebræi nomen exterum ad suas origines revocant, & dicunt Regem ideo sic vocatum, quia בלש *Scrutatus est* אוצר *Thesaurum*. hoc est in thesauro jussit sacra Vasa quæri, ut iis in Convivio abuteretur: alii solvunt hoc nomen in tria בל *Bel*, אש *Ignis*, צר *hostis*, sed Danielem ajunt vocatum addito Tet, quasi בלטש אוצר *Bel asseruat thesaurum*, & quidem Bel, non solum Deum Chaldæorum significat, sed simpliciter *Dominum*: Est enim בעל Hebraicum, elisa tantum

tum litera ע, quæ sæpè sic solet elidi. R. Saadia quærit quare nomen Regis careat litera *Tet*, quam habet nomen Danielis? respondet, quia non טשה *recondidit*, sed prodidit thesaurum Sacrorum Vasorum; idem R. Saadias apud Aben Ezra in Comm. Dan. 1. v. 7. ait *Zar* esse Chaldaicam nominum terminationem, sic Salmanasar, Nabuchodonosor, Balthasar, aliaque nomina Chaldæorum; eam Syllabam ער extremam habent. Quartum nomen invenio tributum Danieli *Sassabasar*. Nam ad illud Esdræ 1. v. 8. *Protulit autem ea* (vasa Templi) *Cyrus Rex Persarum*, *& per manum Mithridatis filii Gazabar*, *& annumeravit ea Sassabari Principi Judæ*. Hebræi Veteres dicunt. *Quis iste* ששבצר *Sassabasar? ipse est Daniel. & quare sic vocatus est? quia sub illo transierunt* שש צרות *sex calamitates*, *infortunia*, *adversa*. R. Salomon in eum locum, suo more à Veterum traditionibus non recedit. at R. Aben Ezra putat hunc Sassabarem intelligi oportere Zorobabelem Principem Juda: & sanè oportet; nullus enim alius eo tempore Princeps Juda fuit. Nam & Cap. v. dicitur *hic Sassabasar* fuisse Princeps ædificandæ Vrbis, ac Templi. Quintum nomen adde, si placet, quo eum contracte vocant *Dal* primæ literæ ultimam jungentes. Nomen autem *Dal* דל *inopem* significat: ajunt autem David ad eum respexisse cum dixit: *Suscitans de pulvere inopem*. דל *Vt collocet eum cum Principibus*. sic Tanchuma, & ex eo Jalkut in Samuelem num. 86. sed jam de nomine satis. Quanta Danielis, & Virtus, & Sapientia fuerit, & quam omni tùm innocentiæ, tùm scientiarum divinarum, humanarumque cumulatus ornamento, collige ex Ezechiele. Illud ex c. xiv. *Si fuerint tres Viri isti in medio ejus Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas &c.* Cur hi tres potissimum nominantur R. Salomo causam reddit, quia tres hi e summis calamitatibus erepti. Noe ex diluvio; Job ex Clade filiorum, bonorum, sua; Daniel ex lacu leonum. R. David Kimchi, quia hi tres potissimum ternas rerum vicissitudines videre. Noe mundum florentem, mersum, denuo florentem. Daniel templum stans, eversum, denuo restitutum. Job do-

domum suam; ac seipsum felicem, miserum, ac rursus felicem. Has tres vicissitudines rerum vocat tria sæcula singulorum. Alii, quia tres hi celeberrimæ innocentiæ, ac justitiæ habebantur: hoc menti Auctoris accommodatius. Alterum vero, sapientiam Danielis collige ex Cap. xxviii. v. 3. de Principe Tyri. ***Dedisti cor tuum quasi cor Dei. Ecce sapientior es tu Daniele. Omne secretum non est absconditum à te.*** Hæc verba significant inter homines ea ætate nihil fuisse Daniele sapientius; quandoquidem qui hunc se putet excedere, ut putabat superbus ille Rex Tyri, ille supra hominem se putet sapere, ac Deo æquare se velit. Nec temere de Daniele dicebat Nabuchodonosor, ipsum habere ***Spiritum Deorum Sanctorum***. Dan. iv. v. 6. & 15. Scripsisse autem plurima cum diu vixerit non procul a vero abest: quæ vero ejus nomine notentur, hæc reperio.

דניאל Daniel.

Alter Vaticiniorum liber.

Onirocritica.

Daniel apud Hebræos integer non extat: desunt enim capitis tertii ea pars, quæ continet trium Juvenum Ananiæ, Azariæ, & Misaelis Carmen, & Caput XIII. quo Susannæ historia continetur, & decimum quartum quo describitur historia Belis à Daniele interempti. quos hiatus Latinæ editionis integritas explet. Qui vero fieri potuerit, ut hæc apud Hebræos desiderarentur, ea causa redditur, quòd Viri magnæ Synagogæ, à quibus hic liber post reditum è captivitate vulgatus est, & relatus in Canonem, minimè integrum eum habuerint; postea integer sit repertus, & consequentium ætatum, & Christianæ Ecclesiæ auctoritate sit receptus, Hebræis interea tantum illa retinentibus quæ primus Canon sub Esdra editus Sacra esse voluisset. Quo pacto autem Porphyrii calumniæ, Africani dubitationes, ac cæterorum, qui has Danielis partes reiiciunt, argumenta solvenda sint, alii solerter, ac strenuè prose-

cuti nobis eum laborem præripuerunt.

ALterum librum Vaticiniorũ Danielis inter Apocryphos refert Synopsis Athanasii: ex quo credi potest fortè nonnulla ex iis, quæ Danieli tribuit, Vaticinia desumpsisse Epiphanius. Nam in ejus Vita multa ejus Oracula recitat, quæ Danielis liber non habet.

ONirocritica Danielis antiqua impostura. legitur & latino Carmine hujusmodi liber inter vulgi nugas. de quibus operæpretium non est plura hìc addere.

DE Daniele hæc Hebræi. *In Berachoth* Cap. 1. exauditus est inquiunt, ob merita Abraham. cum enim diceret למען אדני per *Adonai* perinde fuit, ac dicere: per Abrahamũ, qui primus hoc nomine te vocavit. Tractatu Joma, Cap. de Die Propitiationũ חכמי האומות בכף מאזנים אחרת בכף שניה היה מכריע את בולם אם יהיו כל ודניאל *Si essent omnes Sapientes Gentium in una lance libræ, & Daniel in altera, solus præponderaret omnibus.* Tract. Bava Bathra c. 1. dicitur, Daniel subiisse pænam ob Consilium Nabuchodonosori datum: *Peccata tua eleemosynis redime*. quod sanè mihi fictum videtur, ex odio, quo Judæi reliquas gentes prosequuntur: tamquam Deo displicere potuisset hæc Danielis in Regem illum charitas. Multo detestabilius est, quod Tract. Meghilla cap. 1. dicunt errasse Danielem in annis Captivitatis. Scilicet cum ab hoc Vate historico aperta denunciatione venturi Messiæ post annos septies septuaginta, sic premantur, ut nullum iis effugium supersit, hoc unum reliquum habent præsidium, si Prophetam errasse contendant. Et fortè ideo minus æqui, ac faventes videntur esse Danieli (nam neque illum in serie traditionis Theologicæ reponunt, neque ullam pæne mentionem tanti Viri faciunt qui eorum Theologicam historiam scribunt, Maymonides præfatione in Seder Zerachim, R. Abraham in Kabbala, Juchasin, aliique) quod nequeant hunc æquis oculis aspicere cujus se vident auctoritate jugulari. Quod vero Hieronymus ait in Præfatione Translationis Danielis. *Illud admoneo non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas,*

sed

ſed inter eos, qui agiographa conſcripſerunt. Non ità intelligendum tamquam Hebræi negent Prophetam eſſe Danielem. Sed quòd in Sacrorum librorum partitione, ea claſſis, quæ *Prophetæ* vocatur, Danielem non habeat. Quo ſenſu, nec Salomo, nec David, nec Job ſunt inter Prophetas, ſed inter Agiographa. Libet adnotare quid Judæi ſentiant, & ſcribunt de Suſannæ hiſtoria. Hæc igitur Zemach David. *Suſanna Filia Helchiæ, uxor vero Jebojakim Sacerdotis fuit. Cui cum duo ſenes Judices vim inferre voluiſſent, reſtitit. Illi vero eam de adulterio cum juvene quodam falsò detulerunt. Cumque Judices eam morte damnaſſent, Daniel ſua eximia ſapientia eam periculo eximit: inſtituto examine, quo eorum teſtimonia minime inter ſe convenire oſtendit. Scriptum hoc in libello Suſannæ, qui apud Chriſtianos pro ſacro habetur, apud nos non item, pars autem hujus facti narratur in libro Juchaſin. fol. CXXXVI. qui liber adnotat rem accidiſſe ſub tempora Sedeciæ regis Juda circa annum Mundi MMM.CCC.XXX.* Hæc Zamach David parte ſecunda.

TITVLVS LVI.

Habacuc F. JESV.

חבקוק בן יהושע

HAbacuc F. JESU Propheta ſcripſit hiſtoriam Danielis Filii Abda Levitæ, cujus hiſtoriæ partes eſſe narrationes, quæ in Prophetia Danielis habentur, de Suſanna, Belo, & Habacuc nonnulli putarunt, uti ex D. Hieronymo refert Sixtus Senenſis lib. VIII. Hæreſi VI. Initium hiſtoriæ hoc erat: *Homo quidam erat Sacerdos nomine Daniel Filius Abda, conviva Regis Babylonis.*

TITVLVS LVII.

R. Dositheus F. Janai, & R. Sebi.

לרוסתאי בן ינאי ור׳ סבי

R. Dositheus filius Janai, & R. Sebi antiquis Hebræorum Commentariis traduntur hoc tempore Gentem Samaritanorum novis institutis, ac legibus informasse. Nota historia ex IV. Regum XVII. num. XVII. quo narratur Assyriorum Rex misisse incolas novos qui terram Israel colerent. Eum Regem Sennacherib fuisse Hebræi dicunt, quem cùm Salmanasare confundit Eusebius; alii melius distinguunt. Eos autem qui missi sunt Epiphanius ait vocatos esse Samaritas e causis simul quatuor: Primum à *Somor* qui primus eam terram obtinuit, deinde à *Somoris* urbe præcipua, tertio à terra custodienda, quarto à servanda lege Mosis: at S. Hieronymus passim Samaritam custodem interpretatur. quod non video, cur Scaligero in suis ad Eusebium notis adeo displicere debuerit. Sanè à Verbo שמר optime illa deducitur appellatio. Sed ut ad eos quos proposuimus deveniamus, Pesikta, quem & Jalkut in Reges numero CC.XXXIV. refert, ita narrat. Novos incolas Leones exagitabant, nec patiebantur tutò, & quietè degere. Quemadmodum Sacra narrat historia, *Immisitque Dominus Leones qui interficiebant eos*. Quamobrem inquit Pesikta. *Miserunt novi Samariæ incolæ legatos ad Regem, qui dicerent: Domine Terra ad quam nos misisti, non recipit nos. Quibus auditis Rex Judæorum primores ad se vocari jussit. & quid inquit, apud me tantum vestram illam patriam laudatis? en illa non patitur cultores. Ad quæ illi rati se hoc responso effecturos, ut Rex eos in patriam remitteret: Domine inquiunt, terra illa non recipit gentem, quæ non sit circumcisa, & legem Mosis non noverit. Tùm Rex: Date mihi duos ex vobis, qui eant, ut cir-*

cum-

cumcidant illos, qui ibi sunt, & doceant eos legem Mosis, & miserunt R. Dositheum filium Janai, & R. Sebi. & erant docentes eos librum legis. בכתב נגוריקון *Scriptura Notarikon.*

Sacra historia narrat unum è Sacerdotibus à Rege mitti jussum, & unum à Judæis missum. Sed Hebraica traditio habet duos, verisimile est enim Dositheum filium Sanai fuisse Sacerdotem, qui velut nobilis, patris addito nomine commemoratur, alterum vero sibi ignobilem, qui famulus, ac Minister Dosithei missus, postea uti dicemus, & ipse factus est auctor Sectæ. Quod verò ajunt legem scriptura Notarikon eis traditam, duplex potest esse verborum sensus. Aut enim quod apud Hebræos sonat Notarikon, singulorum verborum unica tantum, ac prima litera tradita est. Ut si loco primi versus, traditum eis fuerit hoc Symbolum בבא סואה quod minime credibile est. Aut certè scripturam *Notarikon* vocarit eam qua utebatur vulgus, & Notarii, seu Scribæ: duas enim scripturas Hebræi habebant; quarum altera tantum in sacris utebantur, & Sacerdotalis vocabatur, alteram usurpat vulgus, & in profanis argumentis usui erat; hæc *Notarikon* fortè hic vocatur, voce semilatinogræca. & quia prior illa apud Hebræos in Assyria remansit, posterior hæc Samaritanis tradita est, illam scripturam Assyriam, hanc Samaritanam vocarunt. Hac igitur legem Samaritanis tradidere Dositheus, & Sebi. Atque hic profecto est ille Dositheus auctor præcipuæ Samaritanorum Sectæ, cujus meminit Epiphanius hæresi XIII. eum tradens à Judæis ad Samaritas transitum fecisse; ac vana ostentatione jejunii in spelunca demum extinctum. Hic pariter ille est Sebi, ex quo Sebuæi altera Samaritanorum secta, quam idem Epiphanius memorat, auctore prætermisso: sed quod eorum nominibus titulus *Rabi* additur, mirum est, cum alioqui dicatur ante Hillelis tempora nunquam usui fuisse.

TI-

TITVLVS LVIII.

Baruch.

ברוך

BAruch F. Neriæ, Filij Maasiæ, Filii Sedeciæ, Filii Sedei, Discipulus, & Scriba Jeremiæ fuit, Magister vero Esdræ; scripsit librum Baruch quem Hebræi non recensent inter Sacros, Antiqui tamen Patres, & Christiana Concilia cum pro sacro semper habuerunt. Quidam autem hunc librum à Jeremiæ libris non distinguunt; cum enim ex illis Baruch scripserit, Jeremia dictante, visum est omnia, quæ Baruch scripserit, tribui posse Jeremiæ. De hoc Juchasin. *Baruch Filius Neriæ mortuus est Babylone, & non ascendit in terram Israel. Quia Esdras non ante ascendit in terram Israel quàm Baruch Magister ejus moreretur.* Studio scilicet ab eo plura discendi: Quæritur inter Hebræos an Baruch Propheta fuerit. R. Isaac Abarbinel negat, infirmo usus argumento, quod non Propheta cognomine vocetur, sed Scriba. idem videtur Mechilta dicere. *Omnes*, inquit, *Discipuli Prophetarum prophetarunt, preter Baruch*. Quod refert Jalkut sect. *Bò*: sed nemo credat omnes discipulos Prophetarum fuisse Prophetas; certè enim Giezi Propheta non fuit. Nemo etiam credat Baruch Prophetam non fuisse, cum vel Hebræi eum in serie Traditionis penultimum Prophetarum ponant, & Vetus liber *Halachoth Ghedoloth*, uti supra dixi, eum & Neriam ejus patrem referat inter XLVIII. Prophetas Israelis. Vocatus est alio nomine יהודי *Judi*, idest Judæus. quod cognomen etiam Mardochæo datur. sed illi tantum ex gente cognomen hoc erat à Chaldæis inditum. hic autem Judæus cognomento vocatus est, etiam inter Judæos. Aliud ei nomen adscribunt in Tract. *Moed Katon*. ex Jer. XXXVIII. v. 10. *Præcepit itaque Rex Abdemelech AEthiopi dicens: tolle*

tecum

tecum hinc triginta Viros, & leva Jeremiam Prophetam. Hunc ergo Abdemelech dicunt fuiſse Baruch, qui vocatus ſit ſervus Regis, hoc enim ſonat Abdemelech. AEthiops verò, quod in aula diſcolor cæteris viveret. ſcilicet ideo Aethiops vocatus, quia inter AEthiopes ſolus eſſet candidus. quæ profectò levis, ac nullo fundamento nixa traditio eſt. Cur autem Jeremias hunc Virum ſcribam ad ea, quæ Deus illum vaticinari juberet, adhibuerit, quæri poteſt. nam non ita facile invenientur alii Prophetæ ſcribam, atque amanuenſem habere voluiſse. Cur igitur unus ex omnibus id viſus eſt voluiſſe Jeremias. Quidam ex Hebræis dicunt eum minus eruditum fuiſse humanis artibus, imò Grammaticæ artis ignarum, ut proinde opus fuerit Scriba, qui ſicubi adverſus præcepta benè loquendi offenderet, ſubmoneret. R. Iſaac Abarbinel in prooemio in Jeremiam diſputans de locis in quibus Lectio, à Scriptione diſſidat, quæ vocantur *Keri*, *Ketib*, ait eas diverſitates magna ex parte inde ortas, quòd Prophetæ Grammatices ignari ſic locuti ſint, Scribæ poſtea alitèr correxerint. quod ut probet, ait plurimum eas diverſitates inveniri in libris, quos à Jeremia ſcriptos dicunt. *Ecce*, inquit, *magna pars horum variarum lectionum, quæ inveniuntur in Jeremiæ libris, invenitur eſſe ex hac ſpecie, quod eas ſcilicet Jeremias ſcripſerit* במעות ובשגגה *Ex errore, & ignorantia*. Sed R. Jacob Chaym in præfatione in Biblia majora graviter hujus Cenſoris audaciam redarguit, quod vel in levicula re erroris, & ignorantiæ nomen impingere audeat Prophetæ, qui potius, ſi quid præter communem uſum à Propheta ſcriptum eſſet, vel prudentiæ, ut populo ſic loquenti ſe accomodaret, vel Dei voluntati tribuere debuiſset. Cauſam igitur quare Jeremias Scriba uſus ſit, non ignorationem linguæ, aut ſcripturæ, nec ſegnitiem, ac fugam laboris, ſed altiorem aliquam, ac tanto Vate dignam reddi æquum eſt.

TI-

TITVLVS LIX.

Mardochæus.

מרדכי

MArdochæus cognomento Judæus, & Balsan, Filius Jairi, Filii Semei, Filii Cis, de Tribu Beniamin Vir eximiæ tùm in avita religione constantiæ, tùm in rebus gerendis solertiæ, ac prudentiæ, Theologus quoque, ac Propheta, & Princeps Academiæ apud Babylonios Hebræos fuisse traditur ejus vita, resque gestæ libro Esther satis celebres, nostri calami commendatione non egent. Scripsisse vero dicitur etiam nonnulla uti sunt.

דברי מרדכי Historia Mardochæi.

אגרות אל היהודים Epistola ad *Judæos.*

UTriusque Scriptionis meminit liber Esdræ, Cap. IX. *Et scripsit Mardochæus omnia verba hæc, & misit ad omnes Judæos Epistolas.* Postea de aliis Epistolis additur, quas de Festo Purim celebrando scripserit. Quæri potest, an Historia Mardochæi sit hic ipse liber Esther, quem habemus. Affirmant Viri docti Genebrardus, Bellarminus. at veteres Augustinus, & Isidorus adscribunt Esdræ. Hebræi vero in Bava Bathra Viris magnæ Synagogæ. inter quos uterque numeratur, & Mardochæus, & Esdras. Alii collata opera librum à Mardochæo, & Esther scriptum volunt. Verùm id unum constat, Mardochæum, & Esther singulos seorsim Commentarium scripsisse. Id quoque certum est, hunc qui extat, in Canone semper, atque apud omnes pro sacro habitum. Auctoris notatio non ita certa est. Præter ea verò, quæ de Mardochæo narrat liber Esther, plura Hebræi memorant, à quibus in Festo

Purim

Purim penè ad insaniam, uti mox referam, ejus memoria colitur. Pesikta longam texit historiam quid ei cum discipulis, quos multos habebat, contigerit; quid cum Amano: sed his omissis referam quid *Bereschith Rabba* sect. XXXIX. de Abrahami, Josvæ, Davidis, Mardochæi numismatis referat. *Faciam te in gentem magnam. & magnificabo nomen tuum. Quatuor sunt quorum numismata dispersa sunt per Orbem. Abraham, quia scriptum est: Faciam te in gentem magnam: & quod erat ejus numisma? Altera ex parte Senex, & Anus, ex altera verò Juvenis, & Puella. Josve, quia scriptum est, & fuit Deus cum Josve, & auditum est in universa terra: numismatum nempe dispersione. & quale erat ejus numisma? Taurus ex altera parte, &* Unicornis *ex altera. juxta illud: Sicut primogeniti Tauri plenitudo ejus, cornua rhinocerontis cornua ejus. David. quia scriptum est, & egressa est fama David per universas terras. & quale erat ejus numisma? ex altera parte erat Pedus, & Pera. ex altera Turris. Mardochæus. quia scriptum est, & magnificatus est Mardochæus in domo Regis, & fama ejus ibat per omnes Provincias. & quale erat ejus Numisma? ex altera parte Saccus, & Cinis, ex altera vero Corona aurea.*

Id quoque de Mardochæo notatu dignum, quod ei longæuum senium Hebræi largiuntur ultra annos quadringentos. Juchasin fol. XIII. *Mardochæus vixit ultra CCCC. annos. Hic vocatur in Misna Patachias: vocabatur autem sic, ideo, quod calleret linguas LXX. & aperiret etiam ora mutorum.* (*Patach* enim aperire est) *Dicitur, & in Tractatu Menachoth Capite R. Ismael, superfuisse tempore Machabæorum. & tempore Hircani, & Aristobuli. qui sub finem Regni Assamonæorum vixere, annis ab ædificato Templo secundo plusquam trecentis. Quin R. Salomo in eum locum explicat. Hic ille Mardochæus, qui sub Assuero celeberrimus habetur.*

TITVLVS LX.

Esther Regina.

אסתר המלכה

Esther insignis Heroina, quæ sibi regnum, suis incolumitatem, & gloriam non tàm pulchritudine, quàm pietate, & sapientia peperit, filia fuit Abichail fratris Mardochæi; licet Græca editio capite LIII. filiam Aminadab dicat; & Svidas Mardochæum vocet ejus *μητράδελφον Avunculum*. Hanc posthumam, & matris etiam obitu natam, ut Cap. 1. Tract. Meghilla dicitur (Cæsareæ profectò indolis) Mardochæus excepit, utriusque parentis loco ci futurus. Mirum est, quod Hebræi tradunt in Berescith Rabba sect. XXX. (refert Jalkut in Sectionem Noe) cum quæsita diu Nutrix deesset; *adfuisse patrui studio*, & sollicitudini præpotentem opem numinis, & virile pectus muliebri lacte donasse. Itaque Estherem à Mardochæo *lac* suxisse. Crevisse eam deinde non magis ætate, quam sapientia, & virtute, præsertim ea, quæ maximè Virginem decet modestia, adeo ut Midras scribat (refert. Jalkut in Esther nu. 1053.) rem fortè majorem fide. היתה מטמנת עצמה ולא נראית לשום אדם בד' שנים *Abdidit se, ita ut nulli hominũ conspicienda se daret annis XXIV.* digna quã Rex amaret, quæ se adeo sollicitè vulgi oculis subriperet. Ejus pulchritudinẽ Sacræ literæ indicant. Hebræi de illa sic ex antiqua traditione, ut Jalkut loco cit. ארוכה רלא קצרה וירקדקת היתה נחוט של חסד משק עליה היתה ביהנית לא *Mediocris erat staturæ, nec procera, nec brevis, pallidula, & filum gratiæ extentum super ipsam.* quod vero dicunt in Berescith Rabba, jam quadragenariam, aut eo majorem fuisse cum

cum ad Assuerum ducta est, nec verisimile est, nec Sacræ narrationi congruit. Nomen illi duplex: *Esther*, & *Hedesa*, quod est Græcè *Myrto*, Hebraicè enim Hedes Myrtus est. Simile nomen habuisse videtur Assyria illa Regina, quam Clemens Alexandrinus tradit adeo scitè, & concinnè scripsisse Epistolas, ut ejus scriptionis prima formam Assyriis tradidisse, dicta sit. Atosam vocant: nomine adsimili, & forte eodem. Quin etiam sollicitor credere ipsam Esther, cujus plures Epistolæ ejus libro citantur, hanc Edesam, sive Atosam fuisse; tametsi hanc faciunt vetustiorem, & Assyrii, non Persæ Regis Conjugem. Sed quantum in eo veteres varient, vide vel ex Conone apud Photium. Josephus Scaliger hanc ipsam ait esse *Αμιστριν*, uxorem Xersis, cujus in Græciam expeditio celeberrima est. & nomen Estheris agnosci vult in voce Am-Istris. Scripsisse autem Esther hæc dicitur

ספר מה שאידע לה Commentarium de rebus suis.

מאמר אסתר Sermo Esther;

אגרות Epistolæ.

COmmentarium ab ea scriptum; quo eorum; quæ illi acciderant, memoriam posteritati commendaret, Græca hujus libri editio diserte scribit, *καὶ ἔγραψεν ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα θυγάτηρ ἀμιναδὰβ καὶ μαρδοχαῖος ὁ ἰουδαῖος ὅσα ἐποίησαν*. *Et scripsit Esther Regina filia Aminadab, & Mardochæus Judæus quæcumque fecerant*. ac si neuter alterius res, sed quisque suas scripsisset: quod pro eorum sententia facit, qui libri ejusdem utrumque auctorem faciunt. qui & hunc ipsum putant librum esse ex utraq; narratione compositũ. Sed cũ Cap. 9. dicatur ומאמר אסתר קים דברי פורים האלה נכתב בספר *Et sermo Esther confirmans verba Purim istorum conscriptus est in libro*. Observant Hebræi librum cui additus erat sermo Esther non esse hunc, sed alterum aliquem eo tempore, quo hæc scripta sunt notum. Nam ut R. David notat non temere

 dicitur

dicitur בַּסֵּפֶר ubi Daghes, quod est in Samech indicat *He* demonstrativum, quod est nota rei certæ, ac digito designatæ, ac si diceret in libro illo satis noto. quamobrem præter hunc librum quem habemus extat alius, & in eo sermo Esther confirmans festi Purim institutionem, quem longa ætas nobis invidit. Epistolam scripsisse dicitur Esther ad Judæos, quæ secunda est, primam enim solus scripserat Mardochæus. de qua cap. 9. *Scripseruntque Esther Regina, & Mardochæus Judæus etiam secundam Epistolam, & miserunt ad omnes Judæos.* Quamquam Hebræi hæc omnia, quæ Esther scripsisse dicitur non ab ea, sed ejus nomine à Mardochæo scripta fuisse dicunt. quare Thargum. eodem cap. ix. vertit יתכתיב מגלתא בפטקא נעל יד מרדכי *Et per manum Mardochæi scriptus libellus in libro.* Et Tract. Meghilla cap. 1. dicitur. *Misit Esther Regina ad sapientes, ut scriberent ejus historiam in libro. & renuerunt ei obsequi. Donec invenerunt ex lege id licere fieri.*

Singulare vero est inter Hebræos libelli Esther pretium, atque amor incomparabilis. quippe dum tale exemplum quandoque revocari sperant; rei hujus historiam quotannis incredibili plausu, ac lætitia celebrant. Nec modo duos dies, quos se sacros quot annis semper habituros Esther nono polliciti sunt, servant: sed quod nunquam polliciti sunt, epulis omnique ludorum genere indulgent, & prorsus bacchanalia hoc biduo apud eos sunt. Scribunt quidam pro crimine haberi, nisi quis hoc biduo vino permadeat. & sane R. Isaac Tirna in Minhaghim scribit, his diebus helluari, & pergræcari non modo crimen non esse, sed singularem, ac præcipuam esse pietatem. Perlegitur hic libellus publicè in Synagoga eo ferme modo quo lex. Ritum hunc tradunt eorum auctores. Intendentibus se tenebris, in Synagoga pluribus quàm soleant facibus, & lucernis omnia collucent. Tùm Chazam, idest Præcentor, librum Esther, qui *Meghilla* dicitur explicans in ampla membrana instar Epistolæ scriptum (nam & Epistola vocatur cap. ix.) perlegit ad finem usque. nulli Judæorum licet abesse. dum legitur ad nomen Aman, pueri vociferantur, & fremunt, & manus complodunt. vulgus omne

exclа-

èxclamat, maledictus Aman, Benedictus Mardochæus. Maledicta Seres. Benedicta Esther. Nam ut Seres uxor Amani erat, ita Esther uxorem postea Mardochæi fuisse prisci Hebræi nescio unde commenti tradiderunt. Quin lapidem cui nomen Amanis inscriptum est altero lapide toties tundunt, dum ejus nomen deleant, illud iterantes *Deleatur memoria ejus*. ut liber *Orach Chaym* scribit. Hæc aliaque illi dum librum hunc publicè legunt. quem ritum scribunt ab ultimis Prophetis institutum esse, atque hoc unum additum ad legem Mosis; cum nihil hactenus ausi essent addere XLVIII. Prophetæ, ut scribunt Tract. Meghilla c. 1. Factum ipsum Persico vocabulo *Purim*, ideft *Sortes* vocatum, Græci φροῦρα quasi ἀπὸ τῆς φρουρᾶς à custodia nominarunt. Quidam hoc nomen Esther idem esse dicunt, quod apud Græcos ἀστὴρ, & volunt ab Ethnicis Estherem in Deos relatam, ipsamque esse Astræam, quæ gladium vindicem vibravit opportunitate captata è Græcis verbis: καὶ ἐσθὴρ λόγῳ ἔστησεν εἰς τὸν αἰῶνα ἐγγραφεὶς μνημόσυνον, *Et Esther sermone stetit in æternum, & scripta est in memoriam*. Ac si sermonibus scriptisque in Coelum relata, & Sideribus addita æternitatem gloriæ consecuta sit. Alii ad Astartem referunt. Svidas Ἀστάρτη ἡ παρ᾽ Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη ἐκ τοῦ ἄστρου τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκυῖα· τοῦτον γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσιν *Astarte id quod Græcis Venus, ab Astro dicitur, ipsius enim esse Luciferum fabulantur*. ac de Esthere Vetus Traditio habet eam Auroræ comparatam, ut notat Jalkut in Psalm. num. 685. Quæ res mihi opportunitatem dat iucundam simul, & criticæ utilem hùc, accersendi narrationem alterius antiquioris Esther. Quamvis enim huic argumento necessaria non sit, ingrata Lectori cupido præsertim arcanæ eruditionis, ut spero, non erit.

Esther alia Vetus à Judæis fingitur, & qua Græci suā Astræam expresserunt; ea Hebraicè אסתהר vocatur, *He* interiecto. Hebræi pronunciant Astahar, de qua Vetus auctor *Midras Abchir*, quæ scribat ipsis verbis referam, quæ recitat quoque Jalkut lectione Bereſcith. Longa est fabula, sed fortè non inutilis, neque insuavis futura. quod vel inde doceamur Græcorum Poetarum fabulas, e Rabbinorum garrulitate manasse. Sic

ergo

ergo hi ex traditione R. Joseph, *Cum generatio illa, quæ postea diluvio periit, cultus impios suscepisset, Deum quodammodo pænitebat conditi hominis. cui adstantes Angeli duo Azael, & Samchazi dixerunt: Domine mundi, non ne tibi diximus cum velles hominem condere. Quid est homo quia memor es ejus? Ait Deus. Et Mundo quid fuisset sine homine. dixerunt: nos sufficissemus. Respondit. Atqui certum est si vos posuissem in mundo, etiam vobis pravam cupiditatem dominaturam fuisse, & vos futuros fuisse pejores hominibus. Dixerunt. Fac nobis potestatem, ut libere in terra versari possimus; & videbis quam pie vitam transacturi simus. Dixit illis Deus; Ite, habitate cum hominibus. Vix in terras venerunt, cum statim perperam agere cœperunt. Nam puellis quibusdam visis, quæ pulcritudine eximia erant earum cupiditate victi sunt. Samchazi præcipuè puellam quandam vidit aliquando, cui nomen erat Esther* אסטהר. *Quam cum sibi conciliare vellet, illa numquam, inquit, tibi assentiar, nisi me docueris nomen illud explicatum, quo pronunciato continuo in Cœlum evolas. Ille victus precibus eam docuit. Ea vero confestim nomine prolato Cœlum petiit, & sic vitavit ne pollueretur. Quo viso Deus, age, inquit, quandoquidem ista se corruptelæ exemit, venite statuamus eam inter septem sidera: & fixa, ac statuta est in sidere Septentrionali, quod Chima* כימה *dicitur. Nihilominus Samchazi, & Azael duxerunt uxores, & genuerunt filios inter quos fuerunt Henas, & Haja. Dos autem ejusmodi nuptiarum fuci, & ornamenta muliebria. Quod cum audisset Mittatron* (omnium Præses) *misit qui renunciarent Azaeli, & Samchazi. Deum velle continuo mundum diluvio perdere. Tunc eorum filii gemere, atque ejulare cœperunt. quibus ipsi, estote bono animo, dixerunt. nam nomina vestra nunquam inter homines in oblivione erunt. Semper enim ab iis clamabitur Heu, & Hai, sive cum dolebunt iniqua Regum edicta, sive cum gravia onera levabunt, sive cum naves in mare promovebunt, ita Heva, & Haja, semper in ore hominum erunt. Denique è duobus, Samchazi pænitentia ductus se ipsum suspendit inter*

ter

ter Cælum, & terram. Capite in terram obverso, & pedibus erectis in Cœlum. & adhuc ita suspensus suorum criminum pœnas luit. Azael vero in eadem mente perseverans à pristinis flagitiis non recessit, quin assidue mortales vexare, & ad malum urgere. Ideo filii Israel die propitiationis soliti erant duos hircos offerre, alterum Deo, alterum Azaeli addicentes. Multa sunt quæ mihi in hac fabula notatu digna videntur. Primum qua origine manarit ille error, qui docet ante diluvium Angelos mulieribus mixtos, & hoc significare illud, *Cum vidissent filii Dei filias hominum*, quod Septuaginta verterunt *Angeli Dei*: apparet enim ex hujusmodi Hebraica traditione manasse. Deinde qua occasione Græci post aureum sæculum exactum Astræam in Coelum fugisse dixerint, & insertam esse Sideribus. Nam quis non videt ex Asthahare, factam esse Astræam, & hanc esse, quam Græcis priores Hebræi fabulatores fuga in Coelum evasisse, dixerint. Tertio hoc esse, quod sidus illud septem stellarum, quod sertum vocatur, Græci Ariadnæ in mercedem ereptæ Virginitatis à Baccho datum scribunt. quod scilicet Hebræi priores finxerant Astaharæ in premium servatæ Virginitatis esse collatam. Quarto quod initio indicavimus, malos dæmones dotis loco dedisse mulieribus mundum muliebrem, quod ex Hebræis haustum Tertullianus de hab. mulie. scribit his verbis *Nam & illi qui ea* (ornamenta) *constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur. Illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum è Cœlo ruerunt, ut hæc quoque ignorantia fœminæ accedat. Nam cum & materias quasdam benè occultas, & artes plerasque non benè revelatas, se ulo multo magis imperito pe didissent, propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt.* ac deinde. *Quid autem tanti fuit ista monstrare? utrumne mulieres sine materiis splendoris, & sine ingeniis decoris placere non possent hominibus, quæ adhuc incultæ, & incompositæ, & (ut ita dixerim) crudæ, ac rudes Angelos moverant? an ne sordidi, & per gratuitum usum contumeliosi amatores viderentur, si nihil*

bil fœminis in connubium allectis contulissent? &c. Denique ille tamdiu pendens pedibus sublime suspensus Samchazi. quid sibi velit cogitent quibus mos est e fabulis philosophari. Postremo hanc fabulam, ut Judaicas plures Mahometani furati sunt. Liber Doctrina Mahometh. *Erant Angeli duo Aret, & Manet missi olim à Deo gubernando, & instruendo generi humano* &c. post multa ait eos in fœminam quandam euasisse, & concubitum petiisse. *Spondet illa*, inquit, *ea conditione, dum alter verbum doceat per quod ascendebant Cœlos, alter per quod descendebant: placet conditio. Cum ergo didicisset, elevata est subito, & ascendit Cœlos: quod cum videret Deus explorata causa posuit eam Luciferum pulcherrimam inter Stellas, ut erat inter fœminas.* Hæc ille.

TITVLVS LXI.

Assuerus Rex.

אחשורוש המלך

Assuerus Rex inter Scriptores Hebraicos locum obtinet plures ob causas, quarum hæc satis una esse posset. quod qui nobis liber vocatus Esther, hic Hebræis sæpè מגילתאחשורם *libellus Assueri* vocatur. Idem vero Rex quem Asuerum Hebræi, & Latini vocant, toto libro vocatur à Græcis Artaxerxes. quod indicio est nomina hæc ejusdem Viri esse, & Hebraicè idē esse אחשורנש, & ארתחשסתא *Achasveros*, & *Artbachsasta*. Proinde ea, quæ utrique nomini tribuuntur scripta conjunctim enumerabimus.

Hi-

ספר זכרונות ודברי הימים Historiæ, & Annales.

אגרות Epistolæ.

מופתי הערים Mirabilia Urbium.

H*Istoriæ*, & *Annales*. Esther VI. Assuerus, quò tædium vigiliæ leniat, jubet sibi perlegi *Historias*, & *Annales priorum temporum*. sed paulo post Cap. XII. dicitur: *Rex autem, quod gestum erat, scripsit in Commentariis*. ex quo apparet Annales illos non ab aliis scriptos, sed ab ipso Rege: nam videtur antiquis hic fuisse mos scribendi ea, quæ gererent. & fortè liber ille de quo cap. IX. dicitur. *Nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum Regum Medorum, & Persarum?* liber erat non ab uno scriptus Assuero, sed quo singuli Reges adnotabant quid ab se domi, forisque gereretur.

Epistolæ Assueri, sivè Artaxerxis duæ in libro Esther commemorantur, altera Cap. XIII. altera XVI. e Græco exemplari; Hebræi enim carent. Alterius vero Artaxersis Epistolæ ad Esdram huc non pertinent. Nam hoc regnante captivitas duravit, quam alter Artaxerxes partim solvit, partim à Cyro solutam invenit.

Mirabilia Urbium. Liber Hebræus Assuero Regi adscriptus in Bibliotheca Bavarica.

De Assuero Hebræi plurima. Obtinuisse imperium dimidii Orbis dicitur in Cap. R. Eliezer. Optasse vehementer fieri sibi Regiam sedem similem ei, qua Salomon sedebat, nec id ullo cujusquam artificio consequi potuisse. Midras. Cum Esthere antequam sciret eam esse Judæam interprete adhibito semper locutum, velut affatum, ac sermonem exteræ dedignatum: at postquam id scivit, sine interprete cum ea contulisse sermonem. quòd Hebraicus sermo apud omnes esset in pretio. Tanchuma. Convivii illius opes, & regiam munificentiam latè describunt Midras, Tract. Meghilla, Aba Gorion, aliique auctores, quos omnes Jalkut citat in Commentario. Sed præ omnibus illud

hoc loco Hebræorum dictum commemorandum est. quod cap. 1. Tract. *Ros hasciana* dicitur דריוש הוא ארתחשסתא הוא כורש הוא *Ipse Cores, Ipse Dariaves, Ipse Artachsasta.* idest *idem Cyrus, idem Darius, idem Artaxerxes*. Quod eorum dictum variè varii explicant: *Seder Olam*, & R. Salomo dicunt nomen Artaxerxis fuisse Regni non Regis nomen. Ut omnes AEgypti Reges olim Pharaones, postea Ptolemæi, omnesque Romani Cæsares, & Augusti. R. Azarias Edomi in *Meor Enaim* Cap. XVIII. explicat nomen Artaxerxes, ut *Arta* Magnum, *Xerxes* Victorem significet. & in Ghemara ejus loci, ubi dicitur eundem esse Cyrum, Darium, Artaxersem: additur. *Vocabatur* כורש *Cyrus, quia erat Rex Justus quasi* כשר. *Vocabatur Artaxerxes nomine communi. Vocabatur Darius nomine proprio*. & notat R. Salomo non unum Cyrum, non unum Artaxerxem; sed quemadmodum Assuerus, Artaxerxes quoque vocatus est, ita Darium quoque Cyrum appellatum. Quare quod R. Isajas in Esdram scribens impugnat hoc dictum allato loco e Seder Olam minore, ubi dicitur Darius ab Artaxerxe alius esse; id videtur nihil obstare: possunt enim simul esse diversi, atque idem nomen. Verum R. Azarias loco citato diligentissimè rem hanc pertractans, ostendit antiquos Hebræos sæpe cum dicunt hunc esse illum, non eundem hominem subesse utrique nomini, sed similitudinem aliquam inter utrumque intelligi velle. ita hunc locum explicari etiam à R. Zarachia Levite in Commentario in *Ros Hasciana*, sic dicere eos Sihon, esse Canaan, & Eliezer servum Abrahami esse Og gigantem, & Phinees esse Eliam: Hæc Hebræi. Quanto autem fastu Scaliger Interpretem libri Ester reiiciat, ac damnet, quòd Hebraicum nomen *Achasveros* verterit Artaxerxem, piget referre. Ait enim Aerxem fuisse vertendum. quippe אחשורוש mutile à Græcis proferri חשורש ξυέρσ inde ξέρξην factum, quod aliis est ἐξυάρης: cui ut omnia ista demus, facile est respondere Xerxem ab Artaxerxe sola illa dictione *Arta* distingui, quæ Magnum sonet, Proinde nomen esse idem. An autem, quod ipse divinat σατράπης Persice diceretur אחשדרפן unde

con-

constet non video. nam quod quidam vocetur à Theopompo ἐξατράπης non persuadet Satrapas debuisse, quod putat vocari ἐξαδρώπας. Illud quoque eget probatione, Convivium, quod libro Ester inducitur, illud fuisse, quod Xerxes in Græciam profecturus velut Genio placando celebravit.

TITVLVS LXII.

Esdras Scriba.

עזרא הסופר

ESdras genus ab Aarone describitur 1. Esdræ vii. v. 1. *Esdras filius Sarajæ, filii Azariæ, filii Helciæ, filii Sellum, filii Sadoch, filii Achitob, filii Amariæ, filii Azariæ, filii Majaroth, filii Zarabiæ, filii Ozi, filii Bocci, filii Abisue, fili Phinees, filii Eleazar, filii Aaron Sacerdotis ab initio.* Disciplina quoque ejus, & munus ibidem narratur. *Et ipse Scriba velox in lege Moysi.* Non tamen ideo, quia Scriba cognomento, & officio erat, Propheta non erat, ut minus sapienter argumentatur R. Isaac Abarbinel. Nam Prophetam eum fatentur Hebræi omnes, dum ordinem Theologicæ successionis recensentes, numerant Prophetas à Samuele ad Esdram: Denique cum liber Esdræ æque apud Hebræos, ac nos in Canone sit, profecto utrique coguntur eum fateri Prophetam. Auditor Baruch Prophetæ fuit, & non ante ascendit Babylone Hierosolymam; quàm ille esset vita functus. quare è postremis fuit, qui ab exilio se in patriam receperint. Midras præter hanc audiendi Præceptoris caussam, aliam affert, sic Deum voluisse, ut Jesus F. Josedech Summus Sacerdos esset. Nam si Esdras cum reliquis ascendisset, procul dubio ipse potius, quam Jesus Summum Sacerdotium omnium votis emeruisset. Atqui constitutum erat, ut quemadmodum primo populum ex AEgyptia servitute reducem Jesus F. Nun in Palæstinam duxerat, ita nunc secundò eandem

 gen-

gentem Babylone redeuntem duceret alter Jesus, eique amplissimo Sacerdotio præesset. vt vel sic discerent Judæi illud auspicium nominis sequi, & vbique Jesum Ducem quærere. Inter Esdræ virtutes eminebat humanitas, comitas, & facilitas qualis in Mose, ut passim Hebræi notant, è quibus Juchasin. Ea vero, quæ ipsi tribuuntur hæc sunt.

כתב Scriptio legis, & omnium Sacrorum Librorum.

תקון Correctio.

מלכים Libri duo Regum.

דברי הימים Libri Paralipomenon.

עזרא Libri duo Esdræ.

אסתר Liber Esther.

רד ספרים Libri CCIV.

ע ספרים Libri LXX.

חרם Anathema in Samaritanos.

תקנות Constitutiones.

Scripsisse fertur Esdras legem, omnesq; Veterum Prophetarum Sacros libros. Rabanus Maurus de Instit. Cleric. c. LIV. *Omnes Sacros libros Veteres divino afflatus spiritu reparavit, cunctaque Prophetarum volumina, quæ fuerant è gentibus corrupta, correxit, totumque Vetus Testamentum in XXII. Libros constituit. Ut tot libri essent in lege, quot habentur & literæ.* Duo sunt, quæ illi tribuuntur. Sacrorum librorum *Adinventio*, & *Innovata Scriptura*. Primum quidem ajunt omnes Sacrarum Scripturarum libros in Captivitate periisse, Esdram autem divino afflatu eos restituisse memoriter, ac nullius exemplaris adjumento. Svidas ἔτος ἐπὶ Ξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως νομομαθὴς ἄριστος γενόμενος τῶν μὴ εὑρεθέντων βιβλίων τὰς γραφὰς ἀναμνημονεύσας παρέδωκε τοῖς τοῦ ἔθνους. *Hic temporibus Xerxis Persarum Regis, legis peritissimus cum euasisset, Scripturas Bibliorum, quæ non*

repe-

reperiebantur memoriter restituens genti suæ tradidit. Videtur hæc plurium Græcorum opinio fuisse, cui favet Basilius Epistola ad Chilonem. *Hic campus*, inquit, *in quo secessu facto, Esdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit*. diserte autem dicitur IV. Esdræ XIV. ubi Esdras Deo sic loquens inducitur. *Positum est sæculum in tenebris, quoniam lex tua incensa est: propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & scribam omne quod factum est in sæculo ab initio quæ erant scripta in lege &c.* quod & factum postea narrat secessu dierum quadraginta. Huic sententiæ videntur favere Traditiones Hebraicæ in Sanhedrin c. 11. cum ita scribunt. *R. Jose dixit: dignus erat Esdra per cujus manus lex traderetur. sed quia prævertit Moses, ipse alter Moses fuit. De Mose enim dicitur: Et ascendit Moses ad Deum: Exodi XIX. & de Esdra: Et ascendit Esdras de Babylone. 1. Paral. IV. Ille ascensus ad legem, & hic ad legem. De Mose dicitur Deuteron. IV. Mihi præcepit Dominus tempore hoc, ut doceam vos præcepta, & judicia. & de Esdra 1. Esdræ VI. Præparavit Esdras cor suum ad quærendam legem Dei sui. & docendum Israel præcepta, & judicia. Et quamvis non sit data per manum ejus lex, tamen data est scriptio legis.* Hæc illi, aliaque plura, quibus videntur æquare Esdram Mosi: neque id alitèr intelligi potest, quam quod legem, quam dederat primus Moses, Esdras perditam restituit. Quod etiam citra peculiare prodigium fieri potuisse certum est. Multi enim sunt, vel nunc inter Hebræos, qui Pentateuchum à ב ad ל idest à prima ad ultimam literam memoriter tenent. olim autem vigebat inter eos hæc disciplina. adeo ut scribant libros omnes, extra Canonem, quos nunc habent auctorum qui ante excidium Hierosolymæ vixerunt, memoriter ab iis traditos discipulis, & ab his aliquot postea sæculis scriptos eorum nomine. Verùm hæc sententia mihi omninò procul abesse à vero videtur. Primum enim constat toto captivitatis tempore non modo legem; sed studia quoque legis exacta Babylone floruisse, & inde Academias institutas, quæ cum Hie-

Hierosolymitanis fama Sapientiæ, & eruditionis opinione certaverint. Deinde quo tempore novi Samariæ incolæ apud Regem Babylonis questi sunt IV. Reg. XXVII. Leones se experiri molestos, & huic rei remedium inde quæsitum est, ut circumciderentur, & legem Mosis discerent: statim è captivis Sacerdotibus ablegatus est eò Dositheus cum volumine legis Mosis. Falsum igitur omnes libros in incendio, ac direptione perijsse. Tùm si omnia deessent ab ipsis Samaritanis legis exemplar habere licuisset. Denique tantum abest, ut id Hebræi fateantur omnes libros legis in captivitate periisse, ut potius dicant quamplurima exemplaria collegisse Esdram, & omnium collatione sinceram, ac genuinam lectionem expressisse. ex quo correctiones, & variæ lectiones ortæ sint, de quibus mox. Locus autem allatus è Sanhedrin ca. 11. nil aliud docet, quàm eum scripturam immutasse, hoc est eundem librum alia scribendi ratione, & charactere edidisse. Alterum igitur, quod tribuitur Esdræ, est novum genus literarum, nova scriptionis forma, qua de re eodem loco Sanhedrim longa, atque implicata disputatio est. Videtur autem dici hoc in summa, Veteres literas, & scriptionem Hebraicam remansisse apud Samaritanos, Esdram autem excogitasse novam, qua nunc utimur, quæ vocatur Asyria, ut ibi dicitur, quia ascendit cum Hebræis ex Asyria. Vocatur & Nista, non quia נשתנה innovata est primum ab Angelo, qui tria illa verba scripserit in Convivio Balthassaris hisce literis, deinde ab Esdra, qui totam legem iisdem literis tradiderit. Sed huius quoque sententiæ fides apud me vacillat, imo ruinam ducit omnino. Nam eas, quibus nunc utimur, literas Hebraicas multis argumentis persuadeor easdem putare cum illis, quibus data lex est. Qua de re cum longam disputationem in libro de disciplinis Hebraicis instituerim illuc reiici potest, ne bis eadem scribamus. Summa est, apud Hebræos inde ab initio duplex fuisse genus scripturæ, alterum Sacrum, & Sacerdotale, quòd quia rectum, idest quadratum ad rectos angulos, vocabatur מאושר *Meusciar*, & אשור *Asciar*, alterum vero vulgare quo dicitur usus Abrahamus cum vernaculis domus suæ, quo semper

ad

ad prophana; & Humana scribenda Hebræi usi sunt; quod vocabatur Hebraicum, quia promiscuum omnibus, & עבר הנהר *Transfluvianum*, velut oppositum alteri, quod Assyrium dicebatur. tanquam illud antiquius Abrahamo avitum fuerit, cum is adhuc in Assyria degeret. hoc recens ab eo excogitatum posteaquam è patria digressus Euphratem transiit. Hoc postea Charactere Samaritanis tradita lex, & hoc illud Notaricon, de quo cum de Dositheo ageremus. Igitur cum tempore Captivitatis rariores libri essent Sacerdotali Charactere descripti. hi enim Sacri habebantur, & à Chaldæorum injuria procul arcebantur. nec populus servitio pressus, & carens proprio lare, vel eos sibi describere, vel ritè servare, ac tueri poterat, vulgo nonnisi Samaritanis literis descripta lex habebatur. Esdras primus antiquas literas, & scriptionem Patrum à Deo in Tabulis usurpatam restituit. Atque hæc fuit scriptio Sacrorum Librorum, magnum, & insigne opus Esdræ.

Correctio duplex adhibita fertur ab Esdra Sacris libris, altera ad ipsam, ut ita dicam, substantiam pertinens, qua rejecti sunt libri apocryphi, promulgati vero qui re vera Sacri habendi essent. Sed hoc quia solus non præstitit Esdras, sed tota consentiens ejus temporis Ecclesia, quæ Synagoga magna dicta est, in qua Esdras eruditione, atque auctoritate primarius fuit, ideo tùm de illa agemus, cum de Synagoga Magna mox recurret sermo. Altera correctio, quæ ad ea spectat, quæ Sacros libros circumstant, qualis est quarumdam vocum, aut certa mutatio, aut anceps notatio. Certa mutatio: cum constat quidem ita ab initio scriptum fuisse, & tamen aliter scribi placet, quòd vocatur תקון ספרים *Correctio Scribarum*. Anceps notatio, cum inter duas vocis ejusdem formas, altera scripto retinetur, altera vero legenda præcipitur, quod vocatum קרי וכתיב *Leges*, & *Scribæ*. De utraque nunc brevi, nam suus hic locus est in eodem libro de disciplinis Hebraicis. *Tikkun Sopherim*, sive Correctio Scribarum, multis locis Sacrarum Literarum apud Hebræos Interpretes, adnotatur.

tatur. Berescith Rabba ait, octodecim (non ut Galatinus quindecim) loca esse, in quibus Scribæ aliter, quàm initio scriptum erat, scripserint. vt notat R. Salomo comm. in primum caput Malachiæ v. XIII., ubi cum scriptum esset אותי scripserunt אותו. R. Salomo זו אחת מיח תיבות של תקון סופרים אותי נכתב וכו. *Hæc una est ex decem & octo correctionibus Scribarum. Scriptū erat Otbi, idest me, sed mutata est scriptio, & scripserunt Otbo ipsum.* Sic Jerem. III. v. 20. *Memoria memor ero, & tabescet super me anima mea*, scriptum erat: *super te anima tua*. & alia hujusmodi: sed hujusmodi Correctiones, quas Esdræ adscribunt, fabulosè confictas malumus credere, quàm revera ausum aliquem, Prophetarum Verba à Spiritu Sancto consignata, corrigere: Quare tantum abest, ut quod Galatinus existimat, corrigenda sint hæc decem & octo Scripturæ loca, & ad eam formam revocanda, quæ prius scripta dicuntur; ut corrigendi, imò explodendi potius sint Rabbini, qui hæc, ut alia multa, de suo confixerunt. Nam cum septuaginta Interpretes, & Jonathan, & Onkelos antiquissimi, sic verterint, sicut in Hebræo nunc scriptum est, quis credat, aut ignorasse eos id, quod posteriores tradunt, Loca hæc à descriptoribus esse vitiata, aut cum id scirent, falsa pro veris ultrò approbare voluisse? Alterum genus Correctionis, quo jubemur aliud scribere, aliud legere, & Syriacè dicitur *Keri*, *Ketib*: Esdræ quoque tribuitur. idque plerunque varietatem inducit in punctis, additâ, vel mutatâ literulâ. Galatinus lib. I. C. VIII. *Quidam ajunt Ezram Codices Sacros primùm punctasse. alii verò non Ezram, sed alios duos, qui post Ezram fuerunt, & alter Ben Nephtali, alter Ben Asser appellatus est, primos Literis Sacris puncta apposuisse affirmant. quorum quidem opinio communior est.* Fallitur Galatinus, dum putat hos duos Ben Nephtali, & Ben Aser tamquam qui non multo post Esdram vixerint, puncta apposuisse Sacris Literis, idque communiter censeri. Nam qui putant recentissimè apposita esse puncta Sacris Libris, ii hoc referunt

ad

ad Academiam Tiberiensem, quæ quadringentis annis post Christum Tiberiade floruit, ut Elias Grammaticus præfatione in Masora docuit: Multo plures autem è Rabbinis eorum originem referunt ad Mosem, quod & probant testimoniis ex libro Zohar allatis, præsertim vero ex Additamento, quod nuper inventum Constantinopoli, editum est, & Zohar Novum vocatur; in quo hujusmodi sententiæ leguntur נקודות ותנועותי קבלה למשה מסיני: *Puncta, & Motiones Receptio* (idest accepta traditio) *à Mose ex Monte Sinai* חנועי דטעמי קיימו כולא על ידא דמשה *Motiones accentuum confirmatæ sunt omnes per manum Mosis.* & alia in eandem sententiam. Decepit autem Galatinum, quod in Bibliis majoribus Hebraicis adnotentur discrimina quædam inter lectionem duplicem alteram ***Filiorum Nephtali***, alteram ***Filiorum Aser***. tanquam inde origo fuerit horum locorum, quæ vocantur ***Keri Ketib***. quod falsum est: nam diffidium illud exortum est circa annum Christi nongentesimum, hoc est ab Esdra plusquam mille quadringentis annis, inter R. Aaron Bar Mose, & R. Mosem Bar David: quorum cum ille esset e tribu Aser, hic e tribu Nephtali, eorum Sectatores Filii Aser, & Filii Nephtali sunt vocati. Diffident autem de levissimis observationibus, quæ fere lectionem non variant. Nihil igitur hoc diffidium ad has varias lectiones pertinet, quæ Keri Chetib vocantur, quas eorum utrique admittunt. De re autem ipsa cum hic longior texi disputatio nequeat; suo loco à nobis agitur pluribus, ubi ostendimus verè dictum à Mose traditas esse cum literis motiones, non quod eorum nomina, aut formas, quibus scriberentur, Moses tradiderit, hoc enim falsum est; Nomina enim punctorum omnia corruptæ linguæ Hierosolymitanæ sunt, quæ sub excidium in usu fuit. formæ quoque scribendi, seu notæ ipsæ recens inventæ quoque videntur, quippe quæ nominibus plerumque respondeant. sed quod verba legis Moses pronuncians docuerit, qua quidque vocali, quo accentu, qua inflexione pro-

nunciandum esset. Hoc à Mose traditum, cum apud vulgus errore populari, & consuetudine barbarorum paulatim exolevisset, Esdras restituit, qui primus docuit legem eruditè legere, ac distinctè. Nullas autem notas, aut puncta excogitavit addenda, & appingenda literis, sed hoc primi adinvenere Tiberienses Judæi, ut cum ad eos ventum fuerit rursum dicam.

Libros tertium, & quartum Regum (inquit Genebrardus ad an. 3066. *Hebræi malunt tribuere Ezræ, quem materiam scribendi sumpsisse tradunt, ut credibile est è libris verborum dierum Regum Juda, & Israel, qui passim citantur in Paralipomenis*. Quem hujus sententiæ auctorem habuerit ignoro. Nam Hebræi in Bava Bathra cap. 1. Jeremiam auctorem horum librorum faciunt. nec licet iis discedere ab hujus Traditionis auctoritate. quam proinde omnes passim sequuntur.

Libros Paralipomenon scriptos à Viris magnæ Synagogæ Hebræi docent loco sæpè allato. & quæ in iis texuntur series generationum satis ostendunt nullius antiquioris hoc opus esse potuisse. Quidam autem eos maxima ex parte ab Esdra scriptos dicunt, reliquum à Nehemia, qui etiam aliquid addendum alteri alicui reliquerit; apparet enim opus recentius esse, temporibus utriusque Tractatus *Bava Bathra* Cap. 1. sed de hoc mox lib. 3. cum de magna Synagoga agemus.

Libros Esdræ duos priores ei tribuunt Isidorus lib. 6. Orig. c. 11., & Latini plures. Gravioribus tamen placet ita distinguere, ut primus Esdræ sit, secundus Nehemiæ, qui & libri exordio, & tota Oratione se prodit auctorem libri. Hebræi neutrum ab Esdra scriptum fateri volunt. Sed à Viris magnæ Synagogæ, qui tamen è duobus libris alterum Esdræ dederint, alterum Nehemiæ. Juchasin. *Ezras erat Vir eximiæ Sanctitatis. Mitissimus autem ut Moses. Sic de Hillele cecinerunt. O mitem, o Sanctum, O vere Discipulum Ezræ. Poterat Ezras legislator esse. Verum ut in Capite Chelek dicitur, dignitatem Israelis magis, quam suam spectans, hunc honorem recusavit: quam ob causam ejus nomini tributus est liber Esdræ, & non est hic liber attributus Nehemiæ F. Helchiæ, quamvis hic Pincerna esset Regis*. Ter-

Tertius qui apud latinos Esdræ inscribitur liber, apud Græcos primus est, & inter Sacros habetur. Non modo autem nunc apud Hebræos non extat, sed jam olim tempore Septuaginta interpretum non fuisse inter Sacros inde agnoscitur, quod eorum interpretatio nisi hos duos, quos in Canone habemus olim contineret, ut Hieronymus notat: quod etiam indicio est, eam, quæ nunc Septuaginta vocatur Græcam editionem Sacrorum Librorum, non esse integram, atque illibatam, non aliarum editionum admixtione corruptam.

Quartum Esdræ librum soli habent Latini, sed reiiciunt inter apocryphos. Nec bene eum Genebrardus aliique nonnulli è recentioribus recipiunt, & inter Sacros numerant. Quamquam à nonnullis Veterum citetur. Videtur olim Græcè extitisse, quandoquidem de Sacris libris omninò deperditis, & ab Esdra restitutis ex eo videtur orta narratio.

Librum Esther, ab Esdra scriptum putat Isidorus lib. vi. Orig. c. 11.

Libri CCIV. ab Esdra scripti in eo secessu dierum XL. de quo IV. Esdræ C. XIV. *Et accepi quinque Viros sicut mandaverat mihi, & profecti sumus in Campum, & mansimus ibi &c. scripti sunt autem per XL. dies libri CCIV. & factum est cum complevissent XL. dies locutus est Altissimus dicens. Prima quæ scripsisti in palam pone, & legant digni, & indigni. Novissimos autem septuaginta conservabis, & trades eos sapientibus de populo tuo. In bisce enim est vena intellectus, & sapientiæ Fons.* Genebrardus notat quartum Esdræ putari ex illis secretioribus LXXII. ut ipse ait, duos addit. Et Picus Mirandulanus eos se libros habere scripto professus est. Verum ut omnis illa ducentorum librorum fabulosa farrago ex ingenio impostoris alicujus manasse creditur (nam difficile est è centum, & sexdecim libris, quos se passim promulgasse omnibus scribit, non modo nullum superfuisse, sed ne memoriam quidem ullius apud Veteres extare) sic multo minus septuaginta illos arcanos libros ab eo scriptos putamus. Quos autem Picus à Rabbino suo, ut reor, deceptus habere se credidit,

didit, aut ipsa Thalmudica erant volumina, quæ Tractatus continent, seu libros sexaginta tres, aut certè quidvis aliud, quam ullum tale opus Esdræ. Mihi enim persuasissimum est nullos unquam tales septuaginta libros, quibus ut ajunt, Cabbala contineretur, extitisse. quod eorum apud Hebræos, & Kabbalistas quidem nulla extet mentio, ac ne recentiores quidem, quantum ego, omnes eorum Historicos pervolutans, qui minimos quoque libellos Suorum accuratè adnotant, animadvertere potui, usquam ejus operis meminerunt.

Anathema in Samaritanos ab Esdra promulgatum est. Cum enim Soli Terram Israel obtinerent, ingratum iis accidit, quòd Cyrus, ac Darius Hebræos Babylone in patriam redire jussisset, Urbemque, ac Templum restitui, quod luminibus suis fore ut obstaret arbitrabantur. Cum igitur contra quam susceptæ ab iis Religionis observatio poscebat, hostes se Judæorum gererent, Esdras Sacerdos, Pontificis permissu, coacto populo æternum in eos Anathema pronunciavit. Quod ita narrat Pesikta. & refert Jalkut in Reges nu. 234. *Esdras, ejusque asseclæ convocarunt Ecclesiam totam in Templum Domini, & statuerunt trecentos Sacerdotes tubas manibus tenentes: trecenti quoque pueri adstabant libros legis in manibus habentes. & clangentibus Sacerdotibus, ac Levitis intereà Psalmos concinentibus, obstrinxerunt Samaritanos per arcanum Dei nomen explicatum, & per scripturam tabularum Anathemate, quod æque valeret in Superna, ac Cælesti Curia, atq; in terrena, & humana. ut qui buccellam suam cū Samaritano comederet, perinde esset, ac si Suillam gustasset; utque Nemo audeat Samaritano communicare, nec pars illis esset in resurrectione mortuorum, nec hæreditas, nec memoria in Israel: quod Anathema, cum iis misissent, qui Babylone erant Judæis, illi addiderunt* חרם על חרם *Anathema super Anathema; & Cyrus Rex hæc omnia rata esse voluit.*

Constitutiones, sive Takkanoth multæ ad Esdram referuntur præter eas scilicet, quas una cum Viris Magnæ Synagogæ edidit. Quâ de re sic scribit Juchasin. *Ezræ Decem Constitu-*

stitutiones tribuuntur præ cæteris, uti dicitur in Bava Kama capite Merobe, quamquam alias multò plures edidit. Nam & absolutè cum dicitur aliquid haberi, & Takkana nullo addito, intelligitur id constitutum ab Ezra, vel ab ejus Sociis, qui Synagoga Magna vocantur.

Somnium, seu Vaticinium Esdræ de fatis Monarchiæ Romanæ. Liber fictus, & recens cusus. Merito damnatus à Censoribus Ecclesiasticis. Bononiæ autem in Cœnobio Patrum Dominicanorum servari Pentateuchum, quod ipsius Esdiæ manu scriptum putetur, scribit Possevinus, idque Hebræos credere. Mihi tamen Hebræos consulenti, ac legenti eorum scripta, nullum ejus rei argumentum, nulla se fides offerebat. Antiquissimum exemplar Hillelis inventum in Hispaniis summo studio adnotant. Hoc Esdræ, silentio, ut reor, non involverent, si putarent ejus esse re vera.

Sixtus Senensis adnotat Esdram primo Paralipomenon vocari Josedech. in quam sententiam eum traxit, quòd videret eandem ibi prosapiam, eosdem parentes habere Josedech, quos 1. Esdræ vii. habet Esdras. Sed hoc satis non est, ut eundem esse credamus Esdram, & Josedech. Fuit igitur Esdræ Frater Josedech, cujus filius Jesus summo Sacerdotio functus est in reditu Populi è Captivitate Babylonica. Ideo nimirum, quia Esdras Babylone diutiùs resedit apud Baruch, nolens intermittere cæpta apud Senem studia. Alioqui Jesus Esdræ Seniori cessisset, Patri Nepos.

TITVLVS LXIII.

Nehemias.

נחמיה

NEhemias in nostra editione filius Helchiæ; apud Hebræos verò filius Hechaleiæ vocatur, quam varietatem unius literulæ

terulæ ttansfpositio facit חלכיה, & חכליה Pincerna Regis Artaxerxis, & gratià inde quæsita restituendæ Urbis auctor. Ex quo illud ejus Elogium Ecclesiastici XLIX. *Nehemias in memoria multi temporis qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas, & seras, qui erexit domos nostras*. Hebræi quidem in Midras, & in Sanhedrin C. *Dine Memonoth* dicunt eundem esse Nehemiam, & Zorobabelem Filium Salathiel, inde conjecturà ductà, quòd Nehemiæ nulla prodatur series parentum, quod in tam insigni, & tam benè de gente sua merito viro minimè factum esset, nisi idem esset, qui Zorobabel, convenientibus alioqui utriusque rebus gestis; sed ut mittam nominum, & parentum, & rerum gestarum plura discrimina, idem Ecclesiasticus Nehemiam à Zorobabele distinguit eodem loco. Vocatus est etiam (si tamen idem est) *Ather Satha*, ut 2. Esdræ viii. v. 9. & 10. v. 1. dicitur. Causam reddunt Hebræi apud Juchasin, quia התיפ לי לשתות יין *Permiserunt illi potū Vini alienigenarum*. Hoc est cum nefas sit Judæis ex Vino gentium bibere, ideo, quod illi plerumque Diis inter bibendum libare consuescunt: permissum est Nehemiæ, ut quia Regis erat Pincerna libare posset, ac prægustare quod ei propinaret. inde ex *Hether*, & *Satha*. hoc est *licere potum* dictus est Hethersata: verùm hoc nomen Persicum fuisse constat, & Barbarum. At quod eundem fecere Nehemiam, & Malachiam, ipsi quoque Hebræi corrigunt. Juchasin. *Megbilla cap. IV. legitur Nehemiam esse Malachiam, qui prophetavit de expellendis mulieribus alienigenis. sed Nehemiæ loco reponendus Esdras*. Scripsit Nehemias librum, qui apud Hebræos ejus nomine, apud nos secundus; apud Græcos tertius Esdræ vocatur. Quamquam Hebræi modo nihil ex his libris ei peculiariter tribuūnt, ut cum in Bava Bathra dicunt, libros Esdræ ab eo scriptos, quibus Nehemiam, sivè secundum Esdræ comprehendunt. Modo in capite Chelek sic de eo scribunt. נקראו על שמו כל דברי עזרא אמרם נחמיה בן חכליה ולא טובה לעצמו ויא שספר בגנותם של ראשונים שהחזיק

לפי שהחזיק. *Omnia verba Esdræ dicta sunt à Nehemia Filio Hechaleja, sed non sunt appellata ejus nomine, quia visus est suum commodum quærere. Alii dicunt, quia locutus est in ignominiam priorum.* Hæc verò mihi videtur ingrati Judæorum animi in optimum Ducem nota, & crimen; alioqui semper in Sacris Literis cum laude Nehemias appellatur. Juchasin: *Dicunt è Nehemia originem trahere Hillelem seniorem. sed in Thalmud Tractatu Chetaboth non ita apparet. Sed ajunt eum non alium sanguinem traxisse è Juda, quam Sephathiæ filii Abigail, uxoris David. & in Hierosol. & in Berescith Rabba sect.* ויזכול *dicitur Hillel ex paterno sanguine fuisse, e Beniamin, ex Materno vero e Juda. & sic tradit Rabi* (idest Hakkados) *qui ex ejus stirpe fuit.* Itaque ex Tribu Juda, & familia David esse Nehemiam pro certo habent. & sanè Eusebius in Chronicis cum dixit ἐκ φυλῆς ἰούδα. Sed liber II. Machabæorum. cap. 1. eum vocat. *Sacerdotem*. cujus auctoritate motus videtur Hieronymus in latina versione Chronici Eusebiani omisisse eum ex tribu Juda ortum, ne sacro Machabæorum libro repugnaret. Accedit quod Nehemiæ, seu 11. Esdræ capite decimo versu primo inter Sacerdotes numeratur Nehemias Athersata filius Hachelai, quod nomen idem esse cum Helchia dixi. Ac de hoc loco minus essem sollicitus; negarem enim Nehemiam, qui vocatur Athersata esse eundem cum populi duce: sed alter e Machabæis obstat locus. Quare eum paterna stirpe ex Aarone genitum dicemus. Materna vero è Davide. nec bene Eusebium dicere, ex Tribu Juda. sed bene Cedrenum scribere, ex vetustis auctoribus eum fuisse. ἐκ τοῦ σπέρματος δαβὶδ *ex semine David*; proindè Hillelem ex ejus prosapia esse potuisse, qui stirpe materna erat è Davide.



TITVLVS LXIV.

Tobias.

טוביה

TObias (quo nomine olim vocatus est Moses) tempore captivitatis Babylonicæ vixit, & filium genuit, qui eum haud magis nomine, quam virtute referebat. Rerum ab se, & circa se gestarum librum reliquit, cui ex argumento simul, & auctore Tobias nomen est. Mirum Græcos pro Tobia dixisse *Tobith* errore interpretis procul dubio, qui literarum affinitate deceptus, extremum ה pro ח sinistre accepit. Juchasin fol. c.xxxviii. ait circa Ezechiæ Regis ætatem vixisse Tobiam, & cognomine Justum appellatum. Hebraicè *Hazzadik* Genere autem, & prosapia *fuit ex tribu, & Civitate Nephtali, quæ est in superioribus Galileæ juxta Naasson, post viam, quæ ducit ad occidentem in sinistro habens Civitatem Sephet, & cum captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum in Captivitate tamen viam veritatis non deseruit.* ut initio ejus libri scribitur. R. Ghedolias in Catena libros enumerans (ad calcem primæ partis) quos Christiani habent pro sacris, Judæi non item, de hoc ita scribit. *Liber quoque Tobiæ, quem dicunt captivitatis Babylonicæ tempore extitisse. Describitur autem eo Libro justitia ejus, & Prophetiæ, & Angeli Raphaelis apparitio, & quo pacto malorum oblivionem acceperit.* Causa cur adeo ignotus & liber, & vir Hebræis ea procul dubio est, quod cum è decem tribuum grege captivo fuerit, quas abduxit Salmanasar, quarum nec mora, nec reditus satis certò constat; obscura omnia semper fuere, ac sunt Hebræis ad eas tribus pertinentia. Disceptatur ad hodiernam diem inter eos an umquam Decem tribus redierint, & ubi lateant. Præterea cum Sacrorum Librorum *Ca-*

non

non editus sit à Magna Synagoga, quæ nonnisi ex iis constabat, qui è Tribu Juda, & Levi Babylone redierant, mirum non est ignorasse eos Librum, & Historiam Tobiæ, qui longè diverso loco una cum suis exulaverat; proindè nec sacris eum libris accensere potuisse. Eo negligentiores autem erant in hujusmodi libris quærendis, quo decem Tribus, & olim à vera Hierosolymitana Religione desciverant, & qui eorum loco Samariam incolebant Esdræ, ac Magnæ Synagogæ tempore Judæis maximè infensi, & ab iis omnibus diris devoti erant. Credibile est autem non multo post librum hunc Hierosolymam allatum, & à Synagoga receptum non tamen à Pharisæis qui vetustatis retinentiores nil ultra Canonem Esdræ pro sacro admittere voluerunt, quorum nunc apud Hebræos Secta regnat. Hunc igitur librum Chaldaicè olim Hieronymus habuit, ex quo versionem, quám habemus expressit. Est autem dignum notatu in verbis Hieronymi ad Chromatium, & Heliodorum, quod ait hunc librum apud Hebræos in Agiographis haberi. *Exigitis*, inquit, *ut Librum Chaldæo sermone conscriptum ad latinum stylum traham. Librum utique Tobiæ; quem Hebræi de Catalogo Divinarum Scripturarum secantes, his quæ Agiographa memorant manciparunt*. Quod apertè ostendit, ex Canone quidem primario, quo Prophetæ tantum, & lex continebantur exclusum hunc librum à Judæis, inter Agiographa vero, seu *Chetubim* libenter admissum. Satis autem ostendit Pharisæorum supercilium semper huic libro obstitisse cum addit; se in hoc libro vertendo: *Melius judicasse Pharisæorum displicere judicio, & Episcoporum jussionibus deservire*. Quem enim Pharisæorum rebellis audacia rejecit, hunc veterum Ecclesiæ Patrum pietas magno consensu recepit. E quibus sunt Cyprianus lib. I. Contra Judæos, & lib. III. c. II. & libro de Ordine Dominic., & alibi sæpè. Irenæus lib. I. c. XIV. Hilarius in Psal. CXXIX. Ambrosius lib. de Tobia. & lib. VI. Hexam. c. IV. & alibi. Chrys. hom. XIII. ad populum. Isid. lib. VI. Etym. c. I. De libri auctore nihil certo constat, nisi quod alii parentem, alii filium tradunt, alii utrumque. Serarius triplex

ab initio ſcriptum hujus libri credit exemplar, Chaldaicum primum à parente, & filio collata opera: deinde ab utroque ſeorſim Hebraicum. Conſtat Hebraicas duas editiones reperiri, Syriacam quoque verſam è Græca, cujus Andreas Maſius meminit, Græcamque vulgatam. De verſione Munſteri Hebraica hoc judicium Hebræorum eſt apud Zemach David Parte II. ann. MMMCCIX. *Scito Hebræum Tobiam, qui apud nos habetur, fuiſſe verſum ex latino à Sebaſtiano Munſtero Baſileæ. Quod ex ipſis libri verbis intelligi poteſt. adeo enim balbutire labia ejus videntur, ut quivis intelligens vir primo ſtatim aſpectu deprehendere poſſit, auctorem non eſſe è filiis Iſrael.*

TITVLVS LXV.

Judith.

יהודיח.

JUdith fortiſſima Virago, ac Propheteſſa; inter ſcriptores quoque nomen meretur, quæ non modo fecit ſcribenda, ſed dixit, & fortè etiam ſcripſit. Nam in re incerta, cum de libri ejus auctore nil conſtet, quid vetat credere librum qui Syriace, ideſt vernacula tùm lingua ſcriptus eſt, ab ipſa hac Heroina ſcriptum, quæ more majorum commentarios rerum ab ſe geſtarum reliquerit. Sane cum hoc de Eſther certo conſtet, haud video cur ſit huic denegandum adſimilis, & pietatis, & famæ mulieri, & ad virilia quoque ſtudia promptiori. Scripſerit hunc librum qui extat Eliakim Sacerdos, ut putatur, at quid vetat credere alium ejuſdem argumenti ab ipſa ſcriptum; uti conſtat res ſub Aſſuero geſtas, ab Eſther ſimul, & à Mardochæo ſcriptas. Sed cum de auctore hujus libri uti dixi non ſatis conſtet, de auctoritate nemo Catholicus dubitat. jam inde enim à Concilii Niceni tempore in Canone Sacrorum Librorum erat, ut Hieronymus præfatio-

ne

ne in ejus interpretationem scribit. Sed quod addit: *Apud Hebræos liber Judith inter Agiographa legitur, cujus auctoritas, ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur*: Ostendit ejus tempore extitisse hunc librum, & in tertia Sacrorum Librorum classe numeratum, qua Chethubim, sive Agiographa continentur: & si Hebræi soliti quæstiones ut plurimum suas Lege finire, & vix Prophetas antiquiores arbitros dignari, librum hunc recentiorem, & si sacrum faterentur, non tamen ad controversias dirimendas in causa religionis adhiberent. At nostrorum temporum scioli quidam inter Ecclesiæ rebelles hunc librum è sacris reiicere ausi, rem etiam quæ eo narratur excogitatam, & velut ad scenam ab aliquo fictam jactare non dubitant. Quos quia Ecclesiæ totius auctoritas non movet; Hebræorum, quos pluris facere solent auctoritate urgebo. Ajunt Bethuliam Urbem nullam umquam fuisse. Judith vero nomen esse confictum, & allegoriam fortè, quæ Judæam ipsam significet. At Judæi, facti hujus memoriam ante annos fere bis mille celebrant quotannis; minimè ut opinor id facturi, si fabulam putarent. Qua de re eorum testimonia ipsis verbis ex Hebræo, ut solemus translata recitabimus. Zemach David prima parte sub an. Mundi MMMDCXXII. *Judith mulier strenua ex Hebræis occidit Holophernem Ducem militiæ cum una cum illo accubuisset, & caput ejus tulit, ac fecit salutem, & redemptionem magnam in Israel, ut scriptum est in libro Judith. licet tempus incertum sit, nec Josephus meminerit. & juxta hymnos qui canuntur in Festo Chanucha, hoc factum contigit tempore Machabæorum. & si in eorum libris de eo nihil reperiatur. Quamvis liber ipse Judith, in quo rei ipsius historia narratur, indicet tempora Nabuchodonosor. Et sunt qui putant contigisse tempore Cambysis Regis Persarum: quod si esset profecto ducentis, vel trecentis annis antecessisset id tempus, cujus in festo Chanucha memoria colitur. Nihilominus Sapientes prisci voluerunt eodem die memoriam recoli utriusque facti.* Festum Chanucha celebratur XXV. mensis Casleu, quo simul me-


memoria Templi sub Juda Machabæo instaurati, simul commemoratio Victoriæ per hanc puellam habitæ colitur. R. Azarias verò in libro Maor Anaim c. LV. fusius de ea disputat his verbis. *Quoniam historia Juditha, & Holophernis à Scriptoribus historiæ Machabæorum inter eorum res gestas non commemoratur. verosimile est eam accidisse temporibus Regum Persidis, ut in libro quem Christiani, ut sacrum recipiunt, narratur. Et profecto accidit tempore Assueri primi. Nam cum hostes Judæorum scriberent contra eos literas, ut est 1. Esdræ IV. inter alia hæc dicebant. Recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & invenies scriptum in Commentariis, & scies quoniam Urbs illa, Urbs rebellis est novis Regibus, & Provinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quibus verbis videntur significasse mortem, & cladem Holophernis, quæ procul dubio relata erat in publicos Annales; & quamvis Patres Nostri* (Hic se perfidia prodit Judaica) *benè fecerint quod eum librum non receperint, cum non sit scriptus in Spiritu Sancto, tamen non est reiiciendus, juxta ea, quæ initio scripsi. Nonne Liber Sapientiæ quoque à nobis non recipitur, & tamen oculi tui vident, quod de illo dicat R. Moses Bar Nachmani in suo proœmio in Commentarium in legem. Nam fundamentum in eo ponit, & citat duo loca prolixa ex ejus cap. v. ut sua verba confirmet. Et etiam si nominetur in Libro Nabuchodonosor, tamen respondere licet hoc nomen fuisse commune omnibus Assyriæ Regibus, ut Pharao AEgyptiis ex ratione, quam reddit Josephus lib. v. c. 2.; & quamvis hoc non fuerit, dici potest regis Persarum post devictam Assyriam usurpasse Victorum regum nomina ad insigne victoriæ. Et quidem liber Judith scribit rem hìc gestam esse sub Pontifice Joachim. atqui Philo de Temporibus scribit hunc Joachimum explesse locum patris sui Jesu, qui profectionem quandam susceperat pro sacro ædificio promovendo. atque hic Jesus fertur librum Judith scripsisse. Qui ut Interpres Christianorum scribit, Chaldaice erat scriptus, quæ tùm fuit lingua vulgaris. Ut etiam liber Tobiæ.* Hæc ille sanè

no-

notatu digna ad libri hujus historiam. Quærit autem postea, an apud Veteres Hebræos ulla extet memoria Judithæ. Respondit Haran, idest R. Nissim, qui scripsit secundum caput Sciabath ità scriptum reliquisse. *In Midras reperiuntur hæc verba: Filia Jochanan, Ducem Hostium caseo cibavit, ut eum inebriaret, & sic postea præcidit caput ejus, & fugerunt omnes. Propterea mos est in festo Chanucha vesci Caseo.* Hæc ex R. Nissim, sed cum ille non scribat, unde id habeat, R. Azarias diligens adnotator, & collator locorum, quæ in Gentis suæ scriptis notatu digna sunt, ait, se aliquid his affine reperisse in Meghilla Taanith, sive Tractatu de Jejunio Cap. VI. Verum quia, quod in Græcis usurpatum est: *Timeo Grajos, & dona ferentes*, id multo aptius in Hebræis usuvenit, à quibus cum maximè videntur nobis favere, metuendum est: ideo animadvertenda Judaica fraus. Conantur enim Judithæ factum alio divertere ad puellam ejusdem nominis, quæ Machabæorum tempore aliquid simile patrasse dicatur. Ut vel hinc libro, quem Christiani recipiunt, auctoritas derogetur, aut saltem ne eorum dies festi nostris scripturis niti videantur. sic enim de ea Juditha scribit R. Ghedolias in Catena parte 1. pag. XXIV. *Mathathias filius Joannis Sacerdotis M. rebellavit ab Antiocho, & rejecit Nicanorem cum XC. millibus Græcorum, eo quod probibuisset Sabbatha, Neomenias & Circumcisionem. Hoc vero, Traditione ore accepta, babemus, Nicanorem occisum astu Judith filiæ Mathathiæ, quam ille deperibat. Nam cum aliquando hic apud illam esset, inter cænandum obtulit ei cibos Caseo conditos, qui sitim afferrent. Undè & nimio potu inebriatus est. Tùm Judith præcidit caput ejus, & attulit ad fratrem suum. At Judæi ea occasione impetu facto Græcos expulerunt, & occiderunt. At scito ejus rei memoriam non extare apud ullum, præterquam apud Midras, quem citat R. Nissim in Cap. II. Tract. Sciabath.* At cui dubium esse potest hanc hujus alterius Judithæ fabulam, quæ neminem veterum auctorem habet, & quam unus R. Nissim, aut vix alius è non

ita

ita recentibus tradit, omninò de nihilo fictam. Nam constat è libris Machabæorum longè alium fuisse Nicanoris exitum. lib. 1. C. VII. v. 43. *Et contrita sunt Castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio*. & postea. v. 47. *Et caput Nicanoris amputaverunt*. In acie igitur mortuus est, & à Victore Juda caput ejus obtruncatum, non à Sorore Juditha.





ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI LIBER III.

PROOEMIUM.



Osteaquam desiit apud Hebræos Prophetarum *nomen; quod huic proximum est cæpit vigere*, Sapientum. *Itaque nescio quo pacto exilium, quod iis omnia videbatur abstulisse, & ipsum Numen (rarus enim in exilio, aut post exilium Propheta natus est) novum illis attulit ornamenti genus. ex illo enim tempore florere inter eos studia, ac disciplinæ publicè magno populi Doctorumq; conventu tradi cœpere. Universè autem invenio Hebræorum Academias in duas veluti Sectas dividi. quarum altera esset Orientis, quæ Babylonios, & Indos complecteretur, altera Occidentis, in qua maximè Syri, Alexandrini, Hispani, Italique versarentur. Hinc duplex quoque Thalmud, Hierosolymitanum, & Babylonicum. & usitata forma loquendi, ut pro Babylonicis Orien-*

Orientales, pro Hierosolymitanis Occidentales in Ghemara ponantur. Ego vero quoniam hoc quoque ad institutum aliquo modo spectat; hic primum de Orientalibus agam, deinde de Occidentalibus. Præter eas Academias quas Decem Tribus excitarunt in remotissimis locis, ad quæ translata sunt; ex quibus Indorum, Persarum, & Sinarum doctrina non minimum aucta est, quarum ad nos vix tenuis rumor manavit, ignotis omnibus, quæ ad illud exilium spectant: quibus exilii locus in Assyria, & Media fuit, ii non segniter in Captivitate literis operam dederunt, quantum servitus patiebatur. Hinc celeberrima loca, & literarum Hebraicarum Emporia locupletissima, Neardea, Mata-Machasia, Pombodita, Sura, *& quæ vocata est* Ezechielis Academia. *Sed* Pombodita, & Sura, *vel excitatæ serius, vel certè diù ignotæ fuisse videntur.*

TITVLVS I.

Academiæ Babylonicæ, sive Orientis:

NEARDEANA EZECHIELIS,

MATA-MACHASIA, SURA, POMBODITA, ALIAE.



Eardea nomen est, quod *flumen scientiæ* significat, haud dubie ex Academia, quæ in Oppido celeberrima erat, impositum. quo loco sita esset, expedire non potui, nec Hebræi interrogati, se id scire dicebant. Frequentiam tamen, celebritatem, antiquitatem extollunt. Quippe in ea Baruch docuisse, Esdram vero didicisse tradunt. Origo ejusmodi narratur in Tractatu Meghilla, ut recitat Aruch verbo שף. *Qui cum Joachim Babylonem captivi abducti sunt, secum tulerunt ex pulvere domus Sanctuarii Hie-*

Hierosolymis lapides pretiosos, ex quibus ædificata est Academia Neardeana, & vocabant eam Sciat ve Hethib. ושף ויתיב, idest *Diruta, & ædificata*. Hoc est Diruta Hierosolymis, ædificata Neardeæ. Ad hujusmodi flumen sedisse Judæos, ajunt; idque dixisse futuri conscium Davidem, seu malumus, ut ipsi putant, Jeremiam cujus esse hunc psalmum existimant *super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus*. Nam Academia ipsis est Hebraicè *Jesciba*, à *Jasciab*, quod sedere significat, quemadmodum Græcè *Exhedra*. Hujus Academiæ Soboles Hillel, cum hìc didicisset, Hierosolyma se contulit, & filiis Bethiræ Principatum literarium præripuit; Sectamque Pharisæorum sic auxit, ut eam primus instituisse visus sit. Indidem erat Samuel Jarchanai celeberrimus Astronomus, quem R. Judas Hakkados cum maximè vellet, Rabbinum creare non potuit. Hic in Berachoth c. IX. ajebat *Adeo nota sunt mihi Cœli itenera sicut itinera patriæ meæ Neardeæ. præter unam Stellam, quam non satis novi, Sciabith nomine* שבים.

Alteram Babylone Academiam memini legere apud R. Beniamin libro *Massaoth*, idest *Mansionum*, quam vocat Ezechielis Academiam, quòd ejus tumulo inædificata fuerit; de qua ille sic scribit: *Ezechiel sub Nabuchodonosor Rege mortuus est, & sepultus Babylone inter fluvium Euphratem, & Chebar* (hic fortè est Tigris) *postquam igitur Evilmerodach evectus ad regnum Joachimum eduxit è carcere, venit is cum triginta sex millibus Judæorum, & extruxerunt porticum super tumulum Ezechielis, in qua porticu adhuc visitur Joachim sculptus ex una parte, ex altera vero Ezechiel, & magna populi multitudo. Illic Academiæ locum amplum ædificaverunt. habet autem id ædificium, & inter turres dispositas exhedras pari numero. In medio autem atrio maxima Exhedra, quæ vocatur Ezechbielis. & post illam ejus tumulus. Omnia simul vocantur Academia Ezechielis. Joachim verò huic Academiæ largitus est munera, & vineas, quas illi dederat Evilmerodach Rex, ut iis aleretur. Porro locus Israelitis sacer est, quò ex omnibus terræ regionibus religionis causa conveniunt. Die verò*

rò Chippurim, sive Expiationum, educitur liber legis ab Ezechiele ipso scriptus in membrana. Sepulcro vero addita est laterna perpetuo ardens. Haud longe inde est Bibliotheca ingens libris plena, qui servati sunt ab utroque excidio Hierosolymitano, priore, & posteriore. Mahometus quando ejus regionis potitus est, jussit huic Academiæ finitimarum regionum subesse Synagogas.

Tertia in Babylonia celebris Academia erat Mata-Machasia. in qua plures ex iis quos Gens Hebræa sapientiæ nomine laudat, inde ab ætate priscorum Tanaim floruisse dicuntur. Hoc tamen Urbis illius Civibus vitio datur, quod cum tam multos haberent à quibus veram Religionem discere possent, in vetere tamen superstitione pertinaciter hærebant. Quare in Berachoth cap. 11. dicunt. *Qui nam sunt perditi corde* לב אביּרי *de quibus Isajas XLVI. loquitur? R. Ase dixit, hi sunt Cives Mata-Machasiæ, qui cum videant gloriam illius Academiæ, ad quam bis quot annis tanta confluit multitudo, numquam tamen animum ad veram religionem adjunxerunt, nec eorum quisquam Proselytus factus est.*

Sura, & Pombodita celeberrimæ literarum arces Hebræis olim fuere. Postea verò Gente paulatim ob Christum rejectum à vera sapientia aberrante, & ipsæ fabularum, errorumq; asyla, & prostibula evasere. licet autem inde à Captivitate celebrari cæperint, non tamen Academiæ nomen, quod Hebraicè dicitur *Jesciva*, idest *Exhedra*, nisi admodum serò utraq; habuit. Qua de re, ac simul utra alteri præstet, audiendus est R. Abraham Zachuth in Juchasin fol. CXII. *Ab initio usque ad Rau (in quo desiit ordo Tanaim, & cæpit ordo Amoraim) qui Babylone Conventus Virorum Doctorum erant, non vocabantur Academiæ, sed Principes Judæorum, qui ibi erant, sivè Aechmalotarchæ, non alio nomine eos dignabantur, quam* רישי מדרא *Capita Ordinum. Post mortem autem Rau erexerunt Academiam ad formam ejus, quæ erat in terra Israel. Ea fuit Suræ. Præfuit R. Huna. Primus hic fuit omnium, qui Babylone dictus sit Ros Jesciva, Rector Academiæ.*

demiæ. & cum hic quadraginta annos præfuisset, suffectus est ei R. Chasda, qui decem annos præfuit. sub cujus temporis finem, Rabba Ban Nachmani Academiam Pomboditæ erexit. ex quo tempore hæc quoque Captivis Academia accessit. Hæc ille de utriusque Academiæ erectione. De Primatu verò Suranæ in Pomboditanam, hæc addit: *Hæ sunt prærogativæ, quibus Surana Academia præstabat Pomboditanæ. I. quod Pomboditæ non crearentur Gaones, sed Suræ judicio Rectoris illius Academiæ. II. Quoties Sabbatho de more conveniebant Rectores Academiarum apud Aechmalotarcham, seu Principem Captivorum Rector Suranus, aut ex discipulis ejus aliquis legem super Caput Principis legebat. interea Rector Pomboditanus ad lævam stabat. III. Quoties Rectores Academiarum apud Principem Captivorum ad prandium convenirent; Rector Suranus Primus scindebat, benedicebat, præibat ingressu, atque egressu Rectorem Pomboditanum, idque etiam si ætate longe esset inferior. IV. in Epistolis ultro citroq; mittendis Rector Pomboditanus ad Suranum ita scribebat.*

יתקוי הדין וימתקא קמי נאון ודכנזר מודא. *Legatur hæc Epistola ante Gaonem, & Magistrum nostrum Suranum. & Rector Suranus ad Pomboditanum iisdem verbis; nisi quod Gaonem illum non vocabat. V. Quoties Princeps Captivorum legebat publicè legem, interpretis officio fungebatur, in vulgarem Sermonem transferens Rector Suranus. Pomboditanus interea sedebat silens. VI. Mortuo Principe omnia ipsius privilegia ad Rectorem Suranum redibant.* Utraque Academia maxime floruit temporibus Amoraim, & Gaonim. Videtur autem Pombodita posteriore ætate invaluisse, & vicisse Suram. Tractatu Chetuboth Cap. XIII. sic scribunt. *Sicut lege cautum est, ne quis relinquat terram Israelis, ut in Babyloniam eat, ita etiam lege vetamur pro aliis regionibus adeundis Babyloniam relinquere. Rabba, & R. Joseph convenerunt in hanc sententiam: etiam si quis Pombodita discedat in Be Cube, crimen est, aut Pombodita Issoniam.* R. Salomo hujus

 loci

loci explanator causam reddit, quod post Israelis terram Babylonia plurimas, & celeberrimas haberet scholas, proinde nefas esset eam deserere. In Babylonia vero Pombodita doctrina fama excelleret. Proinde non vacaret crimine Pomboditam velle mutare Husonio, aut Becuba, quæ Oppida scholas ignobiles habebant. Hæc de Sura, & Pombodita. Quibus adde ex eodem Chethuboth cap. XIII. hæc de Academia Rau, de quo supra. *Quoties discedebant Magistri nostri ex Academia Rau, remanebant apud eum MCC. At apud R. Huna ejus successorem. MCCC. R. Huna bib[illegible]at XIII. Amoraim, sivè Hypodidascalos, qui ea, quæ ipse [illegible]teret, multitudini promulgarent. Quoties ab eo audiendo discedebatur, tantum pulverem excitabat hominum multitudo, ut eo dies obtegeretur. Et Occidentales* (Hierosolymitani) *id videntes dicerent, jam R. Huna discipulos dimisit. Ex Academia vero Rabba, & R. Joseph quoties dimittebantur auditores remanebant apud eos quadringenti. & vocabant se pupillos, idest desertos*. Hæc de frequentia, qua Babylonicæ Academiæ ferverent, quæ licet fabulosa; Judæorum tamen in iis regionibus indicat multitudinem. Nam R. Ghedolias in Catena par. 1. fol. LXXVI. ait oppidum fuisse Peruz, non longè à Neardea, & Babylone, in quo supra nonaginta millia Judæorum essent. Hæc Scholarum frequentia, & Hebræorum multitudo faciebat, ut Babylo altera esset ipsorum Patria, nec erubescerent Legis, Doctrinæque Judaicæ summam duplicem facere, alteram Hierosolymitanam, alteram Babylonicam. In Bava Kama dicitur; & refert Jalkut sect. *Judicia. Ideo Israel Babylonem translatus est, quod illi fuerit prima Sedes, ac Domus Abrahami*. Et in Sanhedrin, ut refert idem Jalkut in Psal. n. 888. Dicitur Deus fecisse Adamum ex terra omnigena, *Caput ejus*, inquiunt, *ex Babylone factum est, corpus ex Terra Israel, membra è reliquis*. quo satis ostendunt quanti Babylonem faciant, cui caput in quo sapientiæ sedes est, adscribunt. In Moed Katon cap. IV. sic scribunt: *Quale est illud Ezechielis XI., & ero eis in Sanctuarium modicum in terris ad quas venerunt. Dixit Samuel F. Isaac, hoc*

signi-

ſignificat Scholas, & Auditoria, quæ erant Babylone. Dixit Rabba. Quid vero illud eſt: Domine refugium factus es nobis. Hæc ſcilicet ſunt Auditoria, & Scholæ.

TITVLVS II.

Academiæ Occidentis.

Hieroſolymitana, Tiberienſis, Iaphnea, Biterenſis, Niſibena Alexandrina, Tolitolenſis.

CItius hoc genus diſciplinæ Babylo, quàm Hieroſolyma putatur habuiſſe, cum id maximè Captivorum, aut pietas præſenti malo expreſſa, aut Coeli locique opportunitas, & Civium in Studia incumbentium æmulatio, aut neceſſitas denique major invenerit. ſed Hieroſolymis quamquam ſerius cæpta, nobilior tamen, & clarior Academia ſemper eſt habita. quam vocabant Babylonii *Maaraba*, ideſt Occidentalem. eodemque nomine, tùm omnes Syriæ Academiæ, tùm etiam omnes AEgypti, Africæ, Hiſpaniæ, Italiæque veniebant. Nos hic de nonnullis nonnulla dicemus.

Hieroſolymitanam Academiam dicitur excitaſſe Nehemias, Eſdras vero inſtituiſse, ac formaſse, auxiſſe vero Jedoas, vel Jaddus, quem Simeonem juſtum vocant Hebræi, in ſummam vero auditorum frequentiam, & uberioris doctrinæ copiam adduxiſse duo illi Phariſæorum Principes feruntur Hillel, & Sammai. Mos autem hic fuit, ut prius Babylone diu doceret quis, ut ſic denique ſibi ad Hieroſolymitanæ Academiæ Cathedram gradum præſtrueret. Sic Hillel fecit. & quandiu Babylone docebant, eorum doctrinæ nomen erat *Rau*, poſteaquam Hieroſolymis creati eſſent Magiſtri, *Jod* unum addebant veteri titulo, & vocabantur *Rabi*. Dictum ante Babylonicam non fuiſse Academiam, ſed tantum *Sidra* vocatam. ſolumque Hieroſolymis Academiam fuiſſe toto tempore Tanaim: quare & qui citantur in

in Misna Doctores plerique omnes Hierosolymis floruerunt. Itaque Misna una, & Hierosolymitana est: Ghemara vero duplex Hierosolymitana altera, altera Babylonica. Qua frequentia Hierosolyma ex toto Orbe conflueret studiosa juventus, non dignamur ex aliorum scriptis testimonia proferre, cum ex ipsis Actibus Apostolorum, quo id firmetur, habeamus, Cap. VI. *Surrexerunt*, inquit, *quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano*. Ex quo apparet omnes Orbis terræ nationes, apud quas Judæi versarentur, Hierosolymis habuisse Collegia, in quibus studiosa Juventus à Parentibus missa diligenter aleretur, ac doceretur. Quod vero ait Sigonius II. de Rep. Hebr. c. VIII. Academiam Hebræorum primariam in Templo fuisse, pro Peregrinis autem excitatas in Urbe privatas Scholas: fateor Templum exterius, quod porticum Salomonis appellant fuisse Academiam, at exteros. seorsim à Hierosolymitanis solitos Præceptoribus operam dare non legi. Imo Paulus Cilix Gamalieli, qui eorum, qui Hierosolymis docebant Princeps habebatur, operam dedit; procul dubio non docenti in Synagoga Cilicum, sed in primaria. ergo licet singularum nationum Collegia essent, una tamen omnium Academia erat Porticus Salomonis.

Præter Hierosolymitanam plurimæ erant in Palæstina Urbes Gymnasiis celebres. In quibus Jafna, Tiberias, Bitter, & extra Terram Israel, in Syria tamen, Nisibis: Iafna olim celebris, nam in ea docuit Rabban Gamaliel senex, multo celebrior fuit post excidium Hierosolymitanum. eo enim se contulit R. Jochanan Ben Zachai, & illa Urbs electa est, in qua literarum, ac gentis Principatus resideret. Ut scribit is qui Josephum Ben Gorion se vocat lib. VI. c. XCVII. Vocant Academiam Jafnensem, כרם idest Vineam Veteres Hebræi, quod quemadmodum in Vinea Vites ordine dispositæ magno numero spectantur, ita illic viseretur Auditorum magno numero sacris literis operam dantium series multiplex.

Bitter sub Adriani tempora omnium, quæ in Palæstina essent

essent celeberrima, sua clade facta est celebrior. Nam licet post excidium Hierosolymitanum secunda post Jafnam haberetur, ut idem Ben Gorion refert, postea tamen sub tempora Adriani, quibus Bar Cozbæ tumultus accidit, quanta in ea Urbe Judæorum multitudo versaretur, e clade ipsa agnoscitur. Capite Nezikin dicuntur in ea clade occidisse quadringentæ Myriades. alios vero refert, qui mille Myriades interiisse dicant. quamquam in Cæsare erratur, quem Vespasianum nominant eo loco, cum fuerit Adrianus.

Tiberiadis quoque Academia jam antea frequens, post Bitter funditus eversam, Princeps Palæstinæ habita est, ac diu fuit. In Sebamoth cap. x. narratur ingens rixa inter R. Eliezer, ac R. Jose, quæ in ea contigerit. *De pessulo* inquit, *ferreo crassiore capitato, quæstio mota est in Academia Tiberiadis, an Sabbatho versari tractarique posset. Rixabantur inter se R. Eliezer, & R. Jose eo usque, ut librum legis præ rabie consciderint. Fortè dicendum est Librum Legis ex indignatione ferventioris rixæ scriptum conscidisse. Aderat tùm R. Jose Ben Kesama, & ait: Mirabor, nisi hæc Academia fiat aliquando Idololatriæ Domus. & ita accidit.* Meminit hujus Academiæ pluribus R. Elias Grammaticus in præfatione ad Masoreth, aitque ab ea primum Sacris Libris addita esse puncta, & accentus. Meminit Epiphanius Hillelis Patriarchæ factum narrans, & Josephi. Meminit Svidas verbo *Jesus Christus*, inserens libellum de Christi Sacerdotio.

Nisibena etiam inter celebres habetur, in qua floruit R. Judas Ben Bethira, multo ante excidium Hierosolymitanum. De quo Pesachim c. 11. hæc narratio habetur. *Ethnicus quidam in more habebat ascendere Hierosolyma, & ibi comedere Pascha. Hic stetit ante R. Judam Ben Bethira, & ait; scriptum est Exodi XI. omnis alienigena non comedet ex eo. & rursum. Incircumcisus non comedet ex eo. Ecce ego comedi, & quidem ex primo opimo. Ait illi Juda Ben Bethira, quid? ex cauda dederunt ne tibi? Respondit: Non. Dixit illi: cum rursus ascenderis, dicito date mihi de cauda. Cum ergo rursus ascen-*

ascendisset, dicebat: de cauda mihi date. Dixerunt illi: quid est, quod ais? Cauda soli debetur Altissimo, quis te ita docuit? Dixerunt R. Juda Ben Bethira. Mirati sunt hoc audientes. sed facta inquisitione, invenerunt eum esse Gentilem, & occiderunt illum. Judæ vero per literas significarunt in hæc verba דאת בנציבין ומצודתך פרומה בירושלם *Tu es, Nisibi, & tuum Rete Hierosolyma usque extenditur.*

Alexandrina Academia paulo post Urbem excitatam condita est. Quam dicunt non modo Viris floruisse doctissimis, sed ipso loci ornatu, & structura locupletissimam fuisse. Nam sic in Hierosolymitano Tractatu Succa, capite החליל dicitur. *R. Juda dixit, quicumq; non vidit Academiam Alexandrinam, non vidit gloriam in Israel diebus suis. Dixerunt, erat instar Basilicæ Magnæ, & sedilium ordinis ante ordines, multitudo vero Auditorum sæpè erat ejusmodi, ut diceres duplum esse eorum, qui prodierunt ex Ægypto. Septuaginta Cathedræ aureæ stabant, juxta numerum Seniorum, lapillis pretiosis, & margaritis insertis fulgentes: ajunt in singulas XXV. Myriades denariorum aureorum esse impensas. in medio suggestus editus. & Prælector Synagogæ illic stabat. cum legeretur lex, sudario signum dabatur responsuris Amen.* Hujus Academiæ post Hierosolymitanam summa semper auctoritas fuit. adeò ut ei Templum etiam ædificare permiserint. in hac Philo, in hac plures Viri docti fuere. Hæc æditionem *Septuaginta Senum* probavit.

Hispania denique antiquissimam, & quæ diù perstitit, Academiam habuit, in Oppido, quod Hebræi Tolitolam vocarunt. Sunt qui dicant statim ab adventu Hebræorum in Hispaniam sub Nabuchodonosor Rege, qui Hierosolymitanos huc transtulit, excitatum fuisse Doctorum Virorum Cætum, & Conventum, qui multis postea sæculis perduravit. Zemach David parte II. ad an. MMMCCCXXX. *Auctor Catenæ Kabbalæ scribit fol. CI. Regem quemdam Hispaniæ transtulisse illuc plu-*

plurimos Iudæos Hierosolymis. & hos esse, de quibus Abdias Propheta dicit: & transmigratio Hierusalem, quæ est in Hispania, possidebit Civitates Austri. ex quibus nobilissimi quoque Tolitolim profecti sunt. Nomen urbis erat פירציליו *Pirzilo, sed vocata est à Judæis Tolitola*.

Ac ne longior sim in hoc argumento, quam multæ Hebræorum Academiæ fuerint, vel ante Christum natum, inde coniicere licet, quod in Actis Apostolorum Paulus per singulas ferme Urbes cum Judæorum Magistris disputat. Locus insignis est, Tract. Sanhedrin cap. IV. multitudinem Academiarum, & eorum qui in singulis excelluere nomina indicans. *Magistri nostri docuerunt: locus Deuter. XV. Justitiam, Justitiam sectare, significat: sectare sapientissimum quemque in Academia. Ito post R. Eliezer in Lud., post R. Jochanan Ben Zochai in Beror Chail, post R. Josuam in Pekibin, post R. Gamalielem Jafnæ, post R. Akiba in Bene Berek, post R. Sethia Romæ, post R. Anania Ben Taradion Sicine, post R. Jose in Cypro Insula, post R. Judam ben Bethira Nisibi, post R. Josuam in Captivitate* (ideſt Pomboditæ, quæ ut hic explicat R. Salomo commune nomen sibi vendicabant) *post R. Judam Nakkados in Beth Secarim. Post Senatores in Cubiculo dolato*, idest Curia. Atque adeo docemur his locis hos maximè floruisse. Hieronymus ait in Prologo in Job se *pro ejus intelligentia voluminis, Lyddæum quendam Præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis*.

TITVLVS III.

Bibliotheca Hierosolymitana.

ANtequam, vel Pisistratus Athenis, vel Ptolomæus Alexandriæ Bibliothecam ullam instituissent, fuit in Syria inde ab exordio Gentis eximia cura cogendi in unum clariora

Sapientum, ac celebriora monumenta. Vel antè diluvium lego in annalibus antiquissimis Chaldæorum, ex Abydeno, quem refert Apollodorus (amborum autem loca recenset Euseb. lib. 1. Omnim. Hist.) celeberrimam Urbem Regiam gentis Assyriæ fuisse πανтίβιβλον, omnium Librorum copia divitem nomine ipso præferentem. Nam quia Regni res, ac Religionum, & legum instituta, vel tùm publicè à Sacerdotibus literis consignata in Archivis Regiæ Urbis asseruabantur, necesse erat Urbem regiam librorum esse plenissimam. Videtur autem πανтίβιβλος Hebraice dici posse *Keriath Sepharim*. Si tamen Hebraice non Syriace sic vocata est Civitas, quæ multo post literarum studiis in Syria floruit. Duas gentes in publicis commentariis conficiendis, & asseruandis summam laudem semper obtinuisse ait libro primo contra Apionem Josephus, Ægyptios, & Assyrios. *Apud Ægyptios, & Babylonios, ex longissimis olim temporibus summa fuit circa omne genus scripta diligentia.* Sed ante diluvium, ac proximis temporibus non tam libris asseruabantur antiquarum rerum, ac disciplinarum Commentarii, quam columnis. Nam de Seriadicis columnis ex Manethone AEgyptio diximus, quas Hermes descripsit antiquus. His adde, & Columnam Acicarim Babylonicam, quam interpretatus est Herodotus, ut scribit Clem. Alex. Strom. lib. 1. Primus Sacrorum Regum Hierosolymis Bibliothecam David instituisse fertur. in eum finem opinor, ut filio, quem videbat ingenio pollere, majorem opportunitatem addiscendi faceret. Auxit autem Bibliothecam maximè suis libris. Quam & Salomo ampliorem fecit, & postea Ezechias majorem in modum ornavit. Sed cum hæc omnia misera clade Urbis interiisset, redux è captivitate Nehemias animum adjecit ad Vetus hoc patriæ ornamentum instaurandum. Ea de re nobilis extat locus II. Machab. II. v. XIII. *Inferebantur autem, & in Descriptionibus, & Commentariis Nehemiæ hæc eadem, & ut construens Bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & Epistolas Regum, & de Donariis. Similiter autem, & Judas ea, quæ deciderant per bel-*
lum,

lum; *quod nobis acciderat, congregavit omnia*; *& sunt apud nos*. *Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis*. Cujus Bibliothecæ videtur iterato fieri mentio 1. Mach. XIV., dum de Spartanorum literis dicitur, *Et placuit inferre exemplar in segregatis populi libris*. Græcè est: *ἐν τοῖς ἀποδεδειγμένοις τῷ λαῷ βίβλοις*. *In patentibus populo libris*. Quæ vero præter hanc omnibus expositam, privata cujusdam Bibliotheca Hierosolymis fuisse dicatur, & quo pacto eam Judæi Cordubam esse translatam fabulentur, in libro Justorum dictum est. Verum eversis Hierosolymis, Bitheræ primum Oppido celeberrimo, deinde hoc quoque ab Hadriano exciso, Tiberiade magni nominis fuit Bibliotheca, cujus meminit Epiphanius in Nazaræis, & Svidas voce *ἰησοῦς*: Verum Epiphanius eam vocat *τὰ γαζοφυλάκια* non ignoratione sermonis, ac nominum Hebraicorum, ut reor, sed quod id nomen ambitiosius Bibliothecæ suæ Tiberienses indidissent: Sed ad Hierosolymitanam Bibliothecam redeo.

Librorum igitur Hebraicorum videtur in Bibliotheca Hierosolymitana triplex fuisse clasis. Prima Sacros continebat XXIV., sive ut Josephus numerat XXII. Altera Libros expositos omnibus. Tertia Libros absconditos. *Expositos* voco, quos licebat omnibus perlegere, quamquam iis nulla tribueretur auctoritas: Hi sunt, quos supra meminimus vocari, *ἀποδεδειγμένους τῷ λαῷ βίβλους*. *Expositos populo libros*. Libros vero *Absconditos*, quos quacumque tandem ex causa, passim legi ab omnibus nolebant. Hi Hebraicè הנוים, & נמחרים vocantur, Græci verò dicunt *ἀποκρύφους*. Reiiciebantur in eam classem, tùm qui populo noxii esse posse, tùm quorum incerta esset fides. Ita ut posset idem liber modò apocryphus, modò expositus esse; dum sæpè discrimen, ac processus temporis facit, ut modo prosit, id quod olim nocere potuisset; & quod incertæ fidei erat, aliundè quæsito testimonio fidem nanciscatur. Diximus in Salomone, jactari apud Hebræos voluisse veteres Librum Ecclesiastis abscondere. Fertur & Targum Onkelos in Agiographa, & alterius in Job relatum esse inter Abscondita, sive

Apocrypha. Sic Evangelium Joannis, & Matthæi, Tiberiade servabatur in Bibliotheca Judaica inter Apocrypha, seu abscondita à perfidis Judæis, ut Epiphanius refert Hæresi XXX. & Dositheus ille Judæus apud Svidam historiam Sacerdotii Jesu Christi referens fabulosam, ait eam se ex libello, qui inter abscondita Tiberiade servaretur habuisse. Liber quoque Juchasin, sive de Genealogiis, de quo dicemus cum de Generatione Christi agendum erit, cum antea esset omnium lectioni expositus, postea relatus est inter arcana, & paulatim oblivioni datus: hinc Pesachim V. dicitur מיום שנגנז *A die qua relatus est inter abscondita liber Juchasin defecit robur Sapientum.* Nec non capite Chelek quinto Tractatus Sanhedrin dicitur, agitatum esse inter Veteres de libro Ezechielis referendo inter absconditos, ob quadrigæ illius, & Regis Tyri, ac Templi arcana, In Hierosolymitano Tract. *Pea.* idest de Angulo sic scribitur. Dixit Rex Lakis. *In Meghilla Setharim invenerunt scriptam hanc sententiam* יומים אעונך יום תעובני *Uno die me deseris, deseram te duobus.* Quæritur inter Hebræos quid sit *Meghilla Setharim* מגילת סתרים Et quidem putant sic vocatos Commentarios, quos privatim scribebant, non ut eos publice ederent, sed ut suis posteris inter arcana domus transmitterent. Alii vero librum aliquem ex absconditis, hunc esse. Hinc facile disces, quo sensu Apocryphi nomen usurpaverint primo Hebræi, deinde hos secuta Ecclesia. Non enim Apocrypha eo ipso vel damnata, vel rejecta oportet intelligi, sed tantum à lectione vulgi remota. Sic ubi Hieronymus ex opinione Judæorum loquens ait, præter XXIV. Libros, *quicquid est inter Apocrypha esse ponendum*; intelligi eo sensu, ut veterum Hebræorum quidam reliqua etiam Sacra Volumina noluerint publice ab omnibus legi, eaque occuluerint. Sed ad Bibliothecam redeo, in qua plurimos fuisse libros *Prophetarum*, & cæterorum etiam *de regionibus congregatos.* procul omni dubio est. Ejus rei Ecclesiasticus quoque fidem

fidem facit in Prologo sic scribens. *Multorum quidem nobis, & magnorum per Legem, & Prophetas, aliosque qui eos secuti sunt, sapientia demonstrata est, in quibus oportet laudare Israel doctrinæ, & sapientiæ causa.* Et deinde. *Avus meus Jesus postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, & Prophetarum, & aliorum librorum,* & postea. *Inveni ibi* (in AEgypto) *libros relictos non parvæ, neque contemnendæ doctrinæ,* quibus indicatur librorum copia Hebraicorum, qui Alexandriæ, erant, *relicti*, ut ait, haud dubium quin à LXX. Senibus, qui ad Regem Philadelphum vocati cum eum studiosum librorum esse scirent, eorum aliquot selectos Hierosolymis attulerant. Præcipuè vero illic Epistolas Regum fuisse collectas, Auctor secundi Machabæorum scribit. Non erit igitur ab re si aliquot Principum, ac Regum ad Judæos datas Epistolas hic adnotemus; partim quas potuit collegisse Nehemias, partim quæ postea missæ sunt. ut Hierosolymitanum quoad fieri potest instauremus Archivum.

Epistolæ Principum exterorum de Rebus Hebraicis.

Hirami Regis Tyri ad Salomonem de Templi ædificatione Josephus l. 1. C. Ap. Ejusdem de variis quæstionibus ad eundem. 16.

Vafris Regis AEgyptii ad eundem de Templi ædificatione. Eusebius lib. IX. de præp. C. IV.

Reginæ Sabæ ad eundem. Commemorantur, aut certè finguntur ab Hebræis, & meminit in Alchorano Mahomethus.

Benadad Regis Syriæ ad Joram Regem Israel pro Naamane curando IV. Reg. V.

Senacherib Regis Assyriorum ad Ezechiam Regem Judæ minaces, & impiæ. II. Par. XXXII.

Merodach Regis Assyriorum ad Ezechiam Regem Judæ officiosæ ob valetudinem recuperatam, & de prodigio Solis de-

decem gradibus retroversi ib.

Assueri Regis Medorum Epistolæ tres, prima adversus Judæos Amane procurante scripta. altera, ac tertia pro Judæis à Mardochæo dictatæ. Esther.

Cyri Regis Persarum Epistolæ Encyclicæ de Judæorum restitutione, & Hierosolymitani Templi ædificatione. II. Paral. vlt. Esdræ I.

Ejusdem edictum eadem de re promulgatum, & in Tabulario Regio servatum Ecbatanis, ac repertum. I. Esdræ VI.

Darii Regis Persarum Epistolæ ad Præfectos, & Satrapas pro deductione Zorobabelis, & Judæorum. III. Esdræ IV.

Ejusdem ad Præfectos Syriæ Phœnicis, & Libani, ut materiam suppeditarent extruendo Templo ibid.

Ejusdem ad Tartanabai, & alios Duces TransEuphratæos pro Judæis 1. Esdræ. Ejusdem ad Judæos, plurimas eorum immunitates, & privilegia continens III. Esdræ IV.

Ejusdem pro Levitarum, ac cæterorum privilegiis ibid.

Ejusdem Encyclica de Prodigio, quo Daniel in lacu Leonum servatus est. Dan. VI.

Nabuchodonosoris Assyriorum Regis literæ de Prodigio, quo Sidrach, Misach, & Abdenago servati sunt in media fornace. Dan. III.

Artaxerxis scriptum ad Esdram Sacerdotem, & Lectorem in lege Domini de postliminio 1. Esdræ VIII., & III. Esdræ VIII.

Thartanai Ducis TransEuphratæorum, ac Principum aliorum adversus Judæos ad Regem Darium literæ 1. Esdræ V.

Samaritanorum Epistolæ contra Hebræos ad Assuerum Regem ibid.

Sanabballat, Tobiæ, & Gosem Arabis, Principum Palæstinæ Literæ ad Nehemiam dolosæ, & criminationum plenæ II. Esdræ VI.

Eorundem aliæ ad Eundem, & ad Judæos plures ibid.

Artaxerxis Epistola ad Balsamum Mithridatem, & alios Sa-

mariæ

mariæ præfectos pro Judæis. III. Esdræ II.

Beselam Mithidratis, & Thabeelis Præfectorum epistolæ ad Artaxerxem Regem contra Judæos Syriacè 1. Esd. IV.

Alexandri Macedonum Regis rescripta de Judæorum in Palæstina libertate servanda. Josephus 1. Contra Ap.

Ejusdem de Judæis Alexandrinis ibid.

Antiochi Regis Syriæ Encyclicæ pro una Religione Græcanica in Universo Regno constituenda 1. Mach. 1.

Ejusdem Epistola deprecatoria ad eosdem Judæos II. Mach. IX.

Ejusdem Amnéstia II. Mach. XI.

Ejusdem ad Judæos Libri de eodem argumento ibid.

Bacchidis Ducis Literæ occultæ ad Judæos quosdam submissæ. 1. Mach. IX.

Demetrij Regis Syriæ ad Jonathan de foedere 1. Mach. X.

Ejusdem aliæ ad eundem, & S. P. Q. Judæorum 1. Mach. XI.

Ejusdem aliæ ad Lasthenem de Judæis ibid.

Alexandri Syriæ Regis ad Jonathan 1. Mach. X.

Arii Regis Lacedæmoniorum ad Oniam Pontificem 1. Machab. XII.

Lysiæ Procuratoris, & Propinqui Regis ad S. P. Q. 1. Machab. XI.

Q. Memii, & T. Manilii Legatorum Literæ ad S. P. Q. I. ib.

S. P. Q. R. Rescriptum ad S. P. Q. Jud. 1. Mach. IX.

S. P. Q. Spartani Epistola ad S. P. Q. Jud. ibid.

Antiochi F. Demetrii R. Syriæ Epist. ad Simonem F. Matthiæ, & S. P. Q. Judæor. 1. Mach. XV.

Lucii Consulis Romani ad Ptolomæum Regem AEgypti de Judæis in Romanorum Amicitiam ad scitis. ibid.

Ejusdem in eodem argumento ad Reges Demetrium, Attalum, Ariarathem, Arsacem. & ad Lapsacenos, Spartanos, Delios, Mynios, Sicyonios, Cares, Samajos, Pamphylios, Lycios, Halicarnassæos, Coos, Sidenses, Rhodios, &c. ib.

Ptolomæi Lagi, & ordine succedentium Regum Ægypti Epistolæ, quibus Hebræorum privilegia, quibus Alexandriæ fruebantur, expressa erant. Joseph lib. 1. C. Apio.

Pto-

Ptolomæi Philadelphi Regis AEgypti ad Eleazarum Pontificem de interpretatione Sacrorum Librorum. Aristæas. Joseph. lib. XII. Ant. C. 2. Ejusdem in gratiarum actionem ib. Epiphanius verò alias recitat libr. de Pond. & Mens.

Ejusdem Edictum, quo CXX. Mill. Judæorum redempta, & libertati, ac Patriæ restituta sunt. ib.

Augusti Edictum pro Judæis Columnæ incisum Alexandriæ. Joseph lib. 1. Contra Apionem.

T I T V L V S IV.

Viri Magnæ Synagogæ.

אנשי כנסת הגדולה.

MAgna Synagoga, qua nihil clariùs post Sacros Vates apud Hebræos est: nec perpetuus aliquis Senatus, nec Sacerdotalis Conventus fuit: sed totius Ecclesiæ sub quibusdam præcipuis Ducibus Summo Sacerdote præeunte unanimis, & apta consentio, quo nonnulla saluberrimè constituta sunt è re tùm Religionis, tùm gentis, ac publicæ libertatis. Nam ex eo tempore, quò primùm Sibi, ac Patriæ restituta est gens Hebraica, diù apud Barbaros exul, & quamvis Prophetis destituta (quorum tamen reliquiæ aliquandiù servituti superfuere) Sapientum, ac Doctorum Virorum ubere copia dives, in commune de rebus Sacris, ac prophanis quærere cæpit: Is Coetus dictus est Magna Synagoga, Hebraicè *Cheneseth Hagghedola*. de qua tria sunt hoc loco digna quæsitu. Primùm quinam ei interfuerint. Deindè quandiù duraverit. Tertiò quid scripserit, vel statuerit.

Quinam præcipui fuerint in Magna Synagoga inter ipsos Hebræos malè convenit. Nam Quidam Viros Magnæ Synagogæ numerant centum viginti, in quibus hos primarios. Jesum F. Josedech Pontificem, Esdram Sacerdotem, & Scribam, Malachiam

Jachiam, Zachariam, Haggæum, Mardochæum Balſan, Danielem, Ananiam, Azariam, Miſaelem, Zorobabelem, Nehemiam, Saream, Raaliam, Maſparem ejus Filium, Rachum. At R. Iſaac Abarbinel libro Nechalath Avoth contendit ſucceſſionem Theologicam per duodenarium numerum proceſſiſſe, ita ut in ſingulis ordinibus duodeni fuerint. Sic duodecim Seniores accepiſſe dicit à Moſe, duodecim Prophetas à Senioribus, duodecim Viros Magnæ Synagogæ à Prophetis, duodecim Tanaim à Viris Magnæ Synagogæ. Pugnat autem, ut probet, nec Danielem, nec tres ejus collegas, & ſocios Ananiam, Azariam, Miſaelem hujus Magnæ Synagogæ intereſſe potuiſſe. *Conſtat*, inquit, *ex Joſepho Gorionide, Danielem tempore Darii Medi Suſa iviſſe, ibique in munere ſuo ad Regis miniſteria ſubſtituiſſe Zorobabelem, deinde Suſis mortuum eſſe antequam rediret ab exilio. Porro Ananiæ, Azariæ, Miſaelis nulla eſt mentio tempore Darii Regis: quo conſtat eos jam ad meliora tranſiſſe. Quid ergo movet R. Moſem Maymonidem, ut putet hos tres pueros poſtquam in fornace fuerunt, aſcendiſſe ad terram Iſrael, ibique dediſſe operam Sacris Studiis, apud Jeſum F. Joſedech Sacerdotem Magnum, & de his dictum eſſe Zach. III. v. 8. Audi Jeſu Sacerdos Magne, tu, & tui amici, qui ſedent contra te, quia viri portendentes ſunt? Fallitur profecto. nam quemadmodum ſilentium, quo Daniel tegitur indicat eum non adfuiſſe huic Synagogæ Magnæ, ita idem in tribus illis Pueris valet. Quin de Daniele traditio id etiam docet, in Tractatu Joma.* Hæc Abarbinel, qui ſanè non malè de his quatuor Viris argumentatur eos in captivitate mortuos. Nam quis credat ejuſmodi Virorum nullam futuram fuiſſe apud Eſdram, & in Paralipomenon libris mentionem?

Quandiu vero duraverit magna Synagoga, non levior diſceptatio eſt. R. Abraham in Kabbala plures ei ætates dat. R. Moſes Maymonides præfatione in Miſnajoth, ac R. Iſaac Abarbinel loco citato eam una ætate concludunt: Prior ſententia vera omnino eſt. Nam conſtat apud eos Magnam Synagogam cenſeri, ab Eſdræ temporibus, uſque ad Simeonem Juſtum. Atqui Eſdras quo tempore vixerit, ſcimus: Sub Cyro ſcilicet

Rege Persarum. Simeon Justus ipsorum opinione vixit sub Alexandro Macedone. Sic enim scribunt eorum Chronologi. Revera tamen, meliore suffragio historicorum longe serius vixit, ut postea dicemus, & fatetur Juchasin fol. CXXXVII. Atqui à Cyro ad Alexandrum longior intercapedo temporum est, quàm, quæ una expleri possit ætate. Vixerunt enim Reges Persarum plures post Cyrum, usque ad extremum Darium Regem ab Alexandro devictum. Zemach David, qui ex Hebræorum opinione annos supputat, scribit Cyrum obtinuisse Regnum anno Mundi MMMCCCXC. Alexandrum vero Hierosolymam ingressum anno MMMCCCCXL. quo vix dat Regno Persarum annos L. Id verò pugnat cum omni veterum Scriptorum traditione, ac fide. Causa quare Judæi contrahant annos Regum Persarum hæc est. quod ita velint Hebdomadarum Danielis numerum, qui recta incidit in Christi Servatoris ætatem eludere, & simul fateri nolint post quartum millenarium expletum venisse Christum, ne urgeantur Eliæ prædictione, quam ipsi referunt: obiicientibus vero Græcorum, Latinorum, & Barbarorum omnium Historicorum fidem, respondent se nihil exteris credere. Zemach David Parte II. anno MMMCCCXCIII. sub finem. *Scito*, inquit, *Christianos Scriptores supputare sic annos XXIV. Regum Persidis. Et proinde eorum numerum esse plusquam ducentis annis nostro auctiorem. Sed nos Synagoga Israel Sancti, non credimus Libris Historicorum, qui conscripti sunt per manus Auctorum, qui non sunt è filiis Israel.* Hactenus rebellium Judæorum adversus Clarissima Veterum Testimonia imperita, & bruta exceptio. tamquam tot Regum res gestæ, ac sæcula suis discreta, ac digesta monumentis, fabulæ sint, quia nihil horum tradidere Judæi. cum *Seder Olam*, qui est ipsis antiquissimus Historiarum liber (Josepho Gorionide rejecto) multis sæculis hæc tempora sequatur. sed illi ut volent. nobis id certo constet a Cyro ad Alexandri in Asia Regnum supra ducentos annos fluxisse. ac toto eo tempore censeri Magnam Synagogam.

Demum quid scripserit, quid constituerit edideritque

Ma-

Magna Synagoga, utilius quæritur. Hæc illi tribui apud Hebræos lego.

ד טפריט מהקדושיט Libros IV. è Sacris.
מקרא Editionem Bibliorum.
נגד חכמות חצוניות Contra Apocryphos Libros.
כדר חפילות Ordinem precum.
חקנות אחרוח Constitutiones alias.

L*ibros quatuor è Sacris* tribuunt Viris magnæ Synagogæ velut ab iis communicato labore editos: *Ezechielem, Danielem, duodecim Prophetas, & Esther.* Nam duodecim Prophetas unum ipsi numerant Librum, quem vocant חרי עשך *Duodecim.* Sed horum nihil à nobis recipi verioris Historiæ traditio patitur. Suis enim locis indicatum est, quos hi libri Auctores tutius credantur habuisse.

Sacrorum Bibliorum editio huic Synagogæ merito communi omnium Scriptorum consensu tribuitur. Nam post primam Sacrorum Librorum collectionem, quam ediderunt Ezechias Rex, ejusque Academia, in qua videntur fuisse Pentateuchus, Josve Judices, Ruth, Samuel, Job, Psalmi, Proverbia, Cantica Canticorum, Ecclesiastes, Isajas: secunda hæc fuit editio, in qua constitutus est numerus, & Canon Sacrorum Librorum ille, quem ad hanc diem Hebræi retinent. In qua editione tria sunt notanda. Primo numerus, secundo ordo, tertio correctio, & καλλιγραφία. Sacri Libri, quos Esdræ Concilium recepit fuere numero XXIV., qui tribus classibus distinguuntur. Legis, Prophetarum, & Agiographorum. Lex continet Libros V. Prophetæ Libros VIII. Agiographa Libros XI. Hinc opus ipsum *Cad* vocant à numero כך, qui XXIV. continet. Quod autem ab hoc numero quædam è Sacris Voluminibus, aut eorum partes exclusæ fuerint, causa fuit, vel quòd tunc scripta non fuerint, ut Sapientiæ, Machabæorum, Ecclesiastici, vel quòd eo

tempore non fuerint præ manibus, quippè eorum Librorum quidã in Captivitate, aut ejus tempore scripti sunt. Tobiæ, Judith, Esther, Danielis, ut mirum non sit, vel omninò eos non dum eo tempore devenisse in manus horum Virorum, vel certè devenisse non integros. Ordo autem hic est.

חודה חמשה ספרים · Lex Pentateuchus, seu V. libri.

בראשית I. Genesis.

שמוח II. Exodus.

ויקרא III. Leviticus.

בסדבר IV. Numeri.

רברים V. Deuteronomium.

IN hac prima Classe nullum discrimen est Nostræ, & Hebraicæ editionis, nisi quòd R. Judas Hakkados dicitur Pentateuchum in septem libros divisisse. Numerorum libro diviso in tres. Quod jure, ut absurdum omnes reiiciunt.

SECUNDA CLASSIS.

נביאים שמנה מפרים Prophetæ VIII. libri.

ראשונים אר בעה Priores IV.

יהושע I. Josve.

שופסים II. Judices.

שמואל III. Samuel.

מלכים IV. Reges.

אחרונים ד Posteriores IV.

ישעיה I. Isajas.

ירמיה II. Jeremias.

III. Eze-

יחזקאל III. Ezechiel.

תרי עשר IV. Duodecim Minores.

IN hoc ordine Controversia est Hebræis nobiscum, & inter se. nam nos inter Judices, & Samuelem suo loco ponimus Ruth. Samuelis, & Regum libros vocamus *Quatuor Regum*. Post hos vero minimè Isajam subteximus, sed reliquos Historicos omnes, præter Machabæos. deinde Sapientiales, post quos Isajam. post Jeremiam quoque Threnos, & Baruch, post Ezechielem ponimus Danielem. Sed & Minores duodecim à nobis aliter, atque ab illis disponuntur. Hebræis quoque inter se non convenit in hoc ordine. Nam Ghemara in Bava Bathra collocat Jeremiam ante Isajam: at Masora præmittit Isajam. Hispani Masoram sequuntur, Germani, & Galli Ghemaram, inquit R. Ghedolias. in impressis libris Masoræ ordo retinetur.

CLASSIS TERTIA.

כתובים יא ספרים Agiographa libri XI.

תהלים I. Psalmi.

משלי II. Proverbia.

איוב III. Job.

שיר השירים IV. Canticum Canticorum.

רות V. Ruth.

איכה VI. Lamentationes.

חמש מגילות קהלת VII. Quinq; Volumina Ecclesiastes.

אסתר VIII. Esther.

דניאל IX. Daniel.

עזרא X. Esdras.

דברי הימים XI. Paralipomena.

IN

IN hoc quoque ordine pugna est. Editio Veneta R. Jacob Chaym, sic digerit hos libros, & hic est inquit R. Ghedodolias, Hispanorum Ordo; sed Ghemara in Bava Bathra cap. 1. *Docuerunt*, inquit, *Magistri nostri Ordinem Agiographorum esse hunc: Ruth, Psalmos, Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Lamentationes, Danielem, Esther, Esdram, Paralipomena.* Masoretæ vero ab utroque discrepant; quorum hic est ordo: *Paralipomena, Psalmi, Job, Proverbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Lamentationes, Esther, Daniel, Esdra*. Nostra vero editio rursum ab his omnibus discedit. Nam nobis Job, quippe antiquissimus, inter Sapientialia primus ponitur, deinde Psalmi, tùm tres Libri Salomonis Ordine quos eos scriptos probabile est: Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum. Lamentationes vero Jeremiæ addimus, Danielem Prophetis adjungimus. Paralipomena, Esther, Esdram Historicis, Ruth vero antiquissimus libellus inter Judicum, & Regum libros suum obtinet locum. Correctio, & καλλιγραφία, sive emendata, ornataque scriptio Sacrorum Librorum plura continet in quibus hæc.

חלוק הפסוקים Distinctio Periodorum.
קרי וכתיב Lectionis à scriptione diversitas.
מלא וחסר Plenum, ac deficiens.
אותיות הגדולות וקטנות Literæ Magnæ, & Parvæ.
נקודות Puncta Vocalia.
טעמים Accentus.

HÆC omnia Magnæ Synagogæ adscribi adnotat R. Ghedolias in Catena Kabbalæ fol. 21. Additque ad extremum. *Nihilominus Veteres Auctores nostri diversa sentiunt in hac quæstione*; postremo addit ex suâ sententiâ: *Cor meum suadet mihi, ut ad eam partem propendeam, quæ dicit hæc omnia tradita esse Mosi in Sinai; & tùm quidem oblivioni data, quod Moses non accepisset hæc, ut ea scripto committeret: postea vero*

ro venisse hos Principes, & scripto notasse omnia, & rursum, ea in memoriam redegisse. qua de re videndi R. David Kimchi præfatione in Josve, Ephodi Capite LXXXVII. R. Elias Germanus in Maloreth Hammasora. R. Jacob Chaym præfatione in Biblia. R. Isaac Abarbinel præfatione in Jeremiam.

Tertius Magnæ Synagogæ labor adversus libros Apocryphos susceptus. Ipsis enim tribuitur antiquum illud edictum, quod legitur in Capite Chelek הקורא בספרים החצונים אין לו חלק לעהב. *Qui legit Libros Exotericos, non habet partem in sæculo futuro*. Quid autem per Exoterica intelligatur hoc decreto, variæ sunt Hebræorum opiniones. Quidam Exoterica putant vocari omnia, quæ in Canone non sunt, vel ad Sacros Libros non pertinent. ita ut vetentur libri omnes, qui non sint, aut Sacræ Literæ, aut eorum Commentaria, aut certè utcumq; de illis agant. Secunda opinio est, Exotericos vocari libros omnes Ethnicorum, & Hæreticorum, qui extra Synagogam sunt. Tertia, vocari Exotericos Libros eos qui neque ad utilitatem aliquam pertineant, neque honestæ oblectationi serviant; denique eos, qui nullius bonæ frugis habeantur. Quarta, Exotericos dici damnatos, & publica censura notatos. Ex his quatuor sententiis Ghemara Hierosolymitana, & Babylonica videntur primam, quæ severissima est elegisse. Nam sic scribitur in Hierosolymitana ad eum locum: *R. Akiba dicit, etiam qui legit libros Exotericos, sicut libros Ben Sire, & Ben Laane, sed libri Hamiras, & libri omnes, qui scripti sunt ex eo tempore huc usque, si quis eos legat, perinde est, ac si legat Epistolam*. In Babilonico vero dicitur *R. Joseph dixit. Etiam liber Ben Syræ vetitus est*. alii vero adnotant librum Ben Teglæ. Et hos omnes R. Ghedolias scribit ante reditum è captivitate vixisse. *Tunc*, inquit, *inveniebantur libri Ben Laana, & libri Hamiras, quorum in Hierosolymitano mentio est Capite Chelek. nec non libri Ben Tegla*. Hæc ille in Catena pag. 19. Sed Ben Sira procul dubio est multo posterior captivitate Babylonica, de quo mox agemus. & quis sit Hamiras, Ben Laana, & Ben Tegla

quæ-

quæstio est inter Hebræos, quam silentio expediunt: nihil enim de his à veteribus traditum habent; nisi quod de Hamiras conjectura plurimorum est eum esse Homerum. id quod R. Azarias in Maor Enaim se à Viris doctissimis suæ Gentis accepisse confirmat. & favet Aruch, qui legit המירום *Homiros*. Nec dubito quin feliciter divinent, nosque de hoc rursum postea. Quicumque sint autem hi libri, & quibuscumque censeantur Auctoribus; quatenus & quo sensu prohibeantur explicat R. Azarias his verbis: quæ quia diligenter exponunt Hebræorum sententiam, hic afferenda esse censui: *Midras Koheleth apertè docet decretum de non legendis libris Exotericis eo tantum spectare, ne quis in eis studium figat, ac fundet, non autem ne casu, aut ex occasione eos legat. Nam qui dedita opera eos legit, existimans eos magni pretii esse, & avide eorum verba hauriens, hujus animus rapitur eorum amore, & avertitur à fonte aquæ vivæ, ut fodiat sibi puteum, de quo dicat, non habemus aquas. Quamobrem lectio per intervalla repetita, ad inveniendum aliquid, quod faciat ad explicationem loci alicujus Sacrarum Literarum nunquam à majoribus nostris damnata est. Nam versu illo Ecclesiastis Cap. XII. v. XII.* בני הזהר מהמה ויותר. *Et amplius fili mi ne requiras; explicant vocem* מהמה *pro tumultu. ac dicunt: Quicumque in domum suam intulerit plusquam Cad* כד, *idest XXIV Libros Sacros, ille inducit tumultum. sicut inducunt librum Ben Sira, & Ben Tegla. Labor plurimus, & afflictio Carnis. Commentari aliquid ex iis licet. Cumque manifestum sit Midrascim esse Narrationes Terræ Israel, ut scribit. Usque ad afflictionem carnis iis vacare non licet. Hactenus Midras. Cumque manifestum sit Midrascim esse Narrationes Terræ Israel, ut scribit R. Salomo. in Cap. XLVII. Gen. vers. II. ex hujus Midras expositione percipietur optimè sensus loci ex Hierosolymitano allati, Capite Chelek. ubi sic scribitur: Libri Exoterici, V.G. Ben Sira, & Ben Laana. Sed libri Hamiras, idest Homeri, & qui scripti sunt post id tempus, quis eos legat perinde est, ac si Epistolam legeret. Quis sensus est ejus loci Eccl. XII. v. XII.*

&

& amplius fili mi ne requiras נחנו ל'כ'עה לא נתנו להג'ין *ad Commentationem dati sunt* (cæteri libri præter Sacros) *ad afflictionem dati non sunt. Hactenus Hierosolymitanum. Nec dubium quin hic sensus loci sit. Libros quidem Ben Siræ, & Ben Laanæ etiam usque ad Commentationem probiberi. reliquos vero non ita. sed in iis Commentationem licere, afflictionem Carnis non licere. Verum quo pacto hæc benè cohærent cum iis locis quibus vidimus ipsum Ben Syra ab iisdem Auctoribus nostris citari? Haud dubium quin eum legerint, & viderint. Quid vero est, quod volunt licere lectionem librorum, qui scripti sunt* מכאן ואילך. *Postea an libri illi, qui scripti sunt post illos duos Ben Sira, & Ben Laana? Quid ergo diversum à reliquis hi duo Scriptores habent, ut soli probibeantur, reliquis permissis? Nimirum apertum est locum hunc Hierosolymitani eodem spectare, quo Midras Kobeleth. Et idem est, ac si dixisset: Libri Exoterici, quales sunt Ben Sira, & Ben Laana, & nibilominus libri Homeri, & omnes qui scripti sunt* מבאן ואילן, *idest post* Sacros *Auctores Librorum XXIV. perinde habentur, atque Epistolæ familiares. Itaque libros Homeri vocat omnes libros, qui sunt contra Biblia. Quare non minus libri Ben Sira, & Ben Laana, vel Ben Tegla, quàm omnes libri veterum Etbnicorum intelliguntur nomine Homeri. quorum lectio fortuita, & non stabilis, nec perpetua minime probibetur. Hæc eadem reperies in Midras Midbar Rabba, ubi idem Ecclesiastis locus eodem modo explicatur.* Et paulo post. R. *Jom Tob in caput* המוכר פירות *ad illud Ber Siræ* הכל שקלתי בכף מאזנים. *Omnia expendi in lance libræ. Sic scribit, & si majores nostri in Tract. Sanbedrin Cap. Chelek retulerint librum Ber Sira inter Chizonim, idest Exotericos, tamen id tantum significat non licere ejus auctoritate firmare, quod dicitur; non autem non posse interdum*

terdum legi. Hactenus ille. *Simile est, quod legitur Capite* ואלו מבלחין, *& Capite* יום הכפורים *de eo, qui libris Hæreticorum, & Aristotelis operam dabat. Qui (ut notat R. Josepho Karo libro Nemuke Joseph Karo decima quarta, in fine quæstionum Niddai) nimium addictus erat his libris, atque ideo deprehenditur, quia ibi figebat, ac firmabat sententiam suam.*

Quartum opus Magnæ Synagogæ diximus Precum, & Rituum sanctionem, quæ duo continet, alterum est dierum festorum, ac profestorum, & proinde totius anni temporum distributio, quæ vocatur Hebraicè *Machzor*, idest *Anni Circulus*, seu *rediens in seipsum Ordo* à verbo חזר *Chazar*, quod in se ipsum redeat, nos vocamus Cyclum Græcà voce. Alterum precum ipsarum compositio, quas appellant Hebraicè *Tephiloth*. Utrumque his Magnæ Synagogæ Viris meritò tribuitur. Nam cum tempore Templi secundi, tùm in ipso Templo, tùm in Synagogis omnibus certus ordo servaretur precum, ac certa tempora festorum dierum, idque ante Babylonicum exilium, vel non ita exactè constitutum fuisset, vel certè captivitatis incommodis perturbatum, credibile est à Viris Magnæ Synagogæ optimè omnia digesta, & in ordinem esse revocata. De ordine dierum festorum, & serie mensium R. Ghedolias tribuit Magnæ Synagogæ. *Numerationem mensium anni à Tisri, quia usque ad id tempus incipiebant à mense Nisan.* Ad hanc eandem festorum dispositionem pertinet distributio lectionum Sacrarum. Constat ante Christi tempora legem Mosis solitam singulis Sabbathis in Synagoga publicè legi. Actorum XV. *Moyses à temporibus antiquis habet qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.* Non tota Lex autem, idest Pentateuchus legebatur; sed ea in tot sectiones divisa, quot possunt in anno esse Sabbatha, Singulis singulæ Sectiones inde ab antiquis temporibus legi solebant. Vocantur hæ Sectiones *Parsciotb* פרשות sunt autem LIV. Nam licet Quinquaginta sufficere possint anni curriculo, atque eo minus, quòd

ipsis

ipsis Lunaris esset annus, addendæ tamen erant aliquæ ob mensem intercalarem *Neadar*, qui identidem quatuor Sabbatha addebat anno: quibus autem annis nihil addebatur, iis aliquæ lectiones jungebantur, ut sic quotannis Lex integrè percurreretur. Hanc Legis in tot Sectiones distinctionem, Quidam tribuunt Viris Magnæ Synagogæ. Alii, quos R. Ghedolias sequitur, omnia Mosem tradidisse dicunt, sed cum longo tractu temporis in oblivionem venissent, ab hoc Coetu Virorum instaurata. Alterum, quod huc pertinet, est precum ipsarum Compositio, quam his quoque Viris adscribunt. Zemach David prima par. Anno MMMCCCCXIII. *Viri Magnæ Synagogæ ipsi composuerunt nobis orationes nostras*. Et citat Caput את המגילה הקורא, quod est secundum Tractatus Meghilla, quamvis illic dicatur in hunc modum: *Simeon Pexulites ordinavit Benedictiones XVIII. ante R. Gamalielem* Japhnam; obiicitur, *CXX. Seniores, in quibus & Prophetæ aliqui fuerunt, has XVIII Benedictiones ordinasse dicuntur. quod si hoc fecerunt illi CXX. Seniores, Simeon quid fecit?* Respondetur. *Oblivioni traditæ erant, & ille restituit*. Hæc illi. In Tract. Joma, & alibi dicuntur Viri Magnæ Synagogæ *Restituisse Coronam Deo*. Id quod explicatur ibidem, quod cum Moses dixisset cum Deo loquens, האל הגדול הגבור והנורא *Deus Magne, & Potens, Terribilis*, eam verò Magnificam appellationem nemo Prophetarum, qui secuti sunt, integram pronunciasset; Viri Magnæ Synagogæ eam integram restituerint in suis precibus.

Constitutiones denique variæ adscribuntur Viris Magnæ Synagogæ; adeo ut de iis dicat Juchasin: *Ipsi constituerunt Sacras preces, & ritus separationum, & quidquid benè constitutum est.*

Libros septuaginta, quos Esdræ assignant Picus Mirandulanus, & Galatinus, alii tribuunt Viris Magnæ Synagogæ. Sed præter ea, quæ sunt ibi dicta, quò clarius appareat nullos fuisse tales Libros, adducam Auctoris apud Hebræos celeber-

berrimi testimonium, quo diserte id negatur. Is est R. Josve Levites libro Halichoth Olam statim initio sic scribens: *A diebus Mosis Magistri Nostri, qui suscepit Legem in Monte Sinai, ore ad os, usque ad R. Hakkados nullus liber scriptus est, pertinens ad legem ore traditam.* idest ad Kabbalam.

TITVLVS V.

Philosophi Græcorum.

חכמי יון

CLemens libro primo Stromatum eam Christi sententiam: *Quicumque ante me venerunt Fures sunt, & Latrones*: ait ad Philosophos, & Sapientes pertinere Græcorum, qui jure Fures vocentur, quod ex Hebræorum Sacris Libris, & institutionibus furto abstulerint, quicquid habeant solidioris eruditionis, ac sapientiæ verioris. Proinde visum est mihi hoc loco eos quoque censere, qui Græcæ Sapientiæ Summi Antistites, & Parentes habentur; ac paucis indicare quo pacto ex Hebraicis fontibus hauserint. Præcipuè vero hæc nomina proponentur.

Japetus.	Argos.	Musæus.	Socrates.
Dionysius.	Perseus.	Pythagoras.	Plato.
Amphictyon.	Orpheus.	Thales.	Hipparchus.
Athenæ.	Dodona.	Homerus.	Epicurus.
Lacædemon.	Cadmus.	Pindarus.	Aristoteles.

CElsus, ut libro primò adversus eum scribens refert Origenes, omnes fere barbaras nationes sapientiæ causa admirabatur unis Hebræis exceptis, quibus neque vetustatem, neque ullam sapientiæ laudem tribuebat. Sed hunc odio Christianæ fidei ex Hebræis ortæ ista dixisse Origenes luculenter osten-

ostendit. Et vetus contra celebratur oraculum.

Μοῦνοι χωλδαῖοι σοφίην λάχον οἱ δ' ἄρ Ἑβραῖοι.

Soli Chaldæi sapientia sortiti sunt, sive Hebræi. Nobis autem ea de re verius, ac certius constat Oraculum: Baruch III. de Sapientia lòquens: *Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nesciverunt, neque commemorati sunt semitas ejus:* & postea; *Hic est Deus noster. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo.* Nec alio sensu Jesus Syrach sapientiam sic loquentem inducit. *In omnibus requiem quæsivi, & in Hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, in Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in Electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum &c.* Superfluum verò esset huc illa congerere, quæ à primis antiquitatis Hebraicæ propugnatoribus disputata, quæ Philo, Josephus, Justinus, Tatianus, Athenegoras, Origenes, Clemens, Tertullianus, Eusebius, & coeteri dissertissimè prosequuntur. Græci quidem ex Hebræis literas ipsas habent, & ipsum nomen. *Jones* enim olim dicti ex Hebraica voce יון, quo minus pudet eos Hebræis cætera debere. Ex Hebræis vetus Auctor Cuzari libro, seu sermone secundo, initio ait: Interrogatos fuisse Sapientes, unde primum exordia disciplinarum, ac sapientiæ origo manarit, respondisse omnes Hebræis deberi primis; à quibus Chaldæi didicerint, qui Medos, & Persas, & Ægyptios instituerint, post quos sera demum ad Græcos sapientia venerit. R. Moses lib. *More.* parte prima. *Scientiæ*, inquit, *primo fuerunt in Israele; sed ob dominatum gentium in nos venerunt in manus exterorum. Et nunc si quid eos ab illis mutuamur, videtur exordium ab illis esse, cum sit oppositum.* Plura de hoc argumento R. Ghedolias in Catena par. II., qui & Averroem idem dicentem, Hebræisque primatum deferentem citat. Nos quosdam, qui apud Græcos summi habentur sapientiæ Proceres osten-

ostendemus aut Hebræos, Hebræisve affines fuisse, aut Hebræorum Sectatores, Auditoresque.

Japetus, quem diximus Japheth Noe filium Græcis Auctor, ac Parens antiquissimus, traditur fuisse Sapientum. Quem Gigantem, & Gigantum Parentem fingunt, & bella cum Diis gerentem, ob vim ingenii cuncta audentem. undę illud Horatii

Audax Japeti genus.

Huic filius fuit יון Jon, seu *Jovan*, ex quo Jonia dicta, & Græci, quos *Invanim* Hebræi vocant. Neque hac solum cognatione cum Hebræis Græci junguntur, sed illa etiam, quod cum pleræque Japeti familiæ interiissent, Abrahami filii in eorum locum substituti feruntur in Berescith Rabba sectione XXXVI. ad ea verba Geneseos. *Et dispersit eos inde*. Illud. ויפץ per literarum solitam męthatesim legunt ויצף, & inundavit eos. Quo loco sic traditio. *Inundavit in eos mare, & mortuæ sunt ex iis XXX familiæ. R. Levi dixit nulla est angustia incidens homini, ex qua alter lucrum non habeat. Unde natæ sunt postea hæ tredecim familiæ? ex Abrahamo. XVI ex Chethura, duodecim ex Ismaele, & duæ reliquæ gentes, illæ sunt, de quibus dictum est: Duæ gentes in utero tuo*. sed quidquid sit de hac traditionę, Certum est plures Græciæ populos origenem ducere ex Hebræis. Nam de Spartanis 1. Mach. XII. *Inventum est in scriptura de Spartiatis, & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genęre Abraham*. Cum autem de Spartiatis hoc dicatur, cur non aliis quoque populis Græciæ eandem Originem fuisse credamus, cum ejusdem omnes nominis, & prosapiæ censeantur? Itaque illud: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem*: quidam intelligant hoc etiam sensu, ut stirpem Semi ex Abrahamo natam Japetus sibi adoptione adsciverit.

Dionysius, seu Bacchus, & ipse Græcorum, ac Barbarorum antiquissimus habetur Institutor, & Magister. Bacchum autem non alium esse, quàm Noe Viri docti opinantur. in quibus Tzetzes decima Chiliade Hist. CCCXXXV.

Ἥφαιστός τις αἰγύπτιος ἐν χρόνοις τοῖς τοῦ Νῶε
Ὃς Νῶε καὶ Διόνυσος, καὶ Ὄσιρις καλεῖται.

Vulcanus quidam Ægyptius tempore ætatis Noe
Qui Noe, qui Dionysius, qui Osiris vocatur.

Et sane, quod hic dicitur bis natus, alludit ad Noe bis natum, è Matre, atque ex Arca. Quod hic Vitisator, ad Noe primùm vineæ cultorem. Quod hic semper ebrius, ad Noe, qui semel. Quod huic Natale solum Thebæ, ad Noe, cui Arca, natalis Hebraice *Theba* תיבה. Quod hic pro Jove adversus Gigantes pugnavit, ad Noe, qui pro Deo O. M. adversus impios. Et ne plura, turpissimæ illæ fabulæ Ithiphalli, & fascinæ, quid aliud quam id, quod Noæ Patri contigerat temulento in sacrilegis Oigrorum Sacris indicabant? Homerus ille omnis antiquæ eruditionis, ac sapientiæ conscius senex, Bacchum in Palæstina natum facit in hymno. Nam pluribus sententiis enumeratis, de Bacchi Patrià, statuit eum natum esse in Monte quodam Nysa, qui sit inter Phænicem, & AEgyptum.

Ἔστι δέ τοι Νύσης ἄβατον ὄρος, ἀνθέον ὕλῃ
Τηλοῦ φοινίκης σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.

Surgit in accessus Nysæ Mons, atque ibi Sylva.
Longe à Phænice, atque AEgypti ad nobile flumen.

Atqui Phænicem inter & AEgyptum sola interest Palæstina, rursum autem in Palæstina prope AEgyptum quisnam sit iste Mons Nysa non invenio. Est autem nobilissimus Mons eo loco, & inaccessus Syna. Facile est autem Synam, Nysan vertere, vel errore, vel consueta veterum plerisque transpositione literarum. Et licet Nysan hunc in Arabia quidam ponant, de Sina quoque ait Paulus *Sina Mons est in Arabia*. Noe autem in Sina natum dicere potuit Homerus ex eorum opinione, qui putant eò cum Arca primùm appulisse, nam certe ibi primum sacrificia obtulisse, aut contiguo in Monte Moria Hebræi docent. Denique omnia, quæ Noe adinvenit, Baccho tribuunt. Primum naves construendi, & navigandi artem. Dionysius de situ orbis, hanc artem ait adinventam à Phænicibus sub Rege Baccho, in Erythræo Mari. Nimirum Hebræorum genus antiquum

tiquum sæpe Phænices vocabant, noto nomine. Deinde vinearum sationem, ac terræ culturam, quæ Noę uti diximus inventæ sunt, apud Græcos Bacchus usurpat, qui & Osiris AEgyptiis. Tibullus

Hic docuit teneram palis adjungere vitem;
Et viridem durà cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.

Religionem, ac ritum sacrificiorum, quæ Noe primus invenit, Baccho adscribunt. Ovidius libro III. Fastorum.

Ante tuos ortus aræ sine ho•ore fuerunt.

Legum institutionem quoque Gręci ad Bacchum referunt. unde is dictus legislator, quod Noe primus leges posuerit. Philosophiam denique, ac rerum naturalium cognitionem ei dant, eumque primum homines eo genere institutionis ornasse dicunt. Hinc Sileni Philosophorum sectæ antiquissimę, quibus mos erat in Silvis degere, rudi, atque incondita specie, sed pectore pulcherrimis cogitationibus pleno. Quod postea in proverbium quoque tractum est, ut Sileni vocarentur quorum exterior species contemneretur, interna in pretio essent. Et Silenus apud Virgilium Philosophatur, atque apud Aelianum Midæ Regi de alio quodam orbe mira, & inaudita refert. Hinc Baccho hederæ Sacræ.

Doctorum hederæ proemia frontium.

Nec tantum hederæ, sed lauri, nam sic apud Homerum canitur in hymno.

Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.

Umbratus lauro, atque hedera.

Cum Noe, aut animalium gregibus convocandis, eorumque natura inspectanda, aut Iride, aut Cæli mutationibus contemplandis, hominum generi philosophiam primus ostenderit.

Amphictyon Gręcę Theologię antiquissimus institutor fuit, nam qui ex ejus disciplina fuere in Gręcia dicta Amphictyonide, Senatus erat sacer, cujus arbitrio cuncta gerebantur, quę religionis causa geri oporteret. Hujus vero cum

genus

genus repeto, Deucalionis filium faciunt, ut notat Eusebius lib. 1. omnim. Historiæ. Non levi indicio, aut Japetum, aut aliquem ex Japeti liberis sic vocatum.

Athenæ Hebraica Origine censentur. Nam Barbari, e quibus, ut Plato sæpè testatur, Atheniensium & origo, & institutio pendet, opinione Justini, atque Origenis Hebræi fuere. Certe Athene dicta est sapientiæ Dea nonnisi à Thana, תנא quod est Syriace docere. Et quia *Zaith* Hebraicè Olea est hinc *Sais* Minerva ipsa olim dicta, cui Sacra Olea, & Athenienses prima origine Saitæ.

Lacedæmon alter Græciæ ocellus ex Abrahamo se originem ducere gloriatur, uti diximus, & suis apud Machabæos literis confirmat Rex Arius. Et sunt qui nomen hoc Sparta ductum arbitrentur ex nomine צרפת. Prima enim litera trasposita, Sparta. est, de qua Abdias vaticinatur. Et cui similis Urbs est in Syria Sarepta.

Argos à filiis Japheth conditum Inacho Duce. Chronicon Alexandrinum *ἀναφαίνεταί τω ἐκ τῆς φιλῆς τῦ Ιαφὲθ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Αργείων ὀνόματι Ιναχος ὅτις πρῶτος ἐβασίλευσεν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ ἐκείνῃ*. *Extitit Vir è progenie Japheth nomine Inachus in Argivorum regione, qui primus inter eos Regnum obtinuit*. Hujus filia *Jona* vocata, idest Columba, sed contractè Io (quo more, & alia contrahunt Græci.) Hanc & Lunam finxit, quæ in Syriam velut avitam regionem profecta, ibi quoque sub Columbæ, ac Lunæ fabulâ culta est. Unde est Argivis magna necessitudo cum Palæstina, & Syria: idem Auctor narrat Argivorum in Syriâ Colonias fuisse, ad quas velut ad Cognatos venerit Perseus, de quo etiam dicere aliquid non gravabor.

Perseus insignis apud Græcos Magus, & Magiæ primus ferè Magister est habitus, Idem Chronicon ita narrat. Inter Semi Nepotes Saturnus fuit, qui è Semiramide ejusdem Nepti (quæ Rea, idest Mala, Hebraice רעה dicta est. *Ῥέαν καλυμένην παρὰ τοῖς Ασσυρίοις διὰ τὸ αὐτὴν εἶναι ὑπερήφανον, καὶ ἀλαζόνα*. *Ream Assyriis vocatam, eo quod esset superba, & arrogans*)

suscepit Picum, qui Juppiter est vocatus. Hic Persei Pater, & in Magicis Magister: Brutius historicus, quem Chronicon Alexandrinum citat his verbis. Πῆκος ὃς καὶ ζεὺς ἔσχεν υἱὸν ὀνόματι Περσέα, ὅντινα πτερωτὸν γράφουσι διὰ τὸ ἐκ παιδόθεν περίεργον εἶναι αὐτὸν παῖδα ὄθεν, καὶ ὁ τούτου πατὴρ Πῆκος ὁ καὶ ζεὺς ἐδίδαξεν αὐτὸν πράττειν καὶ τελεῖν τὴν Μαγείαν τοῦ μυσαροῦ σκύτου διδάξας αὐτὸν πάντα τὰ περὶ αὐτοῦ μυστικὸς καὶ δυσσεβῆ. *Picus qui & Juppiter filium babuit nomine Perseum, quem aligerum scribunt, ideo quia inde ab ineunte ætate curiosis artibus deditus erat puer. Quare & Pater ejus Picus, qui & Juppiter docuit eum moliri, ac perficere magiam abominabilis scuti, docens ipsum omnia, quæ ad id pertinent mystica, & impia.* Deinde narrat quo pacto Magicis artibus Medusæ caput abscissum ad id paraverit, ut contra intuentes in Saxum verteret. In editione Raderi pro περίεργος περίγοργος legitur. Sicut & loco σκύτου legitur σκύφου, quod Raderus explicat de Auguriis, quæ per Scyphos solita erant fieri. ut in Josephi dicto apparet. Verum locus poscere mihi videtur eam lectionem quam posui. Perseus ergo Magus, ac Philosophus inter insignes Græciæ. de quo tot fabulæ, è Sem oriundus, & in Palæstina diu versatus. Nam Jopæ in Palæstina Andromedam Cæto expositam scuti illius objectu liberavit S. Hieronymus Auctor est. Et filiam habuit Erythram, à qua Mare Erythræum nomen invenit. ut scribit Herodotus in Polymniâ, & nomen ipsum Hebraicum est, idem nempè quod Phares.

Orpheus, cujas fuerit ignoratur, nisi quòd omnibus convenit Græcum non fuisse. Ego eum è fontibus Hebraicis hausisse, quod Justinus, ac Cyrillus affirmant, nullus dubito; nam eum ex AEgyptiis Magis fuisse, uti & Amphionem tradit in Eliacis Pausanias. Et incerta sunt tempora: post Mosis ætatem vixisse consentiunt. Constat aliunde tàm multa Mosis doctrinæ germana dixisse, ut ferè nefas sit ambigere; quæ tàm benè de Deo dixit, alterius ne potuerint esse quàm Mosis. Timotheus Chronographus Libro de Mundi Opificio, quem citant Svidas, & Eusebius lib. de Omnim. Historiâ miratur hunc ho-

hominem non modò rerum creationem ad Mosis præscripta describere; sed quod etiam in Libris Mosis obscurè dicitur, Tres Divinitatis Hypostases designare, quarum Prima Μῆτις. Secunda esset φῶς. Tertia Ζωοδοτὴς. Hoc est. *Mens Fœcunda*, qui Pater est. *Lumen de Lumine*, qui Filius. *Vitæ Dator*, qui Spiritus Sanctus. καὶ ταύτας τὰς τρεῖς δυνάμεις μίαν εἶναι δύναμιν καὶ ἓν κράτος τὸν Θεὸν οὐδεὶς ὁρᾷ ἧς τινος δυνάμεως οὐδεὶς δύναται γνῶναι ἰδέαν ἢ φύσιν ἐξ αὐτῆς δὲ τὰ πάντα γεγεννῆσθαι, ἀρχὰς ἀσωμάτους ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὰ ὁρώμενα πάντα καὶ τὰ ἀόρατα καθὼς Μωσῆς ἐξέδετο. *Atque has Tres potestates unam Potestatem esse, & Potentiam unam, Deum, quem nemo videt, cujus potestatis nemo potest nosse naturam, aut formam. Ex ipsa autem genita esse omnia Principia rerum, quæ sub oculos non cadunt, Solem, Lunam, omnia deniq; ad unum, quæ videntur, & quæ non videntur. Perindè ac Moses exposuit.* Hæc Orpheus ex Mosis Disciplinâ.

Oraculum Dodonæum, ex quo prima Græcorum Theologia manavit, nihil aliud fuisse reperio, quàm antiquam Academiam à Dodan filio Japheth institutam in Epiro, quò primùm ex Asia veniens appulerat. Quò deindè Mulieres quædam è Palæstina advenientes, & Columbas se vocantes (quod nomen animantis in Palæstinâ Sacrum est) opinionem nescio cujus illìc nominis responsa addentis auxerunt: lege Herodotum.

Cadmus haud temerè creditur Hebræus fuisse, quamquam alii Syrum, alii dixere Phænicem, notiora sectati nomina. Sed ipsa vox Cadmus Antiquum, aut ex Oriente venientem, Hebraicè sonat. Nomen quoque Urbis, quam condidit *Thebæ* idem est quòd Arca, ut memoriam vitatæ eluvionis hoc nomine consignasse videatur. Literas Græcas secum attulit è Syria veniens, quorum nomina sunt apertissimè Hebraica, ex Aleph Alpha, ex Beth Betha, ex Ghimel Gamma, ex Daleth Delta. ut notat Eusebius lib. X. de Præp. C. XI.

Musæus, Orpheus, Linus, haud dubiè exteri fuere. Si liceret autem divinare, nàm procul abesset indicium nominis. Musæus enim idem est quòd Moses, unde & Mosem Prophetam Græci dixere Musæum. Orpheus autem nomen Hebrai-

cum est, quod multiplicem notionem habere potest, ut Linus, quod habitatorem quoque significat. Nullum autem horum Græcum est.

Pythagoras qui se primus Philosophum nuncupavit, aut Hebræus, aut Hebræorum auditor fuit, aut utrumque. Jamblichus, & Neanthes Syrum fuisse confirmant, & à Pherecyde item Syro edoctum. Alexander Libro de Symbolis Pythagoricis, Nazarethi Assyrii discipulum eum facit, ut Clemens, Auctorem, lib. 1. Strom. quem à nonnullis putari Ezechielem ducit. Vestis illi fuit planè eadem, quà Hebræi Sacerdotes utebantur. Abstinentia ab animalibus callidè ab eo inducta, quo faciliùs omnibus abstinens ea, quæ sunt Hebræis immunda vitaret. Samius vocatus est, ut reor, quòd è Semi Academià, aut Sectà se profiteretur. nam Syrus procul dubio fuit, non Samius. & licet à plerisque Tyrius vocetur, id fortè ob Civitatis illius famam accidit, quæ totius olim Syriæ Princeps habita est. Nam & Syria à Tyro Urbe nomen accepit, quòd Tyrus Hebraicè vocetur Zur, unde Suria, hodie Soria. Theophrastus libro de legibus *Probibent Tyrorum leges, & peregrino Sacramento jurare*. hunc locum citans Josephus L. I. Contra Apionem adnotat Juramentum hoc postea explicari ab eodem Theophrasto, & vocari *Corban*. *Apud nullos autem*, inquit, *hoc reperitur juramentum, nisi apud Judæos solos. Quòd interpretatur ex Hebraicà linguà: Donum Dei.* Apparet igitur Hebræos vocari Tyrios. Idemque refert Hemippum lib. I. de Pythagora, postquam ejus multos ritus descripsisset hæc addentem: *Hæc autem agebat, atque dicebat Judæorum, & Thracum opinionem imitatus, ac transferens in semetipsum. dicitur enim verè, quòd ille Vir multas Judæorum leges in suam transtulit Philosophiam*. Phænices quoq; vocati sunt Hebræi. Sic idem è Cherilo Poetà versus citat de Hebræis Hierosolymitanis, qui Xerxis Persarum Regis exercitum secuti sunt.

Hujus mirandà specie Gens castra secuta est.
Phænissam ignoto linguam mittebat ab ore

Sedes

Sedes huic Solymi Montes stagnum propè vastum.
Hinc quoque de Cadmo, ac cæteris, qui feruntur sapientia claruisse Phænices, ac Tyriis, suspicio firmatur Hebræos fuisse.

Thales Physicorum Princeps Milesius quidem vulgò audit, sed Clemens lib. 1. Strom., & Eusebius libro X. de Præp. C. 11. eum Syrum fuisse ajunt: id quod Herodotus, & Leander scripserunt. Syros autem gentis nomine, constat vocatos fuisse Judæos, ut Josephus ostendit Herodoti loco allato lib. 1. adversus Appionem.

Homerum Hebræi non ignorant, nam de eo loqui auctorem Ghemaræ Hierosolymitanæ in Cap. Chelek bene tradit Aruch, & eum secutus Meor Enanim vocant autem המירם cujus & libros legi non prohibent: quòd vero plerique omnes Hebræi eum nominent primà literà demptà. *Miros*, vel *Meros*, lis inter eos & Græcos aliqua esse potest, utri errarint. An Græci, qui nomen המירם verterint in ὅμηρος, an Hebræi qui nomen המירם perperam legentes putarint literam *He*, vicem obtinere articuli, ac pronunciarint *Hammiros*. certè *He* locum non habet in propriis nominibus, nisi hoc fortè non fuerit proprium. Constat enim Arabum, & Phænicum linguà *Mer*, vel *Mir*, esse honoris titulum, quo Viri docti, & clari vocantur, id quod Syriacè *Mar*. David de Pomis in suo Lexico sic scribit, ex vetustioribus מין היה, וספר שהמחנו כופר בעיקר מרום או מירום. *Merus, aut Mirus, genus est fræ, & Liber cujus auctor ex iis erat, qui à recta fide descriverant*. Postea Italice explicans, disertè ait: *Libro de Homero*. Videsis, ut Homerum Judæi inter Hæreticos habeant. Quid autem si eum, quem septem Urbes Græciæ sibi vendicant, quem alii Ægyptium, alii Phænicem dicunt, audacior aliquis Judæum si minus alio, hoc certè argumento diceret? Suidas de ejus patrià sic scribit: *Alii Smyrnæum dicebant, alii Chium, alii Colophonium, alii Cumanum, alii Troem ex agro Cenchrensi, alii Lydum, alii Athieniensem, alii Ithacensem, alii* Cy-

Cyprium, *alii Salaminium*, *alii Cononium*, *alii Mycanæum*, *alii AEgyptium*, *alii Thessalum*, *alii Italum*, *alii Lucanum*, *alii Gyinum*, *alii Romanum*, *alii Rhodium*. Et postea Ομηρος ἄγνωστος τοῖς ἀνθρώποις: *Homerus hominibus ignotus*. Quid igitur si quis in tanta conjectorum audaciâ timidior videri nolit, & fretus antiquis Hebræorum Traditionibus Homerum his vindicet; quorum res Græcis semper ignotæ, semper invisæ opportunitatem de eo fabulandi fecerint? Certe Ghemara Hierosolymitana Homerum nominat inter Auctores Hebræos, cum Ben Sira, & Ben Leana. Certe Homeritæ populi AEthiopum Asianorum, Arabiæ finitimi, Hebræi, aut Hebraicæ religionis fuere. Certe Homeri sententias plures è libris Mosis excerptas facile est adnotare: quod jam ex parte Justinus Martyr, Eusebius, & Cyrillus fecere; præ cæteris est illa, qua motus Aristoteles unum Numen in rebus statuit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω

Εἷς βασιλεύς.

Nec videri potest novvm si nomen Homeri ex articulo ὁ, & nomine *Merus* coaluerit, cum contra acciderit in nomine *Homidas*, etenim Hesychius ὀμίδας scribit, qui vulgò omnibus vocatur Midas.

Pindarum quoque in hunc censum venire mirabitur aliquis: at ego apud vetustissimos Hebræos ejus nomen inveniens, hoc loco præterire non potui. nam *Berescith Rabba*, liber si quis est alius certæ antiquitatis, Pindari meminit sectione LV., ex quo David de Pomis in hunc modum שם פינדר אדם חשוב מעיר טיביבעל השירים וכתב בחמשה לשונות *Pindarus*, *nomen est Viri celebris ex Urbe Thebana*, *qui Carmina composuit*. *scripsit autem quinque linguis*. citatque eundem *Berescith Rabba*. Verum editiones recentiores ea voce carent, quod aliquis Corrector putaverit hìc agi de *Pandara* illo, quem Beatæ Virginis Sponsum Hebræi fabulantur. atque ideo nomen ignotum eraserit. Sic Hebræi ipsi consulti dixere. Ulterius de

hoc

hoc Viro divinare non attinet, nisi quod Xerxis adventu in Græciam floruit in cujus exercitu constat multos fuisse Judæos.

Socratem, cujus Dæmon albus, an ater fuerit adhuc disputatur, Hebræorum fuisse discipulum Hebræis testibus discimus. R. Ghedolias in Catena par. II. fol. 97. כתב בעל מפר תודת העולם ביזה סוקראטו קבל חכמה מאחיתופל ובני קרח, וראיתי בכוזר כתוב כי זה הפילוסוף היה אום לחכמי ישדל חכמתכם הזאת האלהית אינני מכחידה אך אני אומר שאינני יודעה אמנם אני חכם בחכמה האנושית *Scribit Auctor libri Thorath Olam, idest lex Mundi, hunc Socratem didicisse sapientiam ab Achitophele, & filiis Core. Vidi quoque librum Cuzari manuscriptum, in quo erat adnotatum hunc Philosophum solitum dicere sapientibus Israelis, Sapientiam istam vestram Divinam ego non reiicio, sed fateor vobis me eam nescire, ego enim tantùm humana sapio.* Credat hæc qui volet, reiiciat cui libitum fuerit. Certe hunc Alexandrinus Clemens libro 1. Strom. vocat, *Ex Hebræis Philosophum.*

Platonis etiam apud Hebræos mentio est, quem Augustinus lib. II. de Doctr. Christiana Cap. XXVIII. dixerat Babylone discipulum fuisse Jeremiæ. Quamvis id postea de Jeremiâ Prophetâ dici posse negaverit libro VIII. de Civ. Cap. XI. & lib. II. Retract. C. IV., quod antiquior fuisse videatur Platone Jeremias: qua in re, & si demus tantum ætatis fuisse discrimen, tamen haud negabimus alterius Jeremiæ Hebræi discipulum esse potuisse. Tritum illud quod è Numenio citat Clemens Alexandrinus Platonem esse Mosem Atticum, necnon illa Demetrii ex primo ad Philometarem, Leges Platonicas, & Abditam Philosophiam ex Hebræis esse. Certè Hebræorum Kabbala adeo cum Platonismo conspirat, ut vel Platonem à Kabbalistis,

balistis oporteat, vel hos à Platone didicisse. Hebræi scribunt eum prius vocatum Aristonem, & à Magistro Hebræo nomen habuisse אפלטון *Aplaton*, sic enim ipsi eum nominant.

Hipparchum invenio inter Hebræos enumeratum apud recentem eorum historicum Zemach David par. 1. anno DXXXIV. quem אברכם *Abarcas* nominant. & suæ supputationis auctorem faciunt, ut idem auctor secunda parte anno eodem scribit.

Epicurus apud Hebræos omnibus eorum scriptis celeberrimus est; omnes enim, qui Providentiam negant Epicurei vocantur; imò omnes omnino, qui à vera religione per sectam aberrant. Verbum quoque inde fecerunt *Pakar*, quod est aberrare à vera religione, de quo verbo sic Elias in Tisbi. *Pokenim vocantur Hæretici. Origo autem vocis ab Epicuri nomine ducta est. Explicat autem Aruch verbum hoc Pokenim eos, qui despiciunt verba Sapientum. Jam scripsi in radice Min fuisse duos Viros Mir, & Epicurum, quorum Sectatores vocati sunt Mienim, & Epicurosim, idest Hæretici.* Nihil crebrius in Thalmud, quam Epicurei præsertim in Capite Chelek, in quo prorsus ab omni spe vitæ æternæ excluduntur, quippe quam negaverint, Saducæos eo nomine appellant.

Aristotelis quantò omnium celeberrimus tantò certissimus Hebræorum Auditor, & Sectator. Sic enim de seipso scribit apud Clearchum primo libro de Somno, à quo sic loquens inducitur, & Virum quemdam admirabilem, quo multa didicisset hac Oratione describens. *Genere Judæus erat è Cœle Syria, qui sunt ex propagine Philosophorum Indorum. Vocanturque ut ajunt Philosophi apud Indos Calani, apud Syros Judæi, nomen accipientes à loco, locus enim ubi habitant appellatur Judea. nomen verò eorum Civitatis valdè difficile est. Vocant enim eam nomine Hierusalem. Is igitur homo multos hospicio recipiens, & è superioribus ad maritima descendens, gravissimus erat non solum eloquio, sed etiam animo. Et tunc nobis degentibus apud Asiam, cum divinus homo venisset ad ea loca, confabulari cœpit nobiscum, & cum aliis Scholasticis eorum sa-*

pientiam

pientiam tentans. cumque multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quæ habebat. Hæc Aristoteles apud Clearchum, qui ut ejus auditor fuit, ex eo forte hæc accepta referebat, quæ Josephus quoque lib. 1. contra Appionem memorat. R. Ghedolias in Catena parte II. sic scribit: *R. Joseph Aben Seem Tob in præfatione in Ethica, quæ vertit, ait se legisse librum in Ægypto, in quo scriptum erat, Aristotelem in fine vitæ suæ confessum vera esse omnia, quæ Moses scripsit in lege, & Religioni Hebraicæ se addixisse, factumque Proselytum. Liber quoque Magben Abraham, idest Clypeus Abrahami auctore Abraham Perizol, idem recitat. Liber, qui inscribitur Tappuach, idest Pomum* (tribuitur Aristoteli) *ostendit Aristotelem, quamvis docuerit antiquitatem Mundi, tamen totis viribus conatum esse evertere sententias repugnantes fundamentis Nostræ Fidei. Vitam Aristotelis legi, in qua scriptum est, eum amasse quandam pellicem, & in contemptum Idolorum, simulq; ut suum in mulierem illam amorem ostenderet, obtulisse ei sacrificium ex maximis, quæ Idolis offerri solerent. Liber Perech Emuna, idest Via Fidei, propè finem tertiæ partis scribit. Inveni apud præcipuum quendam è Græcorum Sapientibus ita scriptum: Disputavi aliquando cum Hebræo quodam Sapiente, egimus primò de Physicis, & non videbatur eximium aliquid afferre. Postea cæpimus agere de Theologià, & ostendit mihi, me non esse idoneum ad ea intelligenda. Itaque oravi Deum, ut mihi daret vim intelligendi, qua eam assequi possem. Hæc ille. Neque alius est Sapiens, de quo dicit, quàm Aristoteles, ut ostendunt verba, quæ sequuntur.* Hæc ille, cui similia de Congressu, ac Disputatione cum Simeone Justo, Abarbinel in Abaoth, & alii. Subiicit verò Idem R. Ghedolias, se in perantiquo Codice hæc verba legisse: *Testor ego, me audisse ex R. Abraham Aben Zeror cum esset Olyssipone, cum is diceret se ab Israelita quodam Aben Alcatob, qui sæculi ejus doctissimus habitus est, audivisse in Civitate Alcayro librum esse, quem Aristoteles extremà ætate scripserit, quo retractaverit ea, quæ prius scripserat. Eamque ob rem misisse Alcayrum,*

ut librum haberet. Quem cum obtinuisset, animadvertisse partim in quæstione de Providentiâ, partim de Immortalitate animæ, partim de novitate, & antiquitate Mundi, ac de pluribus Physicis argumentis loquentem, identidem hæc verba usurpare: Simeon me ex hac opinione deduxit. Addit quoque ad finem Epistolam Aristotelis ad Alexandrum, qua se profitetur à Simeone didicisse rerum veritatem, & toto pectore hausisse Judaicam Religionem. idem R. Ghedolias ex libro Derech Emuna scribit: *Aristoteles fuit vir Judæus ex semine Israel Hierosolymitanus, ex filiis Coleæ, tribus Beniamin. Venit ad Græcorum notitiam ex longinquis Asiæ regionibus.* At contra id rursum facit id quod sequitur: *Liber Scebile Emuna, idest Semitæ fidei scribit, se apud Veterum Commentarios legisse quando Alexander venit Hierosolymam, Aristotelem cum eo venisse, & constitutum ei esse Interpretem, ac Magistrum qui eum doceret, atque explicaret ei libros Salomonis, ex quibus ille interpretatus est Philosophiam, quam nomine suo vulgavit.* Ex his, quæ apud Hebræos feruntur, colligi potest haud omnino dissimile vero esse Aristotelem, aut genere, aut disciplina, aut denique propensione, & cultu Judæum fuisse. R. Azarias in *Meor Exaim* cap. XXII. hanc quæstionem accuratius pertractans adnotat ex Laertio, & Cælio Rhodigino, Aristotelem sub vitæ finem se recepisse Chalcidem, & ibi latuisse, metuentem Atheniensium accusationes, quòd diceretur de Diis Græcorum obloqui, & præsertim Cereris Eleusinæ sacra contemnere: id quod ipse interpretatur accidisse ex Religionis Hebraicæ agnitione. Epistolas autem, aut libros, in quibus Aristoteles meminerit Simeonis, aut Judæorum, negat se ullas vidisse. Idem verò notat erratum fuisse quorundam, qui Aristolem Judæum vocarint, quòd in veterum libris non reperiatur is fuisse Judæus, sed Judæi cujusdam Auditor. Nomen verò Aristotelis Hebræi detruncant vocantes Aristo אריסטו.

Hæc de Philosophis Græcorum dicta sufficiant, cætera spectant ad meum *Antiquitatum Theologicarum* opus, quod seorsim ab hoc, Deo jubente, & otium suggerente, prometur.

TI-

TITVLVS VI.

Hecatæus.

Hecatæus non prior ille Milesius, sed posterior Abderita, quem sub Alexandro Magno primùm, deinde sub Lagi filio Ptolomæo vixisse, testis est Josephus lib. 1. contra Apionem, dignus est qui seorsim à reliquis Græcis Scriptoribus recenseatur. quippe qui à quibusdam veterum habitus sit, aut genere, aut religione Judæus; scripsit insignem librum de Judæis, quo sic eos laudat, ut suspicionem eam fecerit sanguinis, aut sectæ: Qua de re sic Origenes lib. 1. contra Celsum. *Καὶ ἑκαταίου τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλόν πως ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον ὡς καὶ Ἐρέννιον Φίλωνα ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστι τὸ σύγγραμμα, δεύτερον δὲ λέγειν ὅτι εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ ἀκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ἀπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῷ τῷ λόγῳ. Hecatæi quoque Historici fertur de Judæis liber, quo tantùm hujus gentis sapientiæ defert, ut Herennius Philo libro de Judæis primùm quidem dubitarit an scriptum hoc esset Hecatæi Historici, deinde affirmarit, si ejus sit, credibile esse eum à Judæorum eloquentiâ persuasum & abstractum, ut eorum placitis assentiretur.* Mirùm igitur non est eum à Josepho tàm sæpe citari, ab Eusebio quoque velut præclaris moribus præditus vocetur ἀνὴρ φιλόσοφος. Lib. IX. Præp. de Ægyptiâ Phylosophiâ, deque Hyperboreis eum scripsisse, atque alia plura constat Veterum testimonio.



TITVLVS VII.

Berosus.

Berosus, si conjecturæ Josephi Scaligeri standum est, Hebraici est generis; nam nomen hoc ille sic explicat, ut sit idem quòd בִּיר הוֹשֵׁעַ *Filius Oseæ*. quod ex Hebraico, ait, & Chaldaico esse compositum, & facilius ex Hebræorum Babylone degentium esse dialecto crederemus. Nihil quidem prohibet id credere. Eum è Sacerdotibus Baal Babylonis fuisse, Tatianus auctor est apud Eusebium lib. X. Præp. Constat autem res ita calluisse Judaicas, ut fermè eadem de Mundi exordio, deq; plurimis, quæ in Genesi narrantur scribat. Quo factum est, ut ejus auctoritate Josephus, Tatianus, Tertullianus, & quotquot res Judaicas, aut Christianas olim tuendas scripto suscepere, sæpissime uterentur. An Berosi filia fuerit, quæ Cumis vaticinia edidit Sybilla (ut scribit S. Justinus martyr in Parænesi ad Græcos) quæritur. Pausanias in Phocicis, & Svidas eam dixere Berosi filiam, non tamen addidere, quod addidit Justinus, *Historici*. Et Hunc sanè Tatianus sub Alexandro vixisse ait, & usque ad Antiochi Syriæ Regis, qui θεὸς cognominatus est, tempora pertigisse, Cui Libros Chaldaicæ Historiæ dicarit. Berosum Annii quidam tuentur, in quibus Dionysius Gothofredus, at plerique omnes reiiciunt Scaliger, Possevinus, Baronius. Et sanè fragmenta, quæ Josephus, quæque Libro I. Historiæ Omnimodæ Eusebius recitat, in hoc Beroso non sunt. Sed quid sit *Defloratio Berosi*, hæc tantùm est ab Armeno quodam imperito, ut ipsemet Annius tradit; adeò nec probare tutum est, nec improbare.



TI-

TITVLVS VIII.

Jesus Syrach.

ישוע בן סירך

JEsus Syrach Scriptor Ecclesiastici duplicem nobis præbet quæstionem, de se alteram, alteram de suo opere. Ad ipsum quod attinet, ut ordiamur à nomine, notat Auctor libri Zemach David Anno MMMCCCCXLVIII., Eum apud Hebræos triplici forma nominis vocari בן סירא ׳ בן סירח ׳ בן סירך *Ben Syra*, *Ben Syrach* per *Cheth*, & *Ben Syrach* per *Caph* at R. Salomo Verno libro *Scebet Jebuda* vocat illũ הושיע בן סירו *Hosiam Ben Siro*. Græca libri hujus præfatio vocat auctorem libri Jesum filium Syrach, hujus filium Syrach, rursum Nepotem, qui & Interpres fuit, Jesum filium Syrach. Nec dubito Hierosolymitana consuetudine factum esse, ut vocaretur Sira, pro Sirach, illis enim *Jose*, prõ *Joseph*, *Ada*, pro *Adam*, *Asce*, pro *Ascer* demptis ultimis literis dicebantur. Hæc de nomine. De stirpe diversa traduntur. Quidam eum nepotem ex filio, vocant Jesu F. Josedech Sacerdotis Magni. ita ex nostris Isidorus lib. VI. Ethimologiarum, ex Hebræis R. Salomo Verno, & Zemach David. sed inter Jesum filium Josedech, & scripti hujus libri tempora in Eusebii Chronico intercedunt Olympiades LXXX. quæ sunt anni CCCXX. Nec facile est tantum spatium ætatis expleri tribus generationibus, aut quatuor. Multo absurdior est fabula, quæ eum facit filium Jeremiæ, extatq; in libello Hebraico, quo ejus sententiæ continentur. Itaq; præstat fateri genus ipsius ignotum esse, quàm de eo divinare. Quòd tamen Sacerdotali genere ortus dicitur facile adducor ut credam. Sacerdotum enim erat scribendi munus, ut Josephus ostendit primo contra Apionem. Sed quid sibi vult, quod

ait

ait R. Salomo Verno enumerans quas insectationes Hebræi passi fuerint, & sub quibus Ducibus. sic enim scribit.

גזירה .ב גזירה גדולה בזמן בן סידא היתה ולא נודע אצלי סבתה אבל מצאתי כתוב שיצאו מכלל דת משה שלשת אלפים נפשות ואותם שעמדו על קדושת ה ית נשרפו ובן סידא הוא הושיע את בן סירו בן בנו של יהושע בן יהוצדק הכהן הגדול וחכם זה חבר ספר לנוצרים נקרא אקלישיאסתיקוש והם מינוהו בספרי הקודש *Decretum adversus Hebræos magnum fuit tempore Ben Siræ, nec scitur causa, sed reperi scriptum ea occasione discessisse è Consortio legis Mosis tria millia animarum. Et qui perstiterunt in Dei agnitione, perierunt incendio. Ben Sira hic idem est, qui votatur Hosias Ben Siro, nepos ex filio Jesu filii Josedeck Sacerdotis Magni. Is composuit librum qui apud Christianos vocatur Ecclesiasticus, & quem ipsi reponunt inter Sacros.* Nec qui hujus persecutionis meminerit legi usquam, neque cur sub Jesu Sirach facta dicatur; nisi fortè is creditur fuisse Sacerdos Magnus, uti & verba Hebraica verti possunt. De puerili institutione Ben Siræ Hebræi tradunt in ejus libello, cum cum adhuc puerulus esset à matre postulasse, ut ad Magistrum duceretur: *Dixit Magistro Rabi, doce me legem. Respondit illi: adhuc non es aptus, qui docearis, es enim parvulus; à majoribus etenim nostris traditum est,*

בן חמש שנים למקרא *Quinquennis legat sacras literas. Dixit ei Ben Sira. & non dum illud scis:* היום קצר והמלאכה מרובה *Tempus breve, Ars longa. Ais me non oportere discere, quia sum puer. Et ego video minores natu, quam ego sim mortuos, & sepultos, & quis scit an futurum*

rum sit ut vivam, an sim cito, & ipse moriturus? Dixit ei Magister. Cur audes me docere? Majores nostri docent: Quisquis docet aliquid coram suo Præceptore mortis reus est. Respondit. Hactenus tu meus Magister non es. Nihil adhuc abs te didici. Vides Jesulum hunc suo cum Præceptore differentem, eumque superantem. & si hæc fabula est, tu tamen hic mihi alterum Jesum cogita, Dei Sapientiam in Templo cum Doctoribus Disputantem. Cum igitur Præceptor interrogasset multa Ben Siram, & ille præclaris sententiis respondisset, admirans Præceptor dixisse. עליך נשתנו סדרי בראשית *Super te immutatus est ordo conditionis rerum.* Pergit. *Dixerunt de Ben Sira, illo anno ipsum didicisse librum legis totum. Anno insequente didicisse Biblia integrè, opus Traditionum, quæstiones, & Allegoricas Narrationes. Tertio anno didicisse subtilitates legis, & subtilitates scribarum. Quarto anno figuras sacri sermonis, Anni sacri rationem, Numeros sacros. Quinto anno sermones Angelorum Ministerii, sermones Dæmonum malorum. Sexto libro Siphra, Siph, Tana R. Eliæ. Septimo anno nihil residuum fecisse parvum, aut magnum, quod non didicisset.* Sic septem annis dicitur absolvisse totam Hebraicam Encyclopediam. Hæc, & longe plura, quæ memorant, facile nos Hebræorum fabulis adderemus, nisi constaret aliunde clarissimam Viri hujus fuisse sapientiam, adeo ut scribat Ecclesiastici Græca præfatio ὁ παῖδὸς τοῦ Σολομῶντος οὗτος ὁ ἰησοῦς γέγονεν. οὐδὲν ἧττον ἐμείνε περὶ τὴν σοφίαν καὶ παιδείαν ἐνδοκιμήσας πολυμαθὴς ἀληθῶς ὢν καὶ καλούμενος. *Sectator fuit Salomonis hic Jesus, haud minus, quam ille sapientiâ, & eruditione laudatus. Et qui multiscius, & esset, & vocaretur.* De legatione vero Ben Siræ ad Nabuchodonosorem Regem deque prolixis cum eo disputationibus, quas libellus ille subtexit fabulas, non vereor, ne quisquam assis æstimet; sunt enim absurdissimè confictæ. Fuisse hunc è LXXII. senibus qui Hierosolymis Alexandriam petente Ptolomæo Rege missi fuerint, ad sacras literas Græce vertendas multorum est opinio, & minime à vero abhorrens. Expedit ad Jesu Sirach tem-

tempus ſequendum, & illud noſse quis fuerit ille quem nominat Eccleſiaſtici capite L. *Simon Oniæ filius Sacerdos Magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum.* Euſebius, & Hieronymus ejus interpres in Chronico putant eum eſse, qui ſecundus hoc nomine ſub Evergetæ Ptolomæo vixerit. quod vix fieri poſse videtur, cum ſub eodem diu vixerit Jeſus Syrach Nepos, & interpres hujus libri. Proinde Avus qui ſcriptor fuit longo tempore Simonis illius ætatem anteceſſit. Reſponderi poſset his, verba hæc non eſse Avi, ſed Nepotis. Nam, ut Græca præfatio monet, Nepos non egit interpretem tantum in hoc libro, ſed eum ab Avo inchoatum, ac parente affectum ſuo labore perfecit. τὴν βίβλον ταύτην ὁ πρῶτος ἰησοῦς σχεδὸν τι συνειλεγμένην καταλιπὼν ἐξ ἀνθρώπων ἀυχετο. Σιρὰχ ὗτος μετ' αὐτὸν πάλιν λαβὼν τῷ οἰκείῳ παιδὶ κατέλιπεν ἰησοῦ. ὃς δὴ ταύτης λαβόμενος ἐις ἓν ἅπασαν συν αρμόναιν σύνταγμα συνήγαγεν σοφίαν ἐπί τε ἀυτοῦ καὶ τῷ τοῦ πατρὸς ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ πάππου ὀνόματος μεκτηκώς. *Hunc librum primus Jeſus pæne collectum relinquens abiit ex hominibus. Syrach vero poſt ipſum ſuſcipiens, proprio filio Jeſu eum reliquit. qui eum accipiens ſapientiam hac univerſam in unum optimo digeſtum ordine Syntagma collegit. & ex ſuo, & Patris, & Avi nomine nomen imponunt.* Itaque trium opus hoc faciunt. Sed latina præfatio, cui certa conſtat auctoritas, aliter habet, *Itaque*, inquit Jeſus Nepos, *bonum & neceſſarium putavi, & ipſe aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum iſtum, & multa vigilia attuli doctrinam in ſpatio temporis, ad illa quæ ad finem ducant librum iſtum dare.* Quibus verbis non videtur aliud ſibi tribuere quam munus interpretis. partem ullam libri ſibi vendicans, aut Patri Sirach, ſed totum Avo reſignat. itaque plures exiſtimant Simonem illum eſse Seniorem poſterioris Simonis avum. Reperio apud Hebræos de hoc Simone verba eadem, quæ de illo in Eccleſiaſtico Jeſus Sirach ſcribit. Nam noſter auctor ſacer ſic ait. *Simon Oniæ filius Sacerdos Magnus &c. Templi altitudo ab ipſo fundata eſt duplex ædificatio, & excelſi parietes templi. In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt*

ſupra

supra modum. Hebræi vero sic, ut ex veterum Commentariis recenset liber Juchasin. fol. CXXXVIII. שמעון בן חוניו כהן גדול הנביה בותלי בית המקדש ויתמלאו בורות בית המקדש מים *Simeon F. Oniæ Sacerdos Magnus erexit parietes domus Sanctuarii, & repleti sunt putei Sanctuarii aquis*. Vides eadem pæne verba. Sed de libri hujus auctore jam satis.

Liber ipse à Græcis vocatur σοφία τῦ Ιησῦ Σιράχ *Sapientia Jesu Sirach*. à Nostris *Ecclesiasticus*. apud Hebræos olim vocabatur משלי בן סירא *Proverbia Ben Sire*. Falsum est quod quidam ajunt, ideo notari *Ecclesiasticum*, quod ex libris, qui in Canone non essent, hic solus publice legeretur. nam si de prisco Hebræorum sub Esdra Canone loquuntur, plures sunt libri, qui cum non essent in eo Canone Hebræorum, usurparentur ad Ecclesiasticas lectiones, nec tamen Ecclesiastici dicerentur: sin de posteriore Hebræorum, & nostro seu Christiano: ab initio Ecclesiæ constat hunc librum in Canone fuisse, quem citat ut Sacrum Josephus ipse lib. II. contra Apionem, & Cyprianus Martyr Epist. ad Rogatianum, & altera ad Cornelium. Chrysostomus adv. Arianos Cap. I. & XXIV. Augustinus libro II. de Doctr. Christ. & lib. XVII. de Civ. C. XX. & ne plures recenseam ab Vniversa Ecclesiâ. Concil. Carth. III. c. 43. Romano sub Gelasio, Florentino, ac Tridentino. Neque ex eo quod in Ecclesia publice usurparetur, vocari debebat præ cæteris Ecclesiasticus, ut ipsi dicunt, quasi Εκκλησιαζόμενος, ac si diceres permissus Ecclesiasticæ lectioni. Nam Εκκλησιάζειν est activè dicere ad populum. atque adeo sicut Ecclesiastes idem est, quod Concionator, ita Ecclesiasticus idem quod *Concionatorius*. Sed quia nostri instituti est hoc opere ea maximè adnotare, quæ aut prætermissa videntur, aut ex Hebræis eruuntur; operæ pretium erit hìc ea referre, quæ apud Hebræos de hoc Auctore memini legisse. Primum igitur video priscis temporibus librum Ben Siræ etiam apud Hebræos inter

Sacros esse habitum. licet enim, ut superius retuli cum de Magna Synagoga egi, in Capite Chelek inter Apocrypha, & Exoterica reiiciatur hic liber, & cum R. Akiba dixisset, non habituros partem in sæculo futuro qui legunt libros Exotericos, addat R. Joseph. *Etiam qui legunt librum Ben Sira*, & in Hierosolymitano clarius *Qui legunt libros Exotericos, ut librum Ben Sira*. Et R. Moses Maymonides, & R. Salomo suis in ea loca idem indicent Commentariis. tamen ut mendax male sibi constat Secta, rursum aliis locis apparet haud apocryphum, & Exotericum hunc Auctorem ab ipsis haberi, sed Sacrum ex iis, quæ vocamus Agiographa: in Tract. Berachoth, Cap. VI. sic scribunt *Janai Rex, & Regina mensæ assidebant. cum autem sapientes occidisset Rex, nullus erat qui mensæ posset benedicere. Ait Rex, quis adducet nobis virum, qui mensæ benedicat? Cui Regina. Jura mihi te nihil mali viro illaturum, siquidem eum ad te adduxero. Juravit. adduxit illi Simeonem Ben Sata, fratrem suum. Rex vero eum medium inter se, & Reginam jubens accumbere, ecquid ait, vides quantum tibi honoris impertiam? non tu mihi, inquit Simeon hunc honorem tribuis, sed lex. Dictum est enim* ובין נגידים תושיבך *Et inter Principes sedere te faciet*. Hæc illi! sed cum versus hic nusquam extet in Sacris Literis, quærit R. Salomo unde prolatus sit, aitque prolatum è libro Ben Sira. Proinde manifestè apparet librum Ecclesiastici, seu Jesu Sirach pro Sacro habitum inde à temporibus Machabæorum, quibus hoc accidit. nam non dicunt *Dictum est* (שנאמר) nisi cum Sacrarum literarum locum aliquem proferunt. Est autem versus quem citat Simeon Ben Sata capitis XI. in Sapientia *Humiliati exultabit caput illius, & in medio Magnatorum consedere illum faciet*. Tractatu Jebamoth Cap. VI. *Scriptum est in libro Ben Sira mulier bona, datum bonum, & in sinu timentium Deum dabitur. Mulier mala est lepra Viro suo, & quod remedium ejus? eiiciatur, & ita curabitur à lepra sua. Mulier pulchra beatus Vir ejus. numerus dierum ejus duplex. Averte oculos tuos à muliere pulchra, ne forte capiaris*

ris in reti ejus. Non accedas ad virum ejus, ut misceas vinum cum eo, & siceram, quia ob speciem mulieris pulchræ multi perierunt, & forte sunt omnes occisi ejus. Multi sunt ictus pigmentarii, & insueverunt loqui transgressiones: Sicut scintilla accendit carbones. Sicut cauea plena avibus, sic domus eorum plenæ sunt malitia. Ne sis sollicitus ob molestiam crastinam, quia nescis quid pariat dies. Forte cras veniet, & tu non eris; & reperitur quis afflictus ob id, quod ad ipsum non spectat. Probibe multos à Domo tua, & ne inducas quemlibet in domum tuam. Multi sint quærentes pacem tuam, & revela secretum tuum uni de mille. Quæ verba, quoniam Ecclesiastici multas sententias continent, adscribam Hebraicè, incipiens à verbis Ben Siræ numerisq; distinguens versus.

1 אשה טובה מחנה טובה בחיק ירא אלהים
תנתן

2 אשה דעה צדעת לבעלה מאי תקנתיה
יגדשנה ויתדפא מצרעתו

3 אשה יפה אשדי בעלה מספר ימיו כפלים

4 העלם עיניך מאשת חן פן תלכר במצורתה

5 אל תט אצל בעלה למסוך עמו יין ושכר

6 כי בתואר אשה יפה דבים הושחתו ועצומים
כל הרוגיה

7 דבים היו פצעי רוכל המרגילין לדבר עבירה

8 כניצוץ מבעיר גחלת.

9 ככלוב מלא עוף כן בתיהם מלאים מרמה

10 אל תהי צר צרת מחר כי לא תרע מה
יולד יום

11 שמא מחר בא ואיננו נמצא מצטער על
עולם שאינו שלו

12 מנע רבים מחוך ביתך ולא הכל תביא אל ביתך

13 רבים יהיו דודשי שלומך גלה סודך לאחד מאלף

Ex his quæ nomine Ben Siræ citantur hæc reperio apud Ecclesiasticum. Versus I. Ecclesiastici C. XXVI. v. 30. *Pars bona, mulier bona in parte timentium Deum dabitur.* Forte quod nunc legitur בחיק *in Sinu* scriptum erat olim בחלק *in parte*, & sic legit noster interpres.

Versum secundum non invenio. Hebræi ipsi fatentur videri sibi appendicem ad priorem versum ab auctore Ghemaræ additam. aliquid simile habet C. XXV. vers. XXXI. *Plaga cordis mulier nequam.*

Vers. 3. est Ecclesiastici XXVI. v. 1. *Mulieris pulchræ beatus vir ejus, numerus enim annorum illius duplex.*

Vers. 4. 5. 6. 7. & 8. videntur esse ex Ecclesiast. C. IX. v. VIII. *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt. & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit:* quod noster interpres habet *& ne concupiscas speciem alienam,* quæ verba non sunt in Hebraico versu, moneo hæc eadem addi à R. Salomone in Commentario sic. *Idest alienam.* cætera non reperi.

Versum 9. 10. 11. non reperi.

Versus 12. est Ecclesiastici C. XI. v. XXXI. *Non omnem hominem inducas in domum tuam.*

Versus 13. est Ecclesiast. C. VI. v. VI. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.* Atque hæc de loco, quem citant in Jebamoth cap. VI. fol. LXIV. Rursus autem in Chemboth cap. XIII. fol. CVIII. sic scribunt.

אמד שמואל שנוי וסת תחלת חולי מעים. כתוב בספר בן סידא כל ימי עני רעים. והא איכא שבתות וימים טובים. כרשמואל ראמר שמואל.

שמואל שנוי וסת תחילת חולי מעים · בן סידא אומר אף לילות בשפל גגים גגו ובמרום הרים כרמו מטר גגים לגגו ומעפר כרמו לכרמים

Dixit Samuel mutatio consuetudinis principium ægritudinis viscerum. Scriptum est in libro Ben Siræ: Omnes dies pauperis mali. & tamen sunt etiam Sabbatha, & dies festi. ait Samuel mutatio consuetudinis principium ægritudinis viscerum (hoc est ut R. Salomo explicat, cum pauperi aliquid commodi præter solitum advenit; id ejus valetudini nocet) *sed Ben Sira addidit etiam noctes malas* (quia scilicet dixit, omnes vel totos dies) *In humili tectorum tectum ejus, & in summo vertice montium vinea ejus. Pluvia de tectis alienis influit in tectum ejus. & gleba de vinea ejus defluit in vineas alienas.* locum Ben Siræ qui hic citatur non reperi. Item in Bava Bathra capite V. pag. XCVIII. כתוב בספר בן סידא הכל שקלתי בכף מאזנים ולא מצאתי קל מסובין וקל מסובין חתן הדר בבית חמיו וקל מחתן אורח מכנים אורח וקל מאורח משיב דבר בטרם ישמע שנאמר משיב דבר בטרם ישמע

Scriptum est in libro Ben Siræ: Omnia ponderavi in libra, & non inveni rem leviorem pulvisculo. Et levior pulvisculo Gener habitans in domo Soceri sui, & levior Genero peregrinus, qui alterum peregrinum adducit. & levior peregrino is qui responsum reddit antequam audiat. quia scriptum est Prov. 18. Responsum dans ante quam audiat. Hunc quoque locum in Ecclesiastico non reperi. Rursum Tract. Sanhedrin capite Chelek citatur versus XXXI., cap. XI. Ecclesiast.: *non omnem hominem inducas in domum tuam.* Tractatu vero Haghoga cap. 2. cita-

citatur במופלא ממך אל תדרוש *Altiora te ne quæsieris*. qui versus est XII. Capitis III. & Cap. V. החוכל citatur hic quoque versus Ben Siræ.

כל עוף למינו ישכון וכן ארם לדומה לו

qui habetur Ecclesiasti cap. XIII. v. XIX. *Omne animal diligit simile sibi, & omnis homo proximum sibi*. Hebraica sic sonant. *Omnis avis cum specie sua habitabit, & sic homo cum simili sibi*. licet autem hic versus nomine Ben Siræ non citetur, tamen Thosiphoth, idest Auctores additionum adnotant eum esse Ben Siræ. Sic in Erubim capite הדר citatur idem locus tamquam ex Agiographis. nam cum vellent ibi ostendere malos secum ipsis congruere, dicunt id probari posse testimonio Legis, Prophetarum, & Agiographorum, sive ut ipsi loquuntur בתורה בנביאים בוכתובים & pro Agiographis citant locũ hunc. R. Salomo adnotat hæc verba. *Inquisivi de hoc loco, & ecce est in libro Ben Siræ*, deniq; aliis pluribus locis Ben Sira citatur ut Sacer auctor, & multa ex iis in Ecclesiastico reperiuntur. Cur igitur ex eodem ore calidum, & frigidum; idem auctor Sacer, & Apocryphus? Quid Hebræi docent? Hanc ipsam quæstionem reperio in capite Chelek diligenter agitatam, ubi mirantur ipsimet, quid hoc sit, quod liber Ben Sira refertur inter *Chizonim*, quæ legi fas non est. Sic autem habent eorum verba cap. *Chelek*, pag. C. *Dixit Abbeia. Quæ ratio cur probibitus sit Ben Sira? forte quia in eo reperitur illa sententia*

לא תנטוש בילדנא מאורניה דלא ליזיל משכה להבלא
אלא צלי יתיה בנורא ואיכול ביה תרתין גריזין

Non excories piscem à cauda, ne abeat pellis in vacuum: i. pereat, sed assa illum potius, & comede cum eo duos panes.

Si

Si hoc sumatur ad literam. etiam in lege cautum est, Deuter. VI. ut arborum quoque curam habeamus ne pereant (quid ergo mali de pisce idem jubere?) *sin autem sumatur metaphorice, nimirum vetat voluptatibus inconcessis vatare. An propterea, quod in eo scriptum, sit illud aliud.*

בת לאביה מטמונת שוא מפחרה לא יישן בלילה

1. *Filia Patri thesaurus vanitatis, ex timore eius non dormiet noctu.*

בקטנותה שמא חתפתה בנעדותה שמא תזנה

2. *Dum Infantula est ne seducatur; dum puella est ne vitietur.*

בגדה שמא לא תנשא נשאת שמא לא יהיה לה בנים

3. *Cum nubilis ne conducatur; cum ducta ne careat liberis.*

הזקיבה שמא תעשה כשפים

4. *Cum jam anus, ne fiat Stryx.*

Ecce id quoque dictum est à Sapientibus nostris in illa sententia. Mundus quidem & Maribus, & fœminis indiget. Sed beati quibus fiii mares. Miseri quibus fœminæ. An forte, quia in eo scriptum est.

לא תיעל דויא בלבך דגברי גברין קטל דויא

Idest. Non inducas dolorem in cor tuum, quia fortes viros dolor occidit. Ecce Salomo quoque dixit Proverb. XII. Dolor in corde viri ישחנה *quod verbum R. Ame, & R. Ase aliter interpretabantur. R. Ame dicebat: Delcatur ex eius*

cogi-

cogitatione, R. *Ase*, *Narretur aliis*. *An forte quia in eo scriptum est.*

מנע רבים מתוך ביתך ולא הכל תביא אל ביתך

Probibe multos à domo tua, & *non omnem hominem inducas in domum tuam*. *Atqui R. Hakkados quoque idem docuit*. *Nam scribitur*, *Rabi dixit*: *Numquam homo malorum frequentiam domi suæ patiatur*, *quia scriptum est Prou. XVIII. Vir improborum* (socius) *ut confringatur*. *An quia in eo scriptum est.*

1 זלדקן קורטמן, עבדקן סבסן
2 דנפת בכסי לא צחי
3 אמר במאי איכול לחמא, לחמא סב מניה
4 מאן דאית ליה מעברתא בדיקניה כולי עלמא לא יכלי ליה

1 *Raram barbam qui habet est vir sapiens*, *qui vero spissam*, *stultus*,
2 *Qui sufflat in calicem*, *non sitit*,
3 *Qui dicit quod mihi erit obsonium ad panem?* & *panem ei aufer*,
4 *Qui habet in barba divisionem*, *totus Mundus in eum non poterit*.

R. *Joseph ad hæc dicebat*, *eligenda sunt verba utilia è Ben Sirà*, & *illis ornandi sermones ad populum*. *Qualia illa sunt*.

Mulier bona datum bonum, *in sinu timentium Deum dabitur*.

Mulier mala lepra est viro suo, & *quod eius remedium? expellatur è domo*, & *sic liberabitur vir à lepra ejus*.

Mulier pulchra, *beatus vir ejus*, *numerus dierum ejus duplex*.

Averte oculos tuos à muliere formosa ne capiaris in reti eius, & hoc modo pergunt eadem referre, quæ in Jebamoth capite VI. referri

referri diximus, duo tantum diversa reperio, quod illic versu 2. dicitur tantũ יגרשנה *expellatur*, hìc autẽ additur מחוך ביתו *ex medio domus suæ*. illic versu 7. dicitur לדבר עבירה *Transgressioni*, hìc autem לדבר ערוה *rei turpi*. deinde autem adduntur hic aliquot alii versus, ut ille.

משוכבת חיקך שמור סתחי פיך

Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi ostium oris tui, & alii quos tamen jam omnes retulimus ex aliis locis. Præter hæc quæ in Hebræorum commentariis citantur, extant seorsim sententiæ *Ben Siræ* sic enim eum vocant sine nomine, solo cognomine Hebraice. Venetiis anno Judaico 5304. latinè Janus Drusius edidit, qui præfatione præmissa dixit nomen auctoris hujus ignorari, & solo notum esse cognomine. At Jesum vocat Zemach David, & tùm ipse, tùm cæteri, ac res ipsa docet eundem esse cum Auctore Ecclesiastici. Nepotem Jeremiæ vocat, qui potius ejus filius vocatur à quibusdam, sed falsò, ut ratio temporum docet, quæ nec nepotem eum credi patitur. Ei filium Uzielem, Nepotem vero Josephum assignat, quem & interpretem Ecclesiastici fuisse ait. Alii tamen hunc Jesum avi nomine nuncupant. Duobus igitur Alphabethis sententiarum Ben Siræ, quæ loca contineantur ex Ecclesiastico desumpta operæ pretium erit adnotare, Alphabetho primo litera א

אוקיר לאסיא עד דלא תצטרך ליה

Honora medicum, dum non indiges ejus.

Ecclesiastici XXXVIII. vers. 1. *Honora medicum propter necessitatem* Græce est τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας Et quidam putant scriptum olim πρὸ τῆς χρείας *ante necessitatem*. Litera ד

דחימא קדמאה לית את כפר ביה

Amicum veterem ne abneges illum.

Ecclesiast. IX. v. 14. *Ne derelinquas amicum antiquum.* Alphabetho secundo litera א

אל תתן דאנה בלבך כי רבים הרגה הדאגה

Ne dederis mæstitiam in corde tuo, quia multos occidit mæstitia Ecclesiastici XXXVIII. v. 21. *Ne dederis in tristitiam cor tuum, sed repelle eam à te.* Hanc sententiam aliter citavimus ex capite Chelek litera ב citatur idem versus quem ex Jebamoth c. VI. retulimus numero sexto, qui videtur desumptus ex Prov. VII. v. 26. Litera ג

גלה סודך לאחד מני אלף ואם רבים דורשי שלומיך

Revela secretum tuum uni de mille, & si multi quærant pacem tuam. Hic versus est Ecclesiastici VI. v. 6. & supra allatus ex capite VI. Jebamoth nu. 13. sed aliter. Litera ה scribitur versus quem ex Jabamoth c. VI. retulimus n. 4. Litera ז

זלדקן ועבדקן אל תהי מהם. כי לא הדע מה נגזר.

Rarus barba, & densus barba ne sis ex ipsis, quia nescis, quod sit decretum. hunc versum aliter supra retulimus ex capite Chelek. sed illud non tam est Ben Siræ, quam R. Akibæ literis כ י ט

טמונת שוא בת לאביה מפחדה לא יישן בלילה
יישן לא יישן שומר קטנה שמא תתפתה. בנערותה ותזנה, בנדב
כשתנשא הבת אחה מצטעד עליה ביוחד: שמא יהיו לה בנים, שמא לא
יהיו לה, כשתזקין שמא תעשה כשפים

Thesaurus vanus est filia patri suo. ex timore ejus non dormiet noctu. Dormiet, non dormiet custos parvulæ. Forte decipietur in pueritia sua, forte scortabitur in adolescentia.

Cum viro juncta fuerit filia, tu anxius eris super eam multo

multo magis, Forte habebit filios. Forte non habebit. Cum senuerit, ne forte faciat veneficia. Hunc locum retulimus aliter ex capite Chelek. Est autem Ecclesiastici XLII. v. 9. *Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum. ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur, ut cum viro commorata odibilis fiat. Ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur. ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur.* Hæc in Alphabethis reperi. Operæ pretium est autem his ita expositis, quæ de re totâ sit nostra sententia, & quid hinc posse colligi putemus aperire. Manifestum est librum Jesu Ben Sirach quem nos inter sacros habemus, & Ecclesiasticum vocamus, unum esse germanum, ac verum opus illius auctoris. Nam cætera quæ citantur ipsius nomine nullum testem tàm antiquum habent, quàm noster, quem nobis ab annis mille sexcentis tradit Ecclesia. Quoniam vero celeberrimus γνωμολόγος habebatur Ben Sirach, inde factum puto, ut libri quibus ejusmodi sententiæ continerentur ex ejus nomine nomen sortirentur. Ut apud Græcos multa Phocyllidis nomine sunt vulgata, quæ Phocyllidis non sunt. & Catonis nomine versus circumferuntur, quos Cato ignorat; & vulgo Thomæ de Kempis libellus Gersoni adscribitur. Rursum existimo librum hunc olim inter Agiographa apud Judæos in tertio ordine Sacrorum fuisse. Cur autem eum postea inter Apocrypha rejecerint, non apparet. Sed R. Moses Maymonides in Commentario indicat id factum ideo, quia erant in eo sententiæ faventes *Distinctioni Personarum* (sic enim explico, id quod ille dicit הכרת פרצופים Non de Physiognomìa, ut alii), Quare odio Christianæ Religionis hoc à Judæis factum, sicut in Sapientia reiicienda; certò colligemus. Interea visum est Alphabetha illa duo, quæ Ben Siræ nomine feruntur, hic edere.



ALPHABETHVM PRIMVM Ben Siræ.

EX HEBRÆO TRANSLATUM.

א *Honora Medicum quandiu eo non eges.*

ב *Filium qui non* (se gerit ut) *filius, permitte illum super aquas, & natet.*

ג *Os quod cecidit in tuam partem, rode.*

ד *Aurum auaro necessarium est, & adolescenti vapulare.* Alii vertunt. *Auro necessarium est tundi, & adolescenti vapulare.*

ה *Esto bonus, & pars tua boni non prohibebitur.* Hoc est, bonis bene erit.

ו *Væ improbo, & væ illis qui ei adiunguntur.*

ז *Proiice panem tuum super aquam, ac terram, & invenies illum in fine dierum.*

ח *Vidisti asinum nigrum? Neque nigrum, neque album.*

ט *Bene improbo ne feceris, & improbitas non pertinget ad te.*

י *Manum tuam à beneficentia ne cohibeas.*

כ *Nupta ascendit thalamum, & nescit quid ei eventurum sit.*

ל Sapientem *nutu, stultum virga.*

מ *Qui contemptores sui honorat, similis est asino.*

נ *Ignis ardens, incendit aristas multas.*

ס *Senex domi, bonum signum domi.*

ע *Vadimonium bonum, centum aureræ, malum millies mille.* nô facile spondendû pro alio.

פ *Men-*

פ *Mensa exposita, dissidium sublatum.*

צ *Mercimonium tibi exercendum est, fac tuas res agas cum iis quibus bene est..*

ק *Proximo negotio gaudet Dominus ejus, remoto editur.* (curis).

ר *Amicus primus, seu vetus non est abnegandus.*

ש *Sexaginta consiliarii sint tibi, consilium animi tui ne relinquas.*

ת *Porrigatur tibi tamquam saturo, cum sis famelicus potius, quam tamquam famelico cum sis satur.*

ALPHABETHVM SECVNDVM

Ben Siræ.

EX HEBRÆO TRANSLATUM.

א NE *des ægritudinem in cor tuum, quia multos occidit ægritudo.*

ב *Ob formam mulieris pulchræ multi interfecti sunt. & fortes omnes occisi ejus.*

ג *Revela arcanum tuum uni de mille, etsi multi fuerint qui te ament.*

ד *Remove carnem à muliere venusta, haud secus, ac removetur caro à prunis.*

ה *Averte oculos tuos à muliere venusta, ne forte capiaris in reti ejus.*

ו *Væ illi qui sequitur oculos tuos, & scit eos esse lasciviæ plenos, & nihili ducit.*

ז *Barba rara, & Barba spissa. cum his ne sis, quia nescis quid in te decretum sit.*

ח *Cari cuiq; homini Mares, & væ parenti fœmellarum.*

ט *The-*

ט *Thesaurus vanitatis puellæ est patri suo. ex metu ejus non dormiet noctu.*

י *Dormiet nec dormiet custodiens. Puellula est, ne seducatur. Juvencula ne fornicetur. Nubilis ne non ducatur.*

כ *Cum tradita est marito, augetur sibi sollicitudo. An futuri sint ei liberi, An defuturi, & ubi senuerit, ne forte sectetur veneficia.*

ל *Ne dormias puer, vel senex* (idest ne uxorem ducas) *ne vetulam ducas, quia vetula bebetabit vires tuas qui es iuvenis, at puella addet tibi robur, & vires.*

מ *Aqua puellæ dulces, & robur addentes. Aquæ vetulæ amaræ, instar veneni, bebetantes vires. putas esse aquas, & exhausit eas ventus.*

נ *Excute teipsum à muliere improba, & quæ tibi imperiose loquatur. nam prava mulier instar canum permixtorum. Ei clausa erit janua, & ipsa multis dabit ore responsa.*

ס *Scriba, ac Doctor puellam ducet, & non Virum passam. quia hæc ipsius unius erit. illa autem jam novit alienum.*

ע *Averte oculos tuos à muliere vidua, & ne pulchritudinem ejus concupiscas in corde tuo. quia filii ejus, lascivi.*

פ *Faciem tuam subtrahe à Sodalibus malis, neque eorum itinere gradiare, pedem tuum ab iis cohibe ne ipsorum reti capiaris.*

צ *Absconde fili mi opes tuas dum vivis, & abde eas; neque bæredi tuo eas dederis ante diem mortis tuæ.*

ק *Fac tibi rem familiarem, & uxorem bonam ac Deum timentem, & gigne plures liberos, etiam si centum.*

ר *Recede procul à malo vicino, & in eorum societatem noli adnumerari, nam pedes eorum currunt ad malum, & ad sanguinem fundendum properant. Miserere vicini tamen vel mali, & da ei cibum. Quando enim stabis*

ante

ante Judicem reddet tibi testimonium.

in socio pravum videris, id in linguam continuo evoces.

ש *Audi Domine mi dictum meum, & aures tuas ad verba mea præbe. Parce rixari mi Domine cum vicinis tuis, & si quid*

ח *Aureos tibi, & omne genus opum compara, neque uxori indices ubi ea reconderis, quamquam bonæ.*

TITVLVS IX.

Eleazar Pontifex:

אלעזר כהן גדול

ELeazar summus Sacerdos eo nomine celeberrimus est, quod Septuaginta duos Senes ad legem Græcè reddendam Ptolomæo miserit. quorum ut memoria nunquam interitura, ita immortalis est gloria. Hujus sunt.

אגרות אל חלמי המלך Epistolę ad Ptolomeũ Regem

Eidem, & Græca tribuuntur carmina, ut illud

ὦ πᾶσιν ἀρχὴ καὶ πέρας κακῶν ὄφις
ἥ τ' ὦ βαρὺν τίκτυα θησαυρὸν κακοῦ
πλάνη τυφλοῦ ποδ.γὸς ἀγνοίας βίου.
χαίρουσα θρήνοις καὶ σενάγμασι βροτῶν
ὁρμεις ἀδέσμους εἰς ὕβρεις ὁμοσπόρων
τὰς μισαδέλφους ὁπλίσαντες ὠλένας.
κἀν μολῦναι φονίῳ πρῶτον λύτρῳ
Επείσετ' ὀρλὴν κρᾶξ ἀκηράτου πεσεῖν
Αιωνίων τε πρωτέπλασον ἐς χθόνα
Υμεῖς ἐτεκτήνασθαι.

O auctor idem, & summa multiplicis mali
Coluber, malorum o copiam gignens gravem
Error,

Error, videndi nesciæ vitæ arbiter.
Quem luctus hominum, ac sævus oblectat dolor:
Vos impia in certamina uno ortos Patre
Trucemque in odia fratris armastis sinum.
Ut primus irani cæde sanguinea Cain
Inficeret effecistis, utque hominum pater
Terrena peteret, pulsus æternis bonis,
Vos architectos hæc habent hominum mala.

TITVLVS X.

Septuaginta Interpretes.

שבעים זקנים

SEptuaginta Interpretum Historiam Viri clarissimi libris etiam seorsim ea de re editis illustrarunt. Sed quia multum in ea narratione momenti situm est ad rem Theologicam, & sacram, equidem ipse quæ latine editis libris diligenter ea de re disputata sunt omittam, ne actum agere dicar, ex Hebraicis vero quædam non adeo nostris observata decerpam. Hæ porro mihi propositæ quæstiones erunt.

I. An hæc prima Interpretatio?
II. Quo consilio tentata?
III. Num aliter quam Græcè?
IV. Num Septuaginta duo, & quid de Cellulis?
V. Sola ne lex, an alii quoque libri, & quot?
VI. Gratum ne id Judæis, & probatum, an contra?
VII. Num loca multa mutaverint consulto?
VIII. Num aliquot locis erraverint.

I. An hæc sacrarum literarum prima translatio fuerit in exteram linguam, inter Veteres quæritur. & minime dubium est ante Philadelphi tempora sæpius in exteras linguas Legem Mosis fuisse translatam. Nam ut omittam id, quod minus fide dignum

dignum est Hebræos dicere legem Mosi traditam septuaginta linguis. alios vero eam quatuor linguis traditam affirmare, Hebraica, Syriaca, Arabica, Latina. Sic enim Sifri, & refert Jalkut Sect. ultima in Pentateuchum. *Dominus de Sinai venit. Cum Deus O. M. revelatus est per traditionem legis, revelatus est quatuor linguis. Dominus de Sinai venit. En lingua Hebraica. & de Seir ortus est nobis. En lingua Romana. Apparuit de Monte Pharan. En lingua Arabica. & venit è dexis millibus Sanctorum. En lingua Syriaca.* Hæc illi qui harum interpretationum rationes pluribus reddere nituntur. Josvem quoque postea dicunt legem pluribus linguis altari insculpisse, ut cum de eo scripsimus, adnotasse meminimus. Ut hæc aliaque omittam, certum est tempore Captivitatis Babylonicæ legem Mosis translatam in eam linguam, quæ ex Chaldaicæ, Syriacæ, atque Hebraicæ permixtione nata captivis usui erat, in manibus vulgi fuisse: ut & R. Azarias ostendit in Maor Enaim, & ipsa per Esdram legis Hebraicæ scripta reparatio ostendit, eam prius alia lingua scriptam in manibus populi fuisse. Credibile namque non est Hebræos umquam lege caruisse. Qui vero Dositheum, & Sebum ajunt Samaritanis legem Mosis attulisse alia lingua scriptam, quam Hebraica in idem faciunt. Certe Samaritanum exemplar non sola scriptura, sed linguæ etiam diversitate ab Hebraico differt. Nam neque exteræ Gentes, quæ in Samariam inductæ fuerant intellexissent pure Hebraice scriptum volumen. Præterea in Sanhedrin capite *Cohen Gadol.* Hebræi scribunt populo ex captivitate redeunti Esdram interpretatum esse legem sermone vulgari. Meghilla cap. 1 Cum dixissent Onkelos Proselytum fuisse qui Targum legis ediderit primus, obiiciunt sibi. *Targum Pentateuchi primus ne scripsit Onkelos Proselytus? Nonne dixit Rau Ika Bar Abin, dixit R. Chananel ex doctrina Rau, cur scriptum est* 1. *Esdræ.*

ויקראו בספר תורת האלהים מפורש ושום
שכל ויבינו במקרא

Hoc est. Et legerunt librum legis Domini explicatè, & apponere intel-

intelligentiam. *&* *intellexerunt lectionem. Librum legis Domini, hoc est* מקרא (explicat R. Salomo מקרא, idest לשון עברי של חומש *Hebraice sic vocatur Pentateuchus*: cum tamen alioqui *Micra* totum opus Biblicum Hebræis significet) *explicate. hoc est Targum*. *&* *Apponere intelligentiam. Hoc significat distinctionem versuū. &* *intellexerunt lectionem. hoc est accentuum distinctiones*. *&* *quidam dicunt per hæc verba significari Masoreth*. *Ergo Targum erat ante Onkelos*. *Respondent oblivioni datum est, Onkelos postea id restituit*. Itaque nemini dubium esse potest ante interpretationem hanc, Pentateuchum fuisse lingua SyroChaldaica, & Samaritana versum, quod si his, quare non etiam Græca? Nam cum & Alexandriæ, & Cyrenæ, & toto Joniæ, Græciæque tractu Hebræi sparsim magno numero degerent, quibus Græca lingua vernacula erat, indigebant profecto interpretatione sacrorum librorum in eam linguam. Certe cum Hebræis in Palæstina, & Hierosolymis degentibus opus fuerit interpretatione, multo magis ea opus erat Hebræis peregre habitantibus. quod si Hebræis necessaria non esset ea interpretatio, certè Græci rerum exterarum indagatores eam sibi curassent, sectæ hujus cognoscendæ studio: quare Eusebius lib. IX. de Præp. c. IX., & lib. XIII. c. VII. & prior Clemens lib. I. Strom. cap. XIII. tradunt Pentateuchum ante Ptolemæi Philadelphi tempora Græcè redditum fuisse (Clemens autem ejus rei testem Demetrium adducit in primo ad Philometorem) Id quod etiam de Prophetis credibile est. Nam præterquamquod eædem causæ id suadent; sunt etiam argumenta nonnulla ex imitationibus Isaiæ, Jeremiæ, Jobi, quas apud Græcos Poetas, auctoresque adnotant Viri docti.

II. Quo consilio igitur hanc interpretationem tanto apparatu aggressus est Ptolemæus Philadelphus? R. Salomo, & auctores Thosiphoth sinistre cogitant de Regis consilio, ac mente. Voluisse illum Hebræis singularem illam gloriam, qua ob legem omnibus præstabant eripere, eamque omnibus communicare. Quam improbam regiæ beneficentiæ calumniam præter-

quam

quam quod ipsa res refellit, & narratio Aristææ, ipsi quoque Hebræi reiiciunt, nec dignam putant cujus ulla ratio habeatu ut R. Azarias in Maor Anaim, ac cæteri eorum Historici. Aptius quæri posset, Cur Ptolemæus sacras literas Græcè verti jusserit, quas constat multo ante in eam linguam fuisse translatas. aut cur Hierosolymis Interpretes evocarit, cum plena esset Judæis Alexandria. Vel denique cur tam multos. Facilis ad hæc omnia responsio est eas interpretationes, quæ circumferebantur, nullius auctoritatis fuisse, & à Judæis passim solitas pluribus locis redargui, pugnantes quoque inter se, & pluribus locis obscuras: ideo cogitasse Ptolemæum nova interpretatione opus esse, quæ diligentius fieret, & quam sequi tuto possent quicumque Græce loquerentur, aut scriberent. Idem significat Demetrius Phalareus in suggestione ad Regem pro hac Interpretatione curanda. *Sunt*, inquit, *negligentius, quàm par est habiti, eo quod non dum Regia beneficentia eis contigerit. Necesse est autem, ut & hos habeas diligenter accuratos.* Hæc Demetrius apud Josephum lib. XII. ant. c. 71. Noluisse autem Alexandrinis fidere in re tanta, vel certe eos rogatos minimè id sibi licere inconsulto Pontifice aggredi respondisse.

III. Num vero tantum Græce ab iis Lex reddita sit quæri potest. Nam quidam ajunt ideo LXXII. Electos ut in totidem linguas sacræ literæ verterentur. Et quidem Synedrium ipsum ab Eleazaro Pontifice Alexandriam destinatum putant; cujus omnes Senatores si Hebræis credimus, septuaginta linguas callebant. Sed hoc est fingere, & quidem absurda. non modo enim non LXX linguis, sed nulla alia quam Græca interpretatio hæc peracta est, ne AEgyptia quidem. Nam nec libros scribere Hebræis alia quam Græca lingua licebat. Meghilla cap. 1. *Non permiserunt Sapientes scribi libros alia lingua, quam Græcè, ob suam pulchritudinem, & quia scriptum est: Japheth habitabit in tabernaculis Sem.* Japheth Hebraice idem est, quod Pulcher. Hinc factum ut Græce Japetus cognominaretur ξανθός, quod Pulchrum item significat. Cum autem de Japeto dictum sit eum fore conjunctum Semo, jure Hebræi Græcam linguam, quæ Ja-

peti posterorum est, Hebraicæ affinitate quadam jungi existimabant. In Hierosolym. Tractatu Phea cap. 1. & Tract. Sciabath, cap. VI. dicitur. *Licet homini docere filiam suam Græce, quia hoc ipsi est ornamento*. Et commune apud Hebræos adagium erat: *linguam Hebraicam esse linguam Loquentium: Græcam Canentium: Latinam pugnantium: Syriacam Lugentium*. forte ideo, quia Hebraica graviores loquebantur; Græcam Homerus, & cæteri Poetæ celebrem fecerant. Latinam invexerant milites; Syriaca post captivitatis incommoda cæperat Hebræis in usu esse. Denique legem non alia lingua commodius verti posse, quam Græca erat apud eos exploratum. In Hierosolymitano Tractatu Meghilla. C. 1. *Quæsierunt, & invenerunt legem non posse verti sicut oportet, nisi Græce vertatur.*

IV. De numero Interpretum, & loco, atque ordine quo res gesta sit, non videntur ubique Hebræi cum Aristæa, & cæteris consentire. Nam de Numero dicitur Tractatu Sopherim. Cap. 1. *Quinque Senes scripserunt legem Ptolemæo Regi Græce*. De Loco, Berescith Rabba in fine sect. x. *Ptolemæus Rex interrogavit Senes Romæ, quot diebus creavit Deus mundum*. Sed contra pluribus locis apertè res ita narratur sicut apud Aristæam. ut Tractatu Meghilla C. 1. *Factum Ptolemæi Regis. Qui induxit LXXII Senes, & collocavit illos, in domibus LXXII, & non indicavit illis ad quid eos vocasset. deinde venit ad singulos eorum, & cuique dixit, Scribe mihi legem Mosis Magistri Vestri. Dedit Deus in corde singulorum, ut convenirent omnium sententiæ in unam*. idem habetur in Mechilta Rabba sectione Bò, & in Berescith Rabba sect. VIII. & in Hierosolym. Tractatu Meghilla C. 1. & in Midras Rabba in fine sect. VIII. apud Historicos item eorum fere omnes. Josiphon Ben Gorion lib. III. Cap. XVI. *Cum autem Eleazar Sacerdos, & septuaginta Senes Sacerdotes prædicti Sapientes Interpretes in Ægyptum venissent; summo cum honore excepti sunt à Rege deditque iis. Ptolemæus septuaginta Domos, & singulos separatim collocavit, ac dedit illis Scriptores Græcos, callentes Græcam linguam, & scriptionem. & interpretati*

sunt

ſunt Sacerdotes Pentateuchum, & reliquos Sacros libros XXIV. Quod ergo Tractatu Sopherim dicuntur *Quinque Senes*, vel error eſt Librarii, & ה poſitum eſt pro ע, vel aliud factum recenſetur, & fortè antequam LXX Interpretes Hieroſolymis evocarentur, à quinq; Viris idem tentatum eſt. Quod vero in Bereſcith Rabba dicitur Ptolemæus Romæ interrogaſſe Senes, ideſt Interpretes illos, quos ità vocant, aut error eſt craſſus Auctoris, aut Librarii; aut ſuſpicabitur quis Alexandriam poſterioribus temporibus vocatam eſſe Romam, ut poſtea Conſtantinopolis.

V. An verò Libros omnes Sacros verterint gravior diſputatio eſt. Quidam apud R. Azariam dicunt eos ne Pentateuchum quidem Hebraicum vertiſse, ſed ejus Syrochaldaicam corruptam verſionem Græcam feciſſe. Nam duplicem eſſe librum legis, ſeu Pentateuchi apud Hebræos ſacrum, & vulgarem. Et ſacrum quidem unica membrana diligentiſſimis obſervationibus ſcriptum, qui כשר ideſt legitimus, aut lectus vocatur, non potuiſſe exteris communicari. Profanum autem qui lingua populari, & corrupta, Charactere Samaritano, quacumque demum forma ſcriptum in manibus omnium erat, Ptolemæo Regi miſsum, & Græce redditum. Id vero credibile eſt, cum neque Demetrii eruditionem latere poſset ea fraus, neque Judæis tutum, aut honeſtum eſſet Regi tàm bene de ſe merito tam turpiter imponere. & quæ Joſephus, ac cæteri narrant, de libro aureis Characteribus exarato, tanta cum veneratione, cultuque miſſo, excepto, reddito, ſatis indicant falſo hæc fingi. Quare inter ea duo legis volumina, quorum alterum in Synagogis publice oſtendebatur, alterum vulgi terebatur manibus, medium, ac tertium erat, quod nõ quidem ea veneratione ſervabatur, nec ſcribebatur iis obſervationibus, quibus illud, quod publice oſtendi ſolebat, cæterum idem erat, eàdem linguà, & charactere ſcriptum. & hunc putamus Ptolemæo miſſum. Nam Pentateuchus ille ſanctior uni membranæ inſcribitur. Hic autem liber, ut Ariſtæas, & Joſephus ſcribunt, commiſsuras & ſuturas habebat, quarum tenuitatem miratus eſt Rex. Niſi velimus

putare

putare morem hunc scribendi Pentateuchum his cæremoniis in una membrana, idque publice ostendendi, esse posteriorem hac ætate, & Pharisæorum observationibus, & Hillelis fortè præscripto inductum. Constet autem Hebraice, non Syriace scriptam legem Ptolemæo allatam, quod Josephus Demetrii verbis adnotat. Id vero quod in supposititio libro Justorum scribitur in præfixa Epistola, uti supra dicebamus, Eleazarum Pontificem pro libro legis Librum Justorum primo misisse, dein fraude cognita coactum veram legem mittere, minime credibile est, & à nemine antiquorum, quod sciam adnotatur. Pentateuchum igitur ab iis Græce redditum, non est quod quisquam dubitet. An autem, & Prophetæ, & Agiographa? Josephus ita legem solam dicere videtur, ut cæteros quoque sacros libros non excludat. Sic enim retulisse Demetrium: *Libros multos esse, apud Hebræos, qui eorum lege scripta contineant dignos cognitu ex Bibliotheca Regia*. Sanè constat apud Hebræos omnes simul sacros libros vocari תורה שבכתב *legem scriptam*. Nam ex omnibus æque præcepta vivendi desumuntur, & cuivis eorum sententiæ in quavis controversia statur. Etenim si tantum legis appellatione id veniret, quod præcepta, atque edicta Dei continet magna pars Pentateuchi lex non esset. Quare plerique Hebræorum existimant omnes sacros libros simul à LXX Viris Græce versos, ut supra dicebamus ex Josepho Gorionide, quò etiam post aliquam disceptationem propendet R. Azarias in Maor: ex Christianis vero Auctoribus id expresse dicunt Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. III. C. XXV. Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. Eusebius lib. VIII. de Præp. Evang. C. I. Epiphanius de ponderibus, & mensuris, quorum auctoritati quævis adversæ opinionis conjectura succumbit. Porro Legis nomine venire Prophetas, & Agiographa ostendit R. Azarias in capite Chelek. ubi Ghemara disputans contra Sadducæos dicentes אין תחיה בתורה *Non est Resurrectio in lege*, adducit argumenta resurrectionis ex Prophetis, & Agiographis, tamquam ex lege. & nos id multo efficacius ostendere possumus ex Novo Testamento. nam Joannis X. & XV. quod in

Psal-

Psalmis scriptum est, dicitur scriptum in lege, & 1. Cor. XIV. locus Isaiæ citatur tamquam ex Lege. Quamquam non desunt, quæ in quæstionem vocari possint. Primum an libros Veteris Testamenti qui nunc in Canone Hebræorum non sunt LXX Interpretes verterint Græce? Et quidem de Machabæorum, Sapientiæ, Ecclesiastici libris negari tuto posse videtur. Nam Ecclesiasticum, & Machabæos nulli dubium est post hæc tempora scriptos. Sapientiæ quoque liber non putatur antiquior. de Libro quoque Esther quem nunc habet Hebræorum Canon, dubitari potest an eum LXX verterint, cum Græca versio, quæ nunc habetur tribuatur Lysimacho. & universè credibilius est eos tantum libros ab eis versos, quos habet Esdræ Canon.

VI. Quæritur an etiam probantibus Judæs id factum sit. Nam ut R. Azarias notat, aliquot loca sunt in antiquis Hebræorum Commentariis, quæ significant id à Ptolemæo per vim expressum. Meghilla Taanith in fine. *Cum lex translata est in Græcam linguam Ptolemæo Rege, venerunt tenebræ in Mundum tribus diebus*. Et Tract. Sopherim c. 1. *Quinque Senes scripserunt legem Ptolemæo Regi Græce, & fuit dies illa Israeli dura, sicut dies qua factus est vitulus. Quia lex non potuit explicari sicut oportebat*. His aliisque domesticis traditionibus quidam suspicantur hæc omnia à Ptolemæo invitis Judæis facta, & si non auderent contra obniti, metu Regiæ indignationis. Sed multa sunt, quæ huic suspicioni fidem abrogant. Primum Josephi, Aristææ, Philonis, ac cæterorum veterum auctoritas, qui gratum id Hebræis, & gloriosum fuisse dicunt. Deinde Apostolorum, ac Patrum Christianorum, qui eandem Interpretationem laudant, eàque adversus Hebræos tamquam ab iis recepta utuntur. Et Clemens Alexandrinus à Judæis Institutus hanc vocat *Græcam Prophetiam* lib. 1. strom. Postremò Hebræorum quoque. nam hi locis supra allatis indicant pergratum fuisse majoribus suis Ptolemæi Regis studium, eique grates redditas, & laudes. Septuaginta vero Interpretes Spiritu Sancto afflatos dicunt, siquidem Meghilla cap. 1. dici-

tur.

tur. *Deus dedisse in cor eorum*, ut omnes idem scriberent. Et Josiphon Ben Gorion idem scribit, qui & omnium, qui Alexandriæ erant Judæorum approbationem, & omnium aliarum versionum abrogationem, hujus vero constitutam auctoritatem narrat, eo prorsus modo quo eadem referunt Josephus, & Aristæas, & Nostri. Ad illa igitur quæ obiiciebantur, respondet R. Azarias locum ex Tractatu Sopherim non agere de LXX Viris ab Eleazaro missis, sed de quinque aliis. Putat autem hos quinque intelligi debere, Aquilam, Theodotionem, Symmachum, & Auctores Quintæ, & Sextæ editionis; aut certè erratum in numero, & quinque pro tribus positum esse. nam Tractatum Sopherim corrupte, & mendose scriptum haberi, ut notat R. Aser. Verum hoc probare non possumus. Nam tres illi Interpretes, nec simul uno tempore, nec Ptolemæo Regi, nec alii Regi denique Sacras literas interpretati sunt. Itaque videtur hic locus de alia Interpretatione agere. Nam quid vetat suspicari Ptolemæum, aut Philadelphum, aut Lagidum ejus Parentem antequam ad Eleazarum scriberetur Legis vertendæ causa, idem per quinque Senes Judæos Alexandrinos tentari jussisse. quod cum infeliciter iis cessisset, Hierosolymam scripsisse meliorum Interpretum accersendorum gratia. quod Josephus tacuerit fortè ne suæ gentis homines ludibrio obiiceret? Hujus ergo interpretationis meminerit locus ille è Tract. Sopherim, tamquam noxiæ, & perperam à paucis privata auctoritate susceptæ, nam statim addit de Interpretatione LXXII Senum quam laudat, ac probat. Alter locus è Meghilla Taanith benè à R. Azaria explicatur. Triduò tenebras fuisse cum Lex vertenda esset, hoc est triduo Hierosolymis indictum Jejunium, ac toto eo tempore precibus, ac supplicationibus vacatum. Eleazaro Pontifice metuente ne LXX, quos misisset Interpretes aliquid perperam scriberent, aut loquerentur; nevè id quod ipse opportunum factu judicaverat, Deus improbaret. Hic metus, hæc sollicitudo Pontificis, ac publica, tenebræ triduanæ vocantur. Eleazarum autem, ut hoc obiter adnotem, in AEgyptum cum his LXX Viris profectum, falsò dicit Gorionides, deceptus Aristææ loco,

quo

quo dicitur Eleazarus Sacerdos Dux Interpretum fuisse: quod intelligendum est de alio, quàm de Pontifice, quem constat ex eodem, & Josepho non discessisse Hierosolymis.

VII. Addunt verò Hebræi hos LXX loca & quidem multa mutasse nonnullis de causis, quod in Tract. Meghilla C. 1., & Hierosolym. ibidem, & Mechilta, & alibi sæpè repetunt. Liber de Regibus Templi secundi ea sic enumerat. *Hæc sunt loca XIII, quæ mutarunt LXX Senes.*

Primus אלהים ברא בראשית *Deus creavit in principio* Gen. 1. v. 1. *Veriti sunt enim dicere. In principio creavit Deus, tùm ne viderentur aliquid præposuisse Deo, tùm quia Græce Agens præponitur Patienti.*

Secundus אעשה אדם בצלם ובדמות *Faciam hominem ad imaginem, & similitudinem* Gen. 1. v. 26. *Ne fortè si dicerent faciamus, videretur iniisse consilium cum aliis.*

Tertius ויכל אלהים בששי וישבות ביום השביעי *Et perfecit Deus in sexto, & requievit die septimo* Gen. 11. v. 2. *Ne fortè si diceret, complevitq; Deus die septimo opus suum; videretur Sabbatho aliquid fecisse, & postea quievisse.*

Quartus הבה וארדה ואבלה שם שפתם *Eia descendam, & confundam ibi labium eorum* Gen. 11. v. 7. *ne forte si dicerent: Descendamus, & confundamus, putarentur esse plures Dii.*

Quintus ותצחק שרה בקרוביה *Et risit Sara ad proximos suos* Gen. 18. v. 12. *Ne forte si dicerent, risit* בקרבה *apud semetipsam; diceret Rex, & quis indicavit vobis quid Sara fecerit apud semetipsam?*

Sextus כי באפם הרגושור וברצונם עקרו אבום *Quia in furore suo occiderunt taurum, & in voluntate sua extirpaverunt præsepe* Gen. 49. v. 6. *Ne forte si dicerent,*

rent,

rent, in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua subnervaverunt taurum, rideret Rex, ac diceret: Quid commune Homini, ac Tauro?

Septimus ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על נושא אדם *Et accepit Moses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super ferentem homines* Exodi 4. v. 20. *Ne forte si diceret super asinum, Rex contemneret Mosem, quod Asino insideret, ac diceret: quomodo uxor, ac duo filii uni asino insidebant.*

Octavus ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים ובשאר ארצות שלשים שנה וארבע מאות שנה *Et habitatio filiorum Israel, qua habitaverunt in AEgypto, ac reliquis terris quadringentorum & triginta annorum.* Exodi 12. v. 10. *Ne forte si dicerent sicut eo loco est, tantum in Ægypto, refellerentur. Quia tantùm ducentis, ac decem annis in Ægypto versati sunt.. Et hoc est quod ipsis indicabat Jacob pater eorum cum diceret: Descendite illuc. Nam descendite Hebraicè* רדו *numerum habet CCX. Numerus autem annorum CCCCXXX desumitur ex nativitate Isaac.*

Nonus ואל זאטוטי בני ישראל לא שלח ידו *Et ad minimos filiorum Israel non misit manum suam* Exodi 24. v. 71. *Ne forte si dicerent ad Proceres, ut ibi est, viderentur illi tantum liberati.*

Decimus לא חמוד אחד מהם נשאתי *Nec desideratum quicquam ex ipsis accepi* Num. 16. v. 15. *Ne forte si dicerent neque asinum, sicut ibi est, Rex diceret, Asinum quidem non accepit, sed aliud munus accepit.*

Undecimus אשר חלק יי אלהים אותם להאיר לכל העמים *Quæ divisit Dominus Deus ipsa ut illuminarent omnes populos.* Deuter. 4. v. 19. *Ne forte si dicerent sicut ibi est sine illa appendice, ut illuminarent, verba viderentur referri ad Israelitas, de quibus proximè sequitur sermo (& sic Gentes dicerent Deum dedisse potestatem omnibus, & eos in servitutem*

vitutem redigerent) non autem ad sidera, de quibus superius agitur.

Duodecimus וילך ויעבד אלהים אחרים אשר לא צויתי לעבודם *Et ibunt, & servient diis alienis, quibus non mandavi, ut servirent illis*. Deuter. 17. v. 3. *Ne forte dicerent sicut ibi est sine illa appendice, quibus non mandavi, ut servirent illis, dicerent ecce vocastis Idola* אלהים *Deos, nullo addito.*

Decimo tertio. ubi Hebraice positum erat ארנבת, *idest Lepus ipsi posuerunt* צעירת הרגלים *Parvipedem, Nam uxor ipsius Ptolemæi vocabatur Arnabath. Ne forte diceret, irrident me Judæi, & uxorem meam ludibrio habent*. Hactenus loca Judæi enumerant, quæ Septuaginta Interpretes mutarint. R. Salomo ait has esse narrationes antiquas Terræ Israel. Sed contra ex Hebræis alii, inter quos sæpè laudatus R. Azarias negant fide dignum id esse commentum. Quis enim putet Septuaginta gravissimos Senes putasse sibi licere tredecim, loca immutare, cum Hebræis inde à principio tanta religio fuerit aliquid in sacris libris demendi, addendive, ut quodvis genus necis subire maluerint, quam id perpetrare. Qua de re gravissime scribit Josephus his verbis libro contra Apionem primo *Tot*, inquit, *sæculis jam præteritis, neque adiicere quicquam aliquis, nec auferre, nec transformare præsumpsit. Omnibus enim insitum est, inde à prima generatione Judæis hæc divina dogmata nominare, in his permanere, & pro his si oporteat, mori libenter. Jam itaque multi captivorum frequenter tormentis affecti sunt, & mortes varias in theatris sustinuerunt, ne ullum verbum contra leges admitterent, neve conscriptiones avitas violarent*. Quod igitur metu, & cruciatu adacti nunquam fecere Judæi, hoc hi tot tantique viri sponte fecissent? Adde quod nulla apud alios scriptores horum locorum mentio est: quin contra omnia ab ipsis ad sensum, tonumque verborum aptissime expressa omnes fatentur. In hac quæstione si res ad fidem exemplarium, quæ nunc extant exigenda est; reperio primum locum nunc non ita habere sicut ipsi dicunt; sed sicut Hebræa lectio habet.

 Se-

Secundus locus etiam non respondet eorum observationi.

Tertius respondet, sic enim scribitur *συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἃ ἐποίησε, καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ* *Et perfecit Deus die sexta opera sua quæ fecit, & requievit die septima*;

Quartus, quintus, sextus non respondent.

Septimus respondet; nam pro asino ibi est *ὑποζυγία*, quod videtur respondere illi vocabulo נושא אדם

Octauus locus respondet, sic enim scribitur *ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν γῇ Αἰγύπτου καὶ ἐν γῇ χαναὰν αὐτοὶ, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν τριακόσια καὶ τριάκοντα ἔτη* *Habitatio autem filiorum Israel, qua habitaverunt ipsi, & patres eorum in terra AEgypti, & in terra Chanaam, ipsi & patres eorum, trecenti triginta anni.*

Nonus locus aliqua ex parte respondet. est enim in LXX *ἐπιλέκτων* quod videtur esse id, quod exprimere conati sunt per זאטוטי.

Decimus respondet: est enim Græce *ἐπιθύμημα*, quod respondet voci Hebraicæ, חמוד non *ὄνος*, quod respondet voci חמור.

Undecimus, ac duodecimus non respondent.

Decimustertius quoq; non respondet. bis enim Leporem in Pentateucho invenio, & Hebraicè ארנבת Levit. 11. v. 6. Deuter. 14. v. 7. utrobiq; vertitur Græce *δασύπους*, quod proprium Leporis nomen est, & densipedem, non parvipedem sonat. Uxor autem Ptolemæi Arsinoe vocabatur, quod an AEgyptiace Leporem sonaret nescio. At Hierosolymitanum Tract. Meghilla cap. 1. pro Uxore, matrem dicit, nec vacat ultra quærere.

VIII. Octava est quæstio an alicubi ignoratione peccaverint, nec verba verbis apte reddiderint. Denique an eorum Interpretatio Hebraicæ veritati omnino consenserit. Nam constat eam, quæ nunc Septuaginta Interpretum nomine circumfertur, in plurimis tàm longè differre à verbis Hebraicis, adeò ut in qui-

quibusdā nescias,quid Interpreti venire potuerit in mentē quamobrē sic verteret. Respondeo Interpretationis Septuaginta absolutissimam laudem apud veteres extare. Nam primum Hebræi magno consensu eam probarunt, ut scribunt Aristeas, & Josephus; deinde fere tota eam laudavit Antiquitas, & nihil ultra quærendum esse multis sæculis censuit. Aquila primus post annos supra quadringentos ausus est novam interpretationem cudere, eo tantum studio ut Christianis obtrectaret. Quod vero ea quæ nunc extat Septuaginta Interpretum in plurimis Hebræo non consentiat, non est eorum imperitiæ, aut oscitantiæ adscribendum; nec putandum eos vertisse sacras literas è corruptis codicibus vernacula tùm Judæis lingua scriptis potius, quàm ex Hebraicis, & sinceris: sed tribus causis ea diversitas est jure tribuenda. Primum est, quod Septuaginta non modo Interpretes, sed Prophetæ fuerint, ut ait S. Augustinus lib. XV. de Civitate Dei C. XIII. & fatentur ipsi Hebræi, dum dicunt eos locutos esse consilio, & nomine Dei, utsupra ex Tract. Meghilla C. 1. retulimus. Proinde multa verterunt ad sensum arcanum potius quam ad verba manifesta. in multis aliquid addiderunt, quo Spiritus Sancti sententia fieret clarior. Secunda quod Hebraicus textus ex eo tempore nonnullam immutationem forte sit passus, aut alicujus literæ, si forte vera sunt, quæ de Scribarum correctionibus dicuntur, vel saltem, ex additione punctorum, quæ in Academia Tiberiensi, addita sunt post aliquot sæcula: ex quo factum est, ut aliter nunc legamus, atque olim Septuaginta legerint. ut exempli gratia, quod in Psalmo nonagesimo Septuaginta legerunt *Davàr* דבר *Negotium*, in illo versu: *ab incursu, & dæmonio meridiano*: hoc nos nunc legimus *Dever* דבר *Pestis*, & sic varia distinctione literarum, & scriptione diversa sententia mutata est. ut, *Quoniam percussisti omnes adversantes mihi sine causa*, quod LXX legerunt לחנם *sine causa*, nos nunc legimus לחי גם *in maxilla, etiam.* ubi & literæ aliter distinguntur, & Nun, & Ghimel confunduntur, & *Kirich Katon*, & *Kirich Gadol* permutantur. Sic. *Filii hominum usquequo gravi corde,*

de, ut quid diligitis vanitatem? quod Septuaginta legerunt כבודי לב למה *Gravi corde ut quod* nunc legitur כבודי לכלימה *Gloriosi mei ad ignominiam*. Tertia causa est, quod editio Septuaginta Interpretum nunc non extet qualem ipsi protulerunt. Nam cum in manibus Judæorum versari cæperit, aliisque describi, ut quisque Hebraica melius verti posse credebat, ita septuaginta Interpretes corrigebat. ut fere quot essent volumina, tot variæ interpretationes. Atque hæc potissima causa corruptæ hujus Interpretationis mihi videtur, quam quod aut invidi Judæi eam occuluerint, vel quod in Alexandrinæ Bibliothecæ incendio perierit, vel antiquior illa, quæ ante hæc tempora extabat cum posteriore permixta sit; & rursus hæc cum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aliisque. licet hæc omnia simul idem efficere potuerint. Hieronymus in præfatione in Paralipomena ait triplicem Septuaginta interpretum editionem solitam suo tempore circumferri. Primam Luciani, quam Ecclesiæ omnes à Constantinopoli Antiochiam usque reciperent: Alteram Hesychii, quam Aegyptus probaret: Tertiam Origenis, à Pamphilo, & Eusebio editam, quæ à regionibus inter hasce duas mediis reciperetur. Africanus vero, qui Origeni æqualis, aliquanto etiam Senior fuit, videtur unam agnoscere toti Ecclesiæ communem Interpretationem Septuaginta. sic enim loquitur in quæstione de annis ante diluvium. Πανταχόθεν ἐν τῆς τῶν ο' ἑρμηνείας ἐκ παλαιᾶς ὡς ἔοικε, καὶ ἀδιαστρόφου Εβραίων γραφῆς μεταβεβλῆσθαι συνισταμένης εἰκότως ταύτῃ καὶ ἡμεῖς κεχρήμεθα, ὅτι μάλιστα καὶ ἡ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἡπλωμένη χριστοῦ Εκκλησία ταύτῃ μόνῃ προσέχει τῶν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Αποστόλων τε καὶ μαθητῶν ἀρχῆθεν. ταύτῃ χρᾶσθαι παραδεδωκότων *Cum igitur Versio septuaginta inde ab omnibus commendetur, quod vetere ut apparet, atque indubitata Hebraica scriptione sit reddita, iure hac & nos usi sumus. Præsertim cum Catholica Christi Ecclesia toto orbe diffusa ei Soli adhæreat, quod scilicet inde ab initio Servatoris Apostoli, & Discipuli eâ nos uti debere tradiderint.* Sed Africanus hoc tantum pro certo habet editionem LXX unam esse qua uteretur Ecclesia; cæteras enim etsi ad ulteriorem eruditionem inter explanandum usurpabant; iis tamen

non

non utebantur in facris. At controversias, quæ de ipsa editione LXX essent non attingit.

TITVLVS XI.

Aristæus.

ARistæus Græcus quidem genere fuit, sed quia ejus de Interpretum LXX evocatione, deque Sacris Literis per eos versis liber adeò Hebræis, & Christianis celebris est, & extat Hebraicè à R. Azaria Edomæo versus, locum inter Scriptores Hebraicos visus est posse obtinere. Aristæi Librum Josephus Commentariis suis inseruit. Eusebius ejus meminit lib. IX. Præp. Evan. Ἀριστaῖος, inquit, *ἐν τῷ γραφέντι βιβλίῳ περὶ τῆς ἑρμηνείας τοῦ τῶν Ἰουδαίων νόμου. Aristæus eo Libro, qui de Interpretatione Judaicæ Legis scriptus est.* Meminit quoque S. Epiphanius lib. de Pond., & Mens. Inter Hebræos idem R. Azarias Edomæus eum Librum Commentariis illustravit. R. Ghedolias verò sub finem prioris Catenæ eum Librum à Christianis inter Sacros haberi dicit; quòd scilicet olim in quibusdam exemplaribus Bibliorum Liber Aristæi velut historia ad Sacros Libros pertinens addi soleret: quod in Bibliis Italicè editis ante Concilium Tridentinum observavi. Verùm tantùm abest, ut Libro huic sacra apud Christianos constet auctoritas, ut quidam eum supposititium, & ex Josephi narratione confictum putent. In quibus sunt Ludovicus Vives in lib. XVIII. de Civ. Cap. XLII. Alphonsus Salmero Prolegom. VI. Leo Castrius Proleg. VI. in Isaiam. Etsi contra, eum probent Viri plures docti, in quibus Bellarminus lib. de Script. Eccl. Sed hi non de Auctore & Libro pugnant, sed de hoc quod nunc extat exemplari.

Alia quæstio est Josephi Scaligeri in Euseb. nu. MDCCXXXIV, qui suo more toti Antiquitati litem intendens, nullum Aristæi Scriptum, nullum Aristæum clamat: imposturam ac fraudem fuisse: frustra Josephum velle nos in eum errorem trahere, quo se

se miserè involverit. Librum ab Hellenistis fuisse suppositum, Alexandriæ id factum. Josephum, id non vidisse, non Eusebium, Hieronymum, Epiphanium. adde his antiquiorem Tertullianum in Apologetico, qui Aristæum velut omni exceptione majorem Ethnicis testem producit. Hoc tam secure, tàm constanter affirmat Scaliger, ut paratus sit Jovem lapidem jurare. Argumenta quibus nititur hæc sunt.

Primum quod Aristæus hic totius Interpretationis auctorem, & causam faciat Demetrium Phalereum, idque sub Ptolemæo Philadelpho. Atqui Demetrius Philadelpho semper infensus (quod Ptolemæo Lagi, sive Soteri ejus parenti suasisset ut fratrem ex noverca ei præponeret) ipso initio regni ejus in exilium amandatus ictu aspidis dormiens interemptus est, ut scribit Hermippus apud Laertium; atque adeo hanc Interpretationem curare non potuit. Deinde quod scribat è XII Tribubus electos pari numero interpretes, cum sciamus tempore Ezechiæ Regis Judæ in captivitatem abstractas esse Decem Tribus, quæ nunquam redierint. Neque in Judæa tempore Philadelphi alias tribus fuisse, quàm Judæ, & Beniamin. Postremò quòd Epistolæ Regis ad Eleazarum Pontificem aliæ tradantur ab Epiphanio, aliæ à Josepho, velut ex Aristæo.

Verùm hæc haud puto tanti esse debere, ut Scriptores gravissimos, & antiquissimos ea in re deceptos esse credamus. Nam tria hæc non difficile solvi posse mihi videntur. Ad primum quod attinet, miror Scaligeri judicium, qui cum retulisset Auctores vetustissimos, à quibus narratur Demetrius Phalereus sub Philadelpho curasse Librorum Sacrorum Interpretationem. Postea quod his unius Hermippi Berytii testimonium obstare videatur, non veretur omnes illos, unà fasce collectos, igni adjudicare. Atqui Hermippus iste Berytius quis tandem fuit? Barbarum nempè Mancipium, cui nulla solidior disciplina melioris famæ censum dedit, quam quòd à Tertulliano lib. de Anima C. XLVI egregius auctor somniorum traditur. Et fortè dum somnia inquirit, Demetrium quoque ictu aspidis dormientem dixit obiisse. Vixit autem is sub Adriano Cæsare discipulus Phi-

lonis

lonis Byblii, ut Svidas scribit. I nunc viri hujus ingenium turbulentum satis mirare, qui nobis unum Hermippum adversus antiquiores ingenuos, gravesque Auctores, eosque indigenas tam confidenter opponat. Primum enim Aristobulus Judæus Peripateticus ad Ptolemæum Philometorem scribens non longo intervallo post Philadelphum ita loquitur: *ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος φιλαδέλφου βασιλέως τοῦ προγόνου προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν Δημητρίου Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων*. *Omnium autem quæ ad legem pertinent Interpretatio sub Rege cui Philadelpho cognomen fuit progenitore tuo fuit, qui majus ad hæc gloriæ studium attulit: Demetrio Phalereo ista curante*. Si contra omnes omnium ætatum Scriptores, ac Patres hujusmodi teste potuisset usquam uti Scaliger, quos putatis triumphos egisset? Alexandriæ scribebat Aristobulus, ubi res peracta est; Hebræus erat genere, Græcè peritissimus, Regi Philometori scribebat Philadelphi Nepoti. Quid plus requiris ad fidem? His accedunt Philo itidem Alexandrinus, & Judæus, & gravis, ac doctus Josephus, quem Scaliger tanti facit, ut quidem Vossius ejus assecla scribit libro de Græcis Historicis, ut in exteris quoque rebus, omnibus aliis præferat. *Scaliger*, inquit, *in Prolegomenis ardui operis de Emendatione Temporum, censet ubique elucere Josephi & eruditionem, & fidem. in tantum ut non solum in rebus Judaicis, sed etiam in externis tutiùs ei credatur, quàm omnibus Græcis, & Latinis*. Nunc autem unus Hermippus pluris est, quàm Josephus, & simul Græci, Latini, Hebræi omnes. Denique Aristæus ille, quisquis est Josepho Hebræo antiquior est, & multo proinde Hermippo prior. Quid igitur? Somniavit hoc de Phalereo somniorum auctor Hermippus? Somniavit sanè, vel è jactatis hinc inde rumusculis improvide collecta vulgavit. Nam, & quem ille casu ictum à Serpente dicit, hunc Cicero pro Rab. dixit, *aspide ad corpus admota vita esse privatum*, non casu scilicet, sed jussu Regis. Itaque vel hinc falsus Hermippus deprehenditur. Quid autem quod neque Hermippum reiicere cogimur? is enim nihil diserte explicat de tempore, quo post initum

regnum Philadelphus in Demetrium conceptam indignationem exeruerit. Itaque tum Hermippi, tùm veterum omnium consentit auctoritas, si dicamus Demetrium eo tempore hanc interpretationem curasse, quo Philadelphus una cum patre Ptolemæo Lagi regnum administravit. Nam Lagus adhuc vivens Philadelphum collegam regni adscivit, ut Scaliger idem adnotat ex Theocrito, Laertio, & Scholiaste Theocriti. atque ita fieri poterit, ut Lago deinde vita functo Philadelphus Demetrium exilio, & morte multaverit. ac sic locus quoque Clementis Alexandrini facile explicabitur, quem eo nomine idem Scaliger exagitat. qui dubitat sub Lago ne id factum fuerit, an sub Philadelpho· ἑρμηνευθῆνουσι ϗ τὰς γραφὰς τάς τε τȣ νόμȣ ϗ τὰς προφητικὰς ἐκ τῆς τῶν Εβρείων διαλέκτȣ εἰς της Ελλάδει γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμοίȣ τȣ̃ Λάγȣ ἢ ὥς τινες ἐπὶ Φιλαδέλφȣ ἐπικληθέντος. *Ajunt autem, tùm legis, tùm Prophetarum scripta ex Hebraico sermone, in Græcum esse translata Rege Ptolemæo Lago, vel, ut ajunt quidam, eo qui Philadelphus est vocatus.* Nam cum utroque regnante facta esset, à quibusdam ad Lagum referebatur, ab aliis ad Philadelphum. Et apertissimè Anatolius item Alexandrinus in Canonibus Paschalibus utrique hanc Interpretationem tribuit ὅς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα κατιλεγμένοις τοῖς τὰς ἱερὰς ϗ θείας Εβραίων ἑρμηνεύσατι γραφὰς Πτολεμαίῳ Φιλαδέλφῳ ϗ τῷ τȣ́τȣ πατρί. *Qui cum esset inter Interpretes septuaginta, qui Sacras, atque Divinas Hebræorum Scripturas Ptolemæo Philadelpho ejusque patri interpretati sunt &c.* Carpit idem Scaliger S. Justinum Martyrem, & insignis oscitantiæ reum agit, quod dicat Herodem eo tempore in Judæa regnasse. Verùm ille si tam libenter Sanctos Patres tueretur, quam oppugnat, facile aliquid invenire potuisset, quod hic diceret. Vel scilicet alitèr explicandum locum, vel assumentum esse hoc, & glossema Justino additum. Alterum levius est. Nam quod abductas decem Tribus in Captivitatem sciamus, non facit quò minus putemus ex illis singulis senos viros eruditione claros Hierosolymis esse potuisse. Profert Scaliger ipsemet ex Evangelio Annam filiam Phanuelis è Tribu Aser, & Jacobi Epistolam ad duodecim Tribus scriptam, sed hæc

hæc tamen ſpernit. Certè Joſephus Mathathiæ, qui Hieroſolymis vixit, ac facile ſcire potuit, an è duodecim Tribubus Seni è qualibet mitti potuerint ab Eleazaro, id minimè fide indignũ cenſuit. Et Philo, S. Epiphanius, cæterique tùm veteres, tùm recentiores Hebræi, qui hoc referunt, non ignorantes illam decem Tribuum Captivitatem, nihil hìc abſurdi vident. Quin & fieri hoc in primis decuit. Nam etſi Philadelphus id ſuis literis diſertè non poſtulaſſet, quod fecit, æquum erat rem ad omnes pertinentem, omnium quoque conſenſu, ac ſtudio perfici.

Tertium denique nihil moramur. Nam S. Epiphanius quas prodit Literas, minimè ex Ariſtæo totidem verbis ſe producere ait. Sed finge Regis Epiſtolas diverſas à diverſis traditas. Finge Ariſtæi quoque varia exemplaria extitiſse diverſa. Num proinde nullus Ariſtæus fuit, nullus ejus Liber, nulla Legatio Philadelphi, nulla interpretatio? Illa quoque hìc ejuſdem Scaligeri calumnia eſt refellenda, quæ tùm loco eodem adnotatur, tùm ad rem eandem pertinet. Stomachatur enim graviter in eos, qui proximè Irenæum ediderunt, quòd hanc interpretationem Hebræis gratam accidiſse dicant. Cum ipſe è Kalendario Judaico protulerit, Judæos tàm graviter eam rem accepiſse, ut quotannis eam calamitatem indicto jejunio lugerent. Quod & rurſus in Canonibus Jſagogicis lib. III. repetens ad VIII. diem menſis Thebeth Judaici ad ea verba. *Jejunium. Scripta eſt Lex Græcè diebus Ptolemæi.* quod, inquit, *Jejunium indictum ſit quotannis ob Legem Græcè converſam ab Alexandrenſibus Judæis; quodque ob eam rem tenebras orbi terrarum incubuiſse dicunt, ſatis hinc oſtenditur, quam non volentibus Judæis Hieroſolymitanis ea Lex in prophanum ſermonem verſa fuerit. At clamoſi, & maledici Editores Irenæi ſcribunt tam gratum id fuiſſe omnibus Judæis, ut ſolemne ἐυχαριστήριον propterea inſtitutum ſit. An angarias, & jejunia, & tenebras argumenta lætitiæ putent, ipſi viderint, qui nigrum in candida vertunt.* At Scaliger candorem ipſum veritatis obſcurat, & ſepiæ inſtar atramenta diffundens puras aquas inficit. Gratam accidiſse Judæis Interpretationem hanc, non primi dixere quos lacerat Irenæi Editores: Philo dixit, Joſephus

dixit, Epiphanius dixit, Hebræi omnes. Epiphanii hæc verba sunt: ὀυτοὶ ᾗ δεξάμενοι τὴν ἐπιστολὴν καὶ τὰ δῶρα ἀσμένως καὶ διὰ χαρᾶς ἔχον σφόδρα. *Ipsi vero acceptis tùm Epistolis, tùm donis Regis, libenter summo gaudio affecti sunt.* Si tantum eis gaudium sola attulit postulatio, quantum perfecto jam opere sensisse æquum est? Illæ autem triduanæ tenebræ, ac jejunium illud, quid sibi voluerint, explicavimus paulo ante è R. Azaria: sollicitudo fuit, non ægritudo, ac mæror, quæ triduo jejunare coegit, ac precibus Dei opem poscere, atque iracundiam, si qua ob facinus hoc tentatum immineret, avertere. cæterum id jejunium minime perpetuum, aut ad posteros traductum testatur hodierna Synagoga, quæ nihil tale servat. Et R. Azarias vir in Hebraicis longe doctior Scaligero, qui proinde suo illo Kalendario imprudenter eo usque gloriatur, ut scribat, *Secundas ab historia Biblica obtinere, utpote quibus Judæi neque veriora, neque vetustiora historiæ monumenta habeant.* quod imperite scriptum esse Judæi omnes dicent. quin verba illa de tenebris triduanis in Kalendarium translata sunt è Ghemara, quæ tamen antiquissimus Hebraicorum librorum non est. Ilud quoque refellendum est, quod hariolatur occasione hujus versionis, Alexandrinos, ac cæteros Græcienses Hebræos perpetuis inimicitiis dissensisse à Hierosolymitanis, & hinc ortum habuisse murmur illud quod in Actis inter Græcos, & Hebræos refertur. *Propter hanc*, inquit, *interpretationem nunquam inter Hebræos, & Hellenistas bene convenit, & sanè quamvis quidam ex utroq; genere Judæorum nomen Christo dedissent, & ex illo Christianæ charitatis vinculo eorum animos coalescere, simultates veteres sopiri oportuerit; tamen fieri non potuit, quin inter* Ἑλληνιστὰς, & *Hebræos secundum priscam consuetudinem dissentiones orirentur. Actorum VI. v. 1.*, quæ sunt ægrorum somniis quam simillima. neque enim usquam legimus interpretationem hanc Hebræis Hierosolymitanis, & Græciensibus causam attulisse dissidii, quin placuisse utrisque, & probatam esse omnibus scribunt Josephus Hierosolymitanus, & Philo Alexandrinus Hellenista. ergo *ad Corvos*, cum istis insulsis adnotationibus, & suspicionibus.

TI-

TITVLVS XII.

Cleodemus Malchus.

CLeodemus Malchus Hebræus, ne an Syrus fuerit ignoratur: alterutrum autem fuisse, vel nomine ipso probatur. Hic fertur Historiam rerum Hebraicarum scripsisse magna ex parte ex Mose depromptam. de quo sic Alexander Polyhistor apud Josephum lib. 1. Ant. C. XVI. *Κλεόδημος ὁ Προφήτης ὁ καὶ Μαλχὸς ὁ ἱστορῶν τὰ Ιυδαίων καθὼς καὶ Μωσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν. ὅτι ἐκ τῆς Χεττούρας Αβράμῳ εγένοντο παῖδες ἱκανοὶ λέγει δὲ αὐτῶν δὲ γὰρ τὰ ὀνόματα.* *Cleodemus Propheta, qui & Malchus appellatur, quique Historiam scripsit Judæorum juxta ac Moses eorum legislator, ait Abrahamo aliquot filios ex Chetura natos esse, eorum etiam nomina dicens.* Sed verisimilius ex Josepho colligitur alienigena fuisse.

TITVLVS XIII.

Agathobulus.

AGathobulus Judæus Alexandrinus scripsisse fertur Græce Commentarios in Pentateuchum.

Meminit Anatolius in Canonibus Paschalibus. Non bene Sixtus Senensis existimat hunc fuisse Aristobuli Magistrum, ejus quem proximè post hunc citat idem Anatolius, Eusebio ejus verba referente *Αγαθοβύλυ τῦ ἐπίκλην διδασκάλυ, καὶ Αριστοβόλυ τῦ ἀπὸ Πανεάδος* *Agathobulo qui cognomine dictus est Magister, & Aristobulo, qui fuit è Paneade.* Cognomen hic tantum Magistri habuit, ac forte Hebraicè dictus est Rabi *κατ' ἐξοχὴν* uti & postea R. Judas Hakkados. Cum autem Græce in Sacras Literas com-

commentatus sit, apparet eum non fuisse Aristobuli Magistrum, sed in Sacrarum Literarum Interpretatione collegam. Hic enim è LXXII Interpretibus fuit, ante quos nemo Græce Sacras Literas explicavit. Adde collegas indicari ipsius verbis Anatolii, dum ait, *ἀμφοτέρων Ἀγαθοβούλου τε τοῦ ἐπίκλην* &c.

TITVLVS XIV.

Aristobulus:

Aristobulus haud levem eruditis ingerit quæstionem, iis enim omissis qui eodem nomine clari habentur, in quibus Aristobulus historicus Alexandri rerum Scriptor, cujus meminit Arrianus, & qui de rebus Indicis à Strabone profertur lib. XV. quique Italica scripsit Auctore Plutarcho in Demosthene: quæ forte omnia sunt unius Auctoris: ex Hebræis, de quibus agimus unus an plures clari hoc nomine indicentur ambiguum est. Loca quibus eorum mentio habetur hùc afferam. Eusebius lib. IX. de Præpar. locum ex Aristobulo Judæo citat. *ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς τὸν Φιλομήτορα. In primo eorum librorum, quos scripsit ad Pholometorem*, Idem in Chronico lib. II. Interprete B. Hieronymo. *Aristobulus natione Judæus Peripateticus Philosophus cognoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explicationum in Moysem Commentarios scripsit.* Clemens lib. I. Strom. eadem usurpat verba, quæ lib. IX. de Præpar. scribit Eusebius. Verùm contra, iisdem Auctoribus Eusebio, & Clemente, Aristobulus idem an alter? in longe priora tempora, reiicitur Ptolemæi Philadelphi. Sic enim Clemens lib. V. Strom. *Ἀριστοβούλῳ δὲ τῷ κατὰ Πτολεμαῖον γεγονότι τὸν Φιλάδελφον οὗ μέμνηται ὁ συντεταξάμενος τὴν τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομήν Aristobulo autem, qui sub Rege Ptolemæo Philadelpho vixit, cujus meminit Auctor Compendii Macbabæorum.* Eusebius verò præterquamquod Libro VIII. idem affirmat, quod Clemens libro quoque nono refert illa Anatolii Alexandrini verba, quæ cæperamus in Agathobulo

thobulo referre, & hùc transcribi rursum expedit ἀμφοτέρων Ἀγαθοβούλου τοῦ ἐπίκλην διδασκάλου, καὶ Ἀριστοβούλου τοῦ ἀπὸ Πανεάδος. ὃς ἐν τοῖς Ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρὶ καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσι. Utriusq; *& Agathobuli, qui cognomento Magister dictus est, & Aristobuli ex Urbe Paneade, qui cum esset è Cœtu Septuaginta illorum, qui Sacras Divinasq; Hebræorum Scripturas Ptolemæo Philadelpho, & Patri ejus interpretati sunt, Commentarium quoque in Libros Mosaycæ Legis iisdem Regibus obtulit*. Tertius esset (nisi quòd Clemens, & Eusebius volunt eundem esse cum Primo) Aristobulus ille, cujus meminit lib. II. Machabæorum in hæc verba scribens. ἔτους ἑκατοστοῦ ἐγδοηκοστοῦ καὶ ὀγδόου οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ καὶ ἡ γερουσία καὶ Ἰούδας Ἀριστοβούλῳ διδασκάλῳ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως ὄντι δὲ ἀπὸ τοῦ τῶν Χριστῶν ἱερέων γένους. *Anno centesimo octogesimo octavo, qui Hierosolymis sunt, & qui in Judæa, & Senatus, & Judas, Aristobulo Magistro Ptolemæi Regis, qui ex genere est Unctorum Sacerdotum*. In hac quæstione vulgatum est geminum Aristobulum dicere. Priorem qui è LXX fuerit, & utrique Ptolemæo Lagide, & Philadelpho libros suos dicarit, natus Paneade, quæ simul Cæsaræa Palæstina dicta est. Posteriorem, qui fuerit Alexandrinus genere, ac Magister alicujus è Ptolemæis; cujus & Lib. II. Machabæorum meminerit, qui & Commentarios ejusdem argumenti scripserit ad Ptolemæum Philometorem. Sic censent Sixtus Senensis, & Possevinus. At Scaliger suo more Patres calumniandi opportunitatem quærens, dum omnes ipse confundit, & cum omnibus pugnat, eos inter se, & secum ipsis confundi, & pugnare arbitratur. Atque eorum nescio quot hoc loco ἀντιλογίας, ἀνιστορησίας ἀναχρονισμοὺς *hallucinationes* deprehendit, quas facile est ex inita ratione diluere. Nam quòd negat eum qui Philometori libros suos dicarit potuisse ab Auctore lib. II. Machabæorum compellari; esto annus, quem locus ille Machabæorum indicat, quadraginta annis distet ab eo, quo Eusebius Aristobulum obtulisse libros suos Philometori scribit: at quid pro-

prohibet hunc ab eo librum anno vitæ suæ tricesimo scriptum, septuagesimo. autem eum à S. P. Q. Hierosolymitano libris illis compellatum? Nihil ergo facilius quam bonos Authores conciliare, si velis. Nihil etiam facilius, quam rixas inter eos miscere, ac lites de lana, ut ajunt, caprina excitare.

TITVLVS XV.

Ezechielus.

Ezechielus Alexandrinus, ut reor (iis enim maxime Judæis Græca eruditio cordi erat) Tragicus Poeta anno ab V. C. DCLXVII vixit, & Græcis carminibus Mosis gesta celebravit. Ejus celeberrimum Poema.

Ἐξαγωγή.

Idest *Eductio* à Clemente memoratur Strom. lib. 1. qui & plures ex eo versus recitat. Eusebius quoque Pamphili ejus meminit lib. IX. de Præpar. Evang. Federicus Morellus ejus fragmenta collecta edidit Parisiis anno 1590.

TITVLVS XVI.

Phocylides.

Phocylides, cujus extat carmen νουθετικόν ille non est (si Josepho Scaligero credimus adnotanti ad nu. MCCCCLXXX Eusebii) qui Theognidi æqualis floruit Olympiade LIX; sed aut ex Hellenistis Alexandrinis aliquis, idest Græcæ eruditionis sectatoribus, & linguæ alumnis Hebræis, aut certe ex Christianis: *Universa Poesis*, inquit, *hujus rei fidem facit, ut negari non possit, aut unum ex Hellenistis Alexandrinis fuisse, cujusmodi multi præstantissimi floruerunt sub Ptolemæis, aut quod vero proprius Christianum.* Argumenta verò habet hæc.

Pri-

Primum quod Phocylidis antiqui breves ſententiæ eſſent, *præeunte ſemper gnoriſmate hoc* καὶ τόδε Φωκυλίδου. *Et hoc Phocylidis*. quod in his non reperiatur. Hoc argumento quidem non moveor: nam Svidas non modo γνώμας Phocylidi tribuit, ſed ἔπη καὶ ἐλεγίας. *Heroica*, & *Elegias*. Alterum eſt quod ea, quæ veteres ex Phocylide citant, in hoc non reperiantur, ut quæ in Stobæo ſunt. quibus oſtenditur longe alius eſſe Procylides antiquus. At verò hunc eſſe vel Judæum, vel Chriſtianum docet allatis verſiculis, qui videntur è Moſis lege deſcripti. Sane Judæum, aut è Judæorum diſciplina loquentem arguunt illa quæ profert

> Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω
> Μητέρα δ' ἐπαρολίπη ἵν' ἔχῃ πάλι τῆς δε νεοττάς

Quod eſt manifeſte deſumptum ex Deuter. XXII. v. 6. & 7. *Si inveneris matrem pullis, vel ovis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios*. Et illud

> Μή κτήνεος θνητοῖο βορὴν κατὰ μέτρον ἔλησι
> Μηδέτι θηροβόρον δαίσῃ κρέας
> Λείψανα λεῖπε κυσί.

Quod eſt Exodi XII. & 31. *Carnem, quæ à beſtiis fuerit prægustata non comedetis eam, ſed proiicietis canibus*: Græce eſt. κρέως θηριάλωτον οὐκ ἐδέσθαι τῷ κυνὶ ἀποῤῥίψασθαι αὐτό. Et Levitici XXII. v. 8. *Morticinum*, & *captum à beſtia non comedent*. Græce θνησιμαῖον καὶ θηριάλωτον οὐ φάγετε eſt autem *Morticinum* idem quod κατὰ μέτρον θνητόν. & illud. κτῆνος δ' ἢν ἐχθροῖο πέσῃ κατ' ὁδὸν συνέγειρε. Quod apertiſſime eſt illud Exodi XXII. v. 3. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo*. Quem locum Exodi minime advertens Scaliger, ſed ad XX. Caput Deuter. v. 4. reſpiciens, ubi id non inimico præſtari jubetur, ſed fratri, conjecturam hinc duxit auctorem horum verſiculorum Chriſtianum fuiſſe, quippe qui Legem Moſis ex Evangelio ſupplerit. *Ex hoc*, inquit, *non Judæum, ſed Chriſtianum agnoſcas quum addidit*. ἐχθροῖο Sed quia non addidit, vanam reor ſuſpicionem, nec puto aliud

quam vel Judæum. vel è Græcis Proselytum. Id etiam probant, quæ de Resurrectione adnotat.

Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν εἰς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν' ἀποιχομένων.
Continuo è terris speramus lucis ad auras
Relliquias repeti morientum,

Et quod de immortalitate animæ.

Ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοιο
Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών
Sinceræ nimirum animæ post fata supersunt
Fœnus namque Dei nobis anima est, & imago.

Hæc inquam omnia nil aliud, quam Pharisæum probant. neque illud indicio est Christianum fuisse, quod dicat

ἀδίκως μὴ κρῖνε πρόσωπον

nam Scaligeri illa adnotatio solos Ecclesiasticos Patres ita usurpare vocem *προσώπου*, etiam veteres Judæi è Septuaginta Interpretum versione sic usurpabant. Cur autem minus, probabile censeam Christianum Poetam hunc fuisse, illud facit, quod nihil ille de Christo, nihil ex Evangelio habeat, nec facile prætermissurus fuisse videatur illos fontes, cum de moribus instruens ageret. Svidas notat Phocylidis sententias esse è Sibyllinis versibus furto sublectas *εἰσὶ δὲ καὶ ἐκ τῶν Σιβυλλιακῶν κεκλεμμένα*. De antiquo Phocylide credo illum loqui: & facile incidit suspicari, quis scit an duo Phocylides minime fuerint, sed unus qui ut è Sibyllinis, ita è Mosaicis utiles sententias collegerit. Quod vero Patres antiqui Clemens, & Eusebius præsertim qui veterum Poetarum Ethnicorum loca tam diligenter colligebant, in quibus aliquid ex Mose decerptum videretur, hæc præterierint, negat Scaliger se reddere posse rationem. Non nemo dicet id factum, ideo quod sciretur Phocylides nihil è sua sententia, sed ex alienis scriptis collecta edidisse.



TI-

TITVLVS XVII.

Lysimachus Ptolemæi F.

LYsimachus Ptolemæi F. Hierosolymitanus Interpretatus est Græce librum Esther, seu potius Epistolam de Festo Purim. Sic enim ad finem ejus libri Græca scribit editio. Ἔτυς τετάρτυ βασιλεύοντος Πτολεμαίυ καὶ Κλεοπάτρας εἰσήνεγκα Δοσίθεος ὃς ἔφη εἶναι ἱερεὺς καὶ λευίτης καὶ Πτολεμαῖος ὁ υἱὸς ὄω τῦ τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν φρυραὶ ἣν ἔφασαν εἶναι καὶ ἑρμηνευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίυ τῶν ἐν Ἱερυσαλήμ. *Anno quarto Regni Ptolemæi, & Cleopatræ, Dositheus qui se Sacerdotem, & Levitam esse dicebat, & Ptolemæus ejus filius intulerunt Epistolam hanc Purim, quam dixerunt esse eam ipsam, & versam à Lysimacho Ptolemæi F. Hierosolymitani.*

TITVLVS XVIII.

Jason Cyrenæus.

JAson Cyrenæus, quem probabile est Hebraice Jesum vocatum, ut solebant Hebræi Græca nomina Gentilitiis affinia sibi adsciscere, scripsit Græce historiam Hassamonæorum, seu Machabæorum libris V. & si libro II. Machabæorum capite II. non dicitur Græce scripsisse. Hæc enim de illo dicuntur. *Ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare; considerantes enim multitudine librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum, curavimus &c.* Fieri potest, ut & Græce, & Hebraice Jason scripserit. ejus quoque compendium utràque lingua collectum sit. Vixit sub Philometore AEgypti Rege Olympiade CL.

TITVLVS XIX.

Judas Essenus.

JUdas Secta Essenus res Machabæorum Hebraice libello complexus est, quem nonnulli putant eum esse, qui primus Machabæorum vocatur. Extat autem Hebraice nunc liber de rebus Machabæorum, sed longe posterioris Auctoris ex Josepho, & libris Machabæorum collectus.

TITVLVS XX.

Machabæorum Libri.

MAthathiæ Sacerdotis filius fortitudine, rebusque gestis longe clarissimus Judas, cognomine dictus est Machabæus, quod in Militari vexillo haberet inscriptum, *Quis similis tui in Diis Domine*. quod cum Hebraice scribatur מי כמוך באלהים יהוה contractè verò capitibus dictionum adnotatis מכבי inde Judas ipse dictus est *Machabai*, & ex Juda reliqui fratres: Ex quo cernere licet morem hunc, qui nunc Hebræis persamiliaris est, ut Virorum clarorum nomina plura contractè primis literis conjunctis efferant, ut *Ribaz*, R. Jochanan Ben Zachai, *Rasbac*, R. Simeon Ben Gamaliel, *Rasbi*, R. Simeon Ben Jochai, & multa hujusmodi, perantiquum esse, & aliquot annis Christo nato antiquiorem. Familiæ autem nomen perantiquum erat חשמונאי *Chasmonai* ex Avo Joannis, Mathathiæ Patris, Filii Simeonis, unde Hassamonæi Græcis, & Latinis hi omnes vocati. Eorum res gestas plurimos libris tradidisse verisimile est, gente Hebræa per id tempus Græcis studiis imbuta: id quod exordio librorum de Bello Josephus indicat.

cat. Nec videtur ab re suspicari id quoque significatum illis verbis II. Machabæorum 2. *Considerantes multitudinem librorum &c.* Verùm ex omnibus duo libri Sacram auctoritatem obtinuere qui Machabæorum vocantur. exclusis Tertio, & Quarto, quos inter Apocrypha reiicit Ecclesia. Horum duorum Hieronymus primum se vidisse dicit Hebraicum, alterum Græce scriptum, quod ex ipsa locutione constat. Et posterior quidem ex quinque Libris Jasonis Cyrenæi collectus est, Auctore ipso, id initio disertè scribente. Num autem prior Auctore Juda Esseno scriptus sit, ambiguum est. Nicolaus Serarius affirmat. Nec omninò certum est, an id compendium Librorum Jasonis Græce tantum, an etiam Hebraice fuerit editum. Credibile est utràque lingua id factum, sed qui Græce scriptus est ab Ecclesia in Sacrorum numerum est receptus. De Inscriptione veteri quæstio est. Origenes ait olim Libro titulum fuisse σαρβὴθ σαρβανὲ ἐλ. quod Scaliger interpretatur שער בית שער בני אל idest, *Porta Domus, Porta filiorum Dei.* Sed quia nullus est sensus iterum coniicit שרי בית שרי בני אל *Principes Domus Principes filiorum Israel.* Neque hoc satis feliciter. Et tamen solito fastu, velut ex tripode ait, *Indubitate assequimur:* Et: *Verba quidem intelligi, sed causam non capio, & miror Hebræos judicasse potuisse de secundo, & tertio Machabæorum, quos nunquam viderant Hebraice scriptos.* & postea. *Certus sum Judæos Origeni imposuisse, qui fortasse nunquam legerunt illa duo Machabaica Græca.* Sed neque certus esse poterat Hebræos hæc eadem non habuisse Hebraice, cum Josephus affirmet suæ Genti non defuisse antiquos horum bellorum Scriptores. neque illæ conjecturæ quas super eo titulo affert adeo sunt feliciter excogitatæ, quin plura, & forte meliora non magno studio proferri possint. Certe esset ad sonum Hebraicorum verborum, quæ refert Origenes, & ad sensum quoque aptius si quis putaret Syriace ita scriptum fuisse שרביטי שרבבא אל idest *Rami Cedri Divinæ.* Ac si stirpem Hasiamoneam Cedrum Dei vocaret, Ramos vero Fratres, qui ex ea prognati. Est hoc, ut reor, aptius &

sono,

ſono, & ſententiæ. Nec tamen aliud eſt, quàm conjectura... Græcus titulus. τὰ Μακκαβαϊκὰ licet ſecundum, qui apud nos eſt librum Clemen. lib. V. Stromatum vocet ἐπιτομὴν τῶν Μακκαβαϊκῶν. *Epitomen Machabaicorum*. Dixi Machabæum proprie Judam tantùm vocari, licet ex eo Fratribus quoque idem nomen adſcitum ſit, quibus idem Judæ vexillum hæreditate tranſmiſſum eſt. Quod verò notatu dignius eſt ſeptem quoque illi Martyres Sulamitidis, ſeu Salomonidis, ſeu Annæ (Alii enim aliter vocant) filii Machabæi vocantur, quod idem vexillum ſecuti, eandem cauſam hoc nomine ſignificatam fortius, quam Judas ipſe, defenderint. Quin Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 5., ut Scaliger idem notat, omnes qui eodem tempore accerbiſſimos ab Antiocho Rege cruciatus paſſi ſunt Machabæos vocari dixit διὸ καὶ τοῖς βασανισθεῖσι τὄνομα ἐξενίκησε. Μακκαβαῖοι γὰρ ἐκλήθησαν καὶ οἱ ἐν τοῖς Μακκαβαϊκοῖς χρόνοις τὰ ἀνήκεστα ὑπομεμενηκότες καὶ μὴ ἐξομωσάμενοι τοὺς πατρώους νόμους. *Hinc iis qui excruciati ſunt nomen additum eſt ad inſigne Victoriæ. Machabæi enim vocati ſunt illi etiam, qui Maccbabæorum ætate cruciatus intolerabiles pertulerunt, neque patrias leges abiurarunt*. Addit. Μακκαβαῖος γὰρ ἑρμηνεύεται ὅπερ παρὰ Πέρσαις κοίρανον τουτέστι δεσπότης. *Machabæus enim interpretatur, idem quod apud Perſas* χοίρανος, *ideſt Dominus*. Sic enim puto vertendum, ut putarit Iſidorus χοίρανον vocem eſſe Perſicam, quando & Cyrus Perſicè Dominus.

Eſt apud Hebræos Macabæorum Liber, quem ipſi vocant מגלת אנטיוכוס *Libellum Antiochi*. Hunc in Synagoga publice legunt feſto, quod apud eos *Chenucha*, ſive Dedicatio vocatur. Apocryphum eſſe conſtat, & plurima continere mendacia, quæ facile ex comparatione cum Sacris, ac veris Machabæorum Libris apparebunt. Quem in finem huc eum adſcribendum putavimus, rati ne impugnatione quidem egere, cum ea quæ affert ſecum ipſis magis, quàm cum Sacra Hiſtoria pugnare videntur.

§§§§§§§§§§§§§§§§

APO-

APOCRYPHUS MACHABAEORUM LIBER.

Ex Hebræo translatus.

ET factum est in diebus Antiochi Regis Græcorum, Regis magni, & fortis, erat hic late potens in ditione sua, & omnes Reges obediebant ei. Ipse subegit Provincias multas, & Reges potentes, & eorum Regias in vastitatem redegit, & palatia incendit igni, & viros in captivitatem, & custodiam dedit. Idem Urbem magnam condidit ad litus maris, ut esset ei Regia, & vocavit eam è sui nominis appellatione Antiochiam. Quin Bagaris etiam qui apud eum plurimum poterat, urbem ædificavit è conspectu alterius, & vocavit eam Bagarim è suo nomine, & sic vocantur ad hanc diem. Anno Regni ejus vicesimo tertio, qui est ducentesimus decimus tertius ædificationis Domus Domini, constituit ascendere Hierosolyma. & conversus ad Proceres suos dixit: Ecquid vos scitis esse Gentem Judæorum Hierosolymis, quæ inter nos est, verum neque Deos nostros colit; neque Religionem nostram servat. Quin Regia decreta despicit, ut suum dogma sectetur. En etiam incipient, cum primum aliqua defectio Regum, aut Principum nuntiabitur, dicere: Et quando Rex noster imperabit nobis, qui præsit mari, ac terræ; ita ut potestati nostræ subdatur totus Orbis? Omnino è Regia dignitate non est relinquere hos in superficie terræ. Agite, venite ascendamus ad eos, & abrogemus Institutum ipsis ritum Sabbathi, Neomeniæ, & Circumcisionis. Placuit sermo Principibus, & toti exercitui. Ea ipsa hora surrexit Antiochus, & misit Nicanorem è Primoribus suis cum exercitu magno, & copiis magnis, venitque in Urbem Juda Hierosolyma, editque in ea cædem magnam, & in Sanctuario ædificauit excelsum. Eo loco, de quo Deus

Israel dixit servis suis Prophetis, habitabo ibi, eritque sedes mea in sæculum. Ibidem immolarunt suem, & sanguine ejus resperserunt locum, in quo Sacerdotes immolantes stabant. Inter hæc cum audisset Joannes F. Mathathiæ Sacerdos Magnus, id factum esse; repletus est indignatione, & ira, & species oris ipsius immutata est. & cæpit consilium in corde suo quid posset ea in re fieri. Continuo is Joannes F. Mathathiæ fecit sibi gladium longitudine palmorum duorum, latitudine vero unius, & tectum illum habuit sub vestibus. Venit igitur Hierosolyma, & stetit ad Portam Regis, dixitque Janitoribus, ego sum Joannes F. Mathathiæ, veni ut accedam Nicanorem. Confestim Janitores, atque exploratores ingressi retulerunt, Sacerdotem Magnum Judæorum stare præ foribus, quibus dixit Nicanor, ingrediatur. Ita statim Joannes introductus est ad conspectum Nicanoris. Ac Nicanor ad Joannem versus: & tu, inquit, unus es ex rebellibus, & iis qui adversus Regem conspirarunt ne ejus imperata perficiant? Respondit Joannes Nicanori: Domine mi, Ego vero huc ad te veni nunc, id quod tibi placuerit, faciam. Subjecit Nicanor, ac dixit, siquidem paratus es, id quod velim facere, cape suem, & sacrifica eum in Excelso. Et statim indueris vestibus regiis, & in equum regium conscendes, erisque inter Amicos Regis. His auditis Joannes in hunc modum respondit. Domine mi, vereor ego Filios Israel, ne fortè ubi rescriverint me hæc patrasse, continuò me lapidibus obruant. Quamobrem semove omnes arbitros, ne fortè me prodant. Tunc Nicanor jussit omnes qui aderant recedere. Elevavit illicò Joannes Mathathiæ F. oculos suos in Cœlum, & precatiunculam dixit Deo suo in hæc verba. Deus meus, ac Deus Patrum meorum Abraham, Isaac, Jacob, ne des me obsecro in manus incircumcisi hujus; nam si me interfecerit, abibit hinc, & lætabitur in Templo Dagon Dei sui, ac dicet Deus meus tradidit eum mihi. Confestim tribus passibus ad eum accessit, & infixit gladium in Cor ejus, & impulit eum saucium in eum ipsum locum, ubi Sa-

Sacerdotes immolantes stant ante Deum Cæli. Aitq; Joannes. Mi Deus, ne id mihi tribuas sceleri, quod in Sancto eum occidi, quin idem facito cunctis gentibus, quæ cum ipso veniunt, ut vexent Judam, & Hierusalem. Subito egressus est Jochanan F. Mathathiæ his peractis, & pugnavit adversus copias Nicanoris, & cædem magnam edidit. Numerus cæsorum ea die fuit septingenta septuaginta duo millia, qui in conflictu perierunt. Cumq; ex pugna rediisset, erexit Columnam, cui & suum nomen imposuit, vocans eam, Quis similis tui in Diis Domine, necans fortes. Et factum est cum audisset Antiochus Rex Nicanorem ejus Ducem cæsum esse, in magnas se conjectum vidit angustias, jussitque advocari Bagarim scelestum gentis ipsius seductorem, & ad eum versus, ecquid scis, inquit, vel audisti, quod mihi fecerint filii Israel? Exercitum meum occiderunt; mea castra depredati sunt, & meos Principes. Quid ergo vos vestris opibus confiditis tamquam ea sint vestra domus, & propugnacula. Agite ascendamus in eos, & abrogemus eorum Instituta, quæ statuit ipsis Deus Cæli. Sabbathum, Neomeniam, & Circumcisionem. Tunc Bagaris scelestus venit Hierosolyma cum exercitu, & cædem magnam fecit, ac statuit in ea edictum, firmissimum contra Sabbathum, Neomeniam, & Circumcisionem. Cumque hæc fierent, & jussio Regis urgeret, inventus est vir circumcidens Filium suum. Eductus est vir, & uxor, & suffixi sunt in Crucem è regione infantis. Mulier etiam, quæ viro mortuo filium ediderat, & circumciderat illum octavo die, idque sic, ut in muros Hierosolymorum conscenderet, ac filium suum sua manu coram omnibus circumcideret. Et dixit: Ite dicite Impio Bagari, Pactum Dei nostri non abrogabitur in nobis. Sabbathum Neomenia, & Circumcisio, non auferentur ex posteris nostris. Hæc dicens Filium præcipitavit, & se ipsam. Atque ita mortui sunt ambo pariter. Plures autem è Filiis Israel eodem modo fecerunt illis temporibus, nec patrum instituta mutarunt. Illis temporibus Filii Israel mutuò consilium iniverunt. Venite habitemus in cavernis, ne forte cogamur violare Sabbathũ.

Delati sunt autem ad Bagarim. Continuo impius Bagaris misit viros expeditos ad pugnam, qui cum ad speluncæ aditum accessissent, dixere Judæis: Egredimini ad nos, ut ex pane nostro manducetis, & bibatis ex vino nostro, & nostris moribus vivatis. Responderunt Filii Israel, & dixerunt collatis vocibus: Memores sumus Dei qui in Monte Sinai præcepit nobis sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum, & die septimo quiesces. Atque adeo præstabilius est nobis in hac spelunca mori, quam violare diem Sabbathi. Quoniam igitur egredi recusabant, attulerunt ligna, & ad os speluncæ igne succenso eos occiderunt, ad mille inter viros, & mulieres. Post hæc egressi sunt Filii Mathathiæ Joannes, & IV Fratres ejus, & bella gesserunt cum gentibus, & stragem magnam in eis ediderunt, quia spem suam in Deo Cæli reponebant. Tunc Bagaris conscensa navi perrexit ad Regem Antiochum, & secuti sunt eum qui cædem evaserant. Retulit igitur Antiocho Bagaris in hæc verba: Tu Rex Edictum posuisti, ut abrogarentur Sabbathum, Neomenia, et Circumcisio ex Judæis. Conspiratio maxima inter eos suborta est, & aperta defectio. Si omnes gentes, & linguæ coirent, non prævalerent adversus quinque Filios Mathathiæ. Qui Leonibus fortiores, Aquilis velociores, Ursis pugnaciores sunt; Ergo consilio meo Rex utere, & nequaquam exiguis copiis adversus eos pugna, nam si id feceris pudore afficieris in oculis omnium regum. Quin scribe, & mitte epistolas ad omnes Regni tui Provincias, ut omnes Duces Militiæ, nemine desiderato conveniant, utque etiam Elephanti cataphracti, ac militibus onusti adducantur, secundum hæc rursum impius Bagaris missus est Hierosolyma. Ac tùm mœnia urbis diruit, portas extraxit è cardinibus, & Sanctuarium tredecim scissuris fregit. Ex lapidibus quoq; multos fractos redegit in pulverem. Cogitabat autem sic apud se. Hac vice non prævalebunt mihi. quin Exercitus meus, & robur meum ingens. At Deus Cæli non ita cogitabat. His auditis quatuor Filii Mathathiæ surrexerunt, & abierunt in Maspha Galaad, quo solebat ætate Samuelis Prophetæ confugere domus Israel.

Jejunium indixerunt, sederunt

runt in pulvere, ut exquirerent misericordiam à Deo Cæli. Tunc incidit in cor eorum consilium bonum. Erant Judas primogenitus, Simeon secundus, tertius Joannes, quartus Jonathan, quintus Eleazar. Quorum Pater iis benedixit, & sic ait. Juda fili mi de te fatebor, te fore sicut Juda filius Jacob fuit, qui comparatus est Leoni. Simeon fili mi, de te fatebor, te fore sicut Simeon Filius Jacob fuit, qui occidit habitatores Sichem. Jonathan Fili mi, de te fatebor, te fore sicut Jonathan Filius Saul fuit, qui occidit Philistinorum gentem. Eleazar Fili mi de te fatebor, te fore sicut Phinees F. Eleazari fuit, qui zelo Domini pollens Filios Israelis periculo exemit. Secundum hæc vaticinia, egressi quinque filii Mathathiæ illo die, pugnarunt adversus gentes, quarum maximam vim ceciderunt. & cecidit ex eis Judas. Eo tempore cum vidissent filii Mathathiæ cecidisse Judam, reversi sunt ad Patrem suum. Qui dixit illis cur estis reversi? Responderunt, quia Judas Frater noster interiit, qui inter nos omnes erat fama inclytus. Responditque Mathathias Pater eorum, & dixit, ego proficiscar vobiscum, & pugnabo adversus gentes. Ne forte pereat Domus Israel, & vos misceamini cum fratre vestro. Atque ita egressus Mathathias una cum filiis suis eo die. Et pugnavit cũ Gentibus. Ac Deus Cæli tradidit fortissimos quosque eorum in manus ipsorum, & ceciderunt eos magna clade. omnes tenentes gladium, trahentes arcum, Principes militiæ, & præfecti, ne uno quidem residuo perierunt. Reliqui vero fugerunt ad maritimas Civitates. Verùm Eleazar dum conatur Elephantem occidere, demersus est in eorum fimo. Proinde redeuntes. diù quæsitum, tandem fimo invenere demersum. Summa lætitia fuit filiorum Israel ob victoriam ex hostibus relatam. E quibus alios igne exusserunt, alios gladiis in frusta conciderunt, alios ex arboribus suspenderunt. Impium vero Bagarim totius Exercitus Seductorem Israelitæ igne exusserunt. Tunc Antiochus Rex cum audisset cecidisse Bagarim, & omnes Duces exercitus, & ipse conscensa navi ad maritimas Civitates fuga se contulit. & quocumque se conferebat, deficiebant ab eo, & vocabant eum Fugitivum. His peractis Assamonæi vene-

runt in Templum Domini, & portas dirutas instaurarunt, & fracturas refecerunt, & atrium Sacerdotale purgarunt ex cæde hostili, & immunditiis, & quæsiverunt oleum olivæ purum, & idoneum, quo possent candelabrum accendere, & non invenerunt, nisi Lecythum unum, qui erat obsignatus in pœnu Summi Sacerdotis, & cognoverunt esse purum, & idoneum. Erat autem quantum sufficere poterat uni diei. & Deus Cæli cujus nomen illic habitabat, dedit benedictionem, & octo diebus inde candelabrum accensum est. Quamobrem constituerunt Assamonæi constitutionem hanc, quam omnes filii Israel uno ore firmarunt, ut octo illi dies essent Lætitiæ, & Convivii, perinde ac dies Festi, de quibus in Lege præscriptum est. Lucernas quoque accendi jusserant, ad significandas victorias, quas illis tribuerat Deus Cæli. Neque iis diebus licere cuiquam Lugere, Jejunare, affligere sese, præter ea, quæ alias constituta fuerant. Solùm autem Dei laudibus vacare. Verùm Assamonæus, & filii ejus non præceperunt nullum iis diebus fieri opus. Ex eo tempore desiit gloria Regni Græcorum. Et filii Assamonæi assumpserunt Regnum, & eorum posteri usque ad secundi Templi excidium annis CCVI. Propterea Filii Israel ex eo die in omnibus locis, ubi captivi degunt, observant eos dies, & vocant eos dies lætitiæ à XV die mensis Casleu. Et usque in sæculum non deficient posteri eorum, qui fuerunt eo tempore in Domo Sanctuarii, Sacerdotes, & Levitæ, & Sapientes, qui constituerunt hæc super eos, & super filios filiorum eorum usque in Sæculum.

ATque hæc de Machabæorum rebus gestis. Ferebantur eorum nomine etiam scripta nonnulla, quæ prætermitti non decet. Ea sunt.

מקנות	Leges.
משוה	Traditio.
אגרות	Epistolæ.

Le-

LEges, quibus Hebraicam Rempublicam constituère, memorantur in Sacris Machabæorum libris. quin apud Hebræos eorum mentio est. ex quibus illud citat Scaliger בים דינו של סשמונאי גזרו על ביאח הנויה אפילו בצינעא בי קודם זה היה מוחר כדאיטא במצום קכב *Concilium Chasmonæi decrevit de Congressu cum Ethnica, etiam occulto. qui prius licebat, ut dicitur in Præceptis cap. CXXII.* Intellige de conjugio, quia Venus libera nunquam Dei Legibus permissa. Sed cum cohibita Esdræ temporibus licentia cum exteris connubia jungendi, paulatim gliscere cæpisset, iterum Machabæi lata lege sanxerunt nulli id licere. sed hoc quoque nomine in calumniam, & odium apud Ethnicos trahebantur. Tacitus lib. V. Histor. *Separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent inter se nihil illicitum.* Sed hoc est odium prodere.

Traditio sive *Misna* eorum nomine circumferebatur Epiphanii ætate, cujus verba in Mose retulimus.

Epistolæ in Sacris Machabæorum libris plures habentur.

TITVLVS XXI.

R. Jochanan F. Mathathiæ.

RJochanan F. Mathathiæ Hassamonæus Sacerdos Magnus, dicitur conscripsisse Tractatum, cui nomen fecit *Demai* דמאי, idest Dubia. Nam ob varia dubia, quæ incidebant in quæstione de Decimis visum est Sacerdoti Magno de re tota Librum conscribere. Quo Libro in omnem Israelem disperso, ut loquitur liber Juchasin הין נדהרין *fuerunt illuminati* circa totum negotium decimarum, sive primarum, quæ Levitis deberentur, sive secundarum, quæ per-

persolverentur Sacerdotibus. Erat autem his mos, ut Zoara vocarentur Literæ Sacerdotis Magni, seu Libri, quos scripsisset ad instituendum Israelem. Hinc etiam alii eo nomine libri editi, & postea Evodius & ipse Hebræus, qui Petro Antiochiæ successit, edidit Librum, cui nomen fecit *Phos*, Hebraicè *Zoar*, Latinè *Lumen*: Hunc morem imitatus falsus Propheta Mahometes Zoaras vocavit sui libri partes. Scripsit etiam Precationes aliquot ex iis, quæ in Synagoga canebantur. Ajunt & hoc Hebræi, ipsum in fine vitæ factum Sadducæum, Juchasin fol. 60. Sed intelligendum est Sadducæos non omnes iis fuisse erroribus imbutos, qui referuntur de hac Secta. Alioqui incredibile esset ullum è Sacerdotibus Magnis Sadducæum esse potuisse. Verùm ut erat nomen hoc à Justitia, & Sanctitate deductum, ita eos qui eam profitebantur, ejus rei quæ significabatur, studium professos existimare debemus. Et licet plerique Spiritum, & Resurrectionem negantes, infamiam huic nomini creasse videantur, illi tamen, qui erant in Sadducæis Catholici, non hæc omnino abnegabant, sed tantùm eam Resurrectionem, quam Pharisæi invehebant, quæ transmigrationis errore in aliquibus non carebat, & quæ afferebat fabulosas in adventu Messiæ futuras mortuorum exuscitationes. sicut & cùm spiritibus malis colloqui: & in universum nihil manifesti erroris eos docuisse censendum est, qui ante Christi adventum supremo Sacerdotio fungebantur.



TI-

TITVLVS XXII.

R. Elias cognomento Propheta.

ר׳ אליהו הנביא

R. Elias cognomento Propheta celeberrimus est ob illud vaticinium quod Hebræi capite Chelek, & in Aboda Zara cap. 1. recitant. ***Sex millibus annorum stabit mundus, duo millia vacuum, duo millia lex, & duo millia dies Messiæ.*** Quod non modo apud eos pro certo habetur, sed ex Christianis quoque Patribus non defuere qui eidem vaticinio fidem adhiberent. Justinus quæst. LXXI. ad Gentes, Irenæus lib. V. adv. Hæres c. vlt. Hieronym. in Psalm. LXXXIX. Augustinus lib. XX. de Civ. c. VII. Lactantius lib. VII, Instit. c. VII. Hilarius can. XVII. in Matthæum, aliique. Primum de hoc auctore quæri potest an is idem sit qui Elias ille clarissimus, & Sanctissimus? Nec dubium quin sit longe alius ab illo. quod Hebræi ipsi vulgarem in eo redarguentes, errorem scribunt, & R. Ghedolias sub tempora Nathai Arbelitæ, & Josuæ Ben Perahia, qui Rege Janai, sive Alexandro Hassamonæo vixère, hunc R. Eliam floruisse dicit, hoc se in antiquis Commentariis legisse affirmans. Disertè verò addit, ***nec dubium, quin non sit Elias Propheta.*** hoc est ille celeberrimus. Quamquam & hic forte à Sanctimoniæ, & sapientiæ fama dictus sit Hannabi, idest Propheta. Verùm neque hic facile assentiri possumus Eliam hunc tempore Nathai Arbelitæ vixisse. Primum enim Rabi vocatur, quod eo tempore non dum erat in more positum. Deinde nonnulli Janaim posteriores hac ætate in ejus libro nominantur. Sed procul dubio putandum est, quod etiam Hebræi confirmant, librum hunc ab Elia quidem dictatum, sed ab ejus discipulis exceptum, ac memoriæ mandatum, ut ejus temporis mos ferebat, quo nihil scripto mandari Hebraice

so-

ſolebat, ad legis explanationem, ac Traditiones pertinens. Poſt Judæ vero, qui Hakkados dictus eſt, tempora ſcriptum hunc librum ab ejus auditorum auditoribus. Quare id quod in Capite Chelek nomine ipſius citatur, in Abdia Zara profertur nomine diſcipulorum, ſeu quod idem eſt, *Domus Eliæ*. Sed hic rurſum alia quæſtio, quo pacto Judæi poſt Chriſti tempora auſi ſunt vaticinium hoc Eliæ proferre, cum jam quatuor millia annorum elapſa eſſent, nec ipſi Chriſtum veniſſe fateri vellent? cui objectioni ea futura eſt apta reſponſio, ſi dicamus Hebræos ſtatim à Chriſti Aſcenſione ad eludendas Hebdomadas Danielis, & hoc Eliæ vaticinium, excogitaſſe novam ſupputationem temporum, qua Regum Perſarum anni de medio ſublatis, duobus ſæculis contractius mundi ævum facerent. atque adeo quartus mundi millenarius eorum ſupputatione non ante Chriſti ducenteſimum, & quadrageſimum clauditur. Probabile igitur eſt circa Chriſti annum ducenteſimum hoc vaticinium Eliæ prolatum à Judæis ea ætate Meſſiam ſperantibus. Cum autem id quoque tempus eſſet elapſum, tùm denique à Concinnatoribus Ghemaræ addita eſt frigida illa appendix, quæ illic legitur זבעוונותנו שרבו יצאו מהם מהשיצאן, *& ob ſcelera noſtra, quæ multiplicata ſunt exceſſerunt ex illis, qui exceſſerunt.* Editus eſt liber Seder Eliæ Venetiis in 4. ann. Mundi 5358., ideſt Chriſti 1598.

T I T V L V S XXIII.

Demetrius.

DEmetrius Hebræus genere, patria, ut videtur, AEgyptius fuit. Hujus Clemens Alexandrinus meminit, *qui in ſimilitudinem Joſephi* Αρχαιολεγίας *Moyſi, & Judaicæ Gentis aſſeverat*, ut ſcribit Hieronymus in Catalogo in Clement. quod Euſebius quoque memorat, auctorem vero legiſſe neuter videtur, ſed Hebræum fuiſſe uterque adnotat. Verùm Joſepho priorem fuiſſe

fuisse indicat Clemens lib. 1. stromatum Διμήτριος ἢ φησὶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων τὴν Ἰούδα φυλὴν καὶ Βενιαμὶν καὶ Λευὶ αἰχμαλωτισθῆναι ὑπὸ τοῦ Σεναχηρεὶμ ἀλλ' εἶναι ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ταύτης εἰς τὴν ἐσχάτην ἣν ἐποιήσατο Ναβουχοδονόσορ ἐξ Ἱεροσολύμων ἔτη τριακόσια τριάκοντα ὀκτὼ μῆνας ἕξ. ἀφ' οὗ δ' αἱ φυλαὶ αἱ δέκα ἐκ Σαμαρείας, αἰχμάλωτοι γεγόνασιν ἕως Πτολεμαίου τετάρτου ἔτη πεντακόσια ἑβδομήκοντα τρία μῆνας ἐννέα. ἀφ' οὗ ἢ ἐξ ἱεροσολύμων ἔτη τριακόσια τριάκοντα ὀκτὼ μῆνας τρεῖς. *Demetrius verò libro de Regibus Judeę ait, Tribum Juda, Beniamin, & Levi minime adductam in captivitatem sub Senacherib Rege. sed ab ea captivitate ad extremam, quam Nabuchodonosor Hierosolymis intulit, intercedere annos trecentos triginta octo, menses sex. Ex quo autem decem Tribus è Samaria captivę factę sunt, usque ad Ptolomęum IV annos DLXXIII, menses IX. Ex captivitate verò Hierosolymorum annos CCCXVIII, menses III.* Unde arguitur hic author vixisse temporibus Ptolemæi IV.

TITVLVS XXIV.

Eupolemus.

EUpolemus ab eodem Hieronymo una cum Demetrio ex Clemente memoratur, Hebraici generis clarus Scriptor, argumento ab Josephi libro non abludens. *Nec non*, inquit, *è Judæis Aristobulum quendam, & Demetrium, & Eupolemum Scriptores adversus Gentes refert, qui in similitudinem Josephi* ἀρχαιολογίας *Moysi, & Judaicæ gentis asseverant*. Sophronius interpres clarius omnes Ἰουδαίους vocat. Non ergo is est Eupolemus, quem citat Josephus lib. 1. contra Apionem, quem inter Ethnicos reponit. *Phalereus sane Demetrius, & Senior Philo, & Eupolemus non multum veritate frustrati sunt. quibus dari veniam dignum est; non enim inerat eis, ut nostras literas possent omni scrupulositate sequi*. Neque eis videtur esse cujus τακτικά celebrat Ælianus libro ejusdem argumenti cap. 1.

Vvu Quor-

Quorsum enim ista Judæus? aut quo exemplo? Sed an ille de quo Clemens lib. 1. *Eupolemus*, inquit, *Primo de Regibus Judeæ Mosem primum fuisse sapientem, & grammaticam primam tradidisse Judæis, & à Judæis accepisse Phænices, & à Phænicibus Græcos.*

TITVLVS XXV.

Jonathan F. Vzielis.

JOnathan F. Uzielis, quē Jesu Syrach filiū faciunt, maximus inter Hillelis auditores Sapientiæ, & Sanctitatis opinione à Judæis habetur, cum enim tres ordines statuant inter octoginta præcipuos Hillelis auditores, ut eorum triginta summi simillimi fuerint Mosi, ac digni, ut ajunt, ad quos Divina Majestas descenderet, triginta infimi similes Josuæ, ac digni quibus Sol, & Luna obtemperarent, reliqui viginti medii inter utrosque, inter summos supremum faciunt Jonathanem hunc, adeo ut R. Abraham Zachut in Juchasin fol. 19. de eo dicat אין קץ לתבונתו *Non erat finis intelligentiæ ejus.* Galatinus lib. 1. cap. III. ait eum totum Vetus Testamentum Chaldaicè vertisse, *Jonathas*, inquit, *Uzielis filius, Hillelisq; auditor, & Simeonis Justi, qui Christulum Infantulum suscepit brachiis condiscipulus totum vetus Instrumentum in Chaldæam vertit linguam., atque exposuit, ita sensum è sensu traducens, & ita obscurissima quæque exponens vocabula, ut quæcumque de Messia dubia, & latenter scripta erant, certa atque clarissima reddiderit; adeo ut ejus editio non tam interpretatio, quam glossa, atque expositio videatur, quam Hebræi Targum, id est Translationem nuncupant. Tantæque apud eos est auctoritatis, ut non solum ei contradicere nemo audeat, sed non minus quoque fidei, quam ipsi textui passim omnes adhibeant, tùm ob viri Sanctitatem, ac peritiam, tùm maxime ob ipsius interpretationis, expositionisque ve-*

veritatem, ac deinde addit *Totam procul dubio Bibliam Jonathas in Chaldæum transtulit: sed translatio ejus in Pentateuchum rarissima est, idcirco ab iis qui eam non viderunt negatur. Ego verò ipsam semel vidi, quæ sic incipit* מן אולא *ea autem, quæ Ankelos est sic* בקדמין. *Editio quoque ipsius Jonathæ in psalterium pænes paucissimos est, quam qui habent pro viribus occulunt, propter Mysteria Christianæ fidei, quæ continet*. Sed quò ad Jonathanis Translationes, constat quidem ab eo Prophetas Chaldaice redditos. De reliquis vero duabus Veteris Testamenti partibus Pentateucho, & Agiographis non modo non est procul omni dubio earum interpretationem ab eo non editam, sed Veterum sententia, & Hebræorum consensu negatur. Nam in Tractatu Meghilla cap. 1. fol. 1. sic dicitur. *Thargum legis Onkelus proselytus composuit. Targum Prophetarum Jonathan Uzielis filius fecit, quod ab eo cum fieret commota est terra Israel ad quadringenta millia passuum, egressaq; est vox, quis iste, qui secreta mea revelat filiis hominum? Stetit Jonathan filius Uzielis super pedes suos, & ait, Ego sum qui tua secreta revelo hominibus. Notum, ac manifestum tibi est, me id non fecisse mei bonoris studio, neq; gloriæ parentū meorū, sed tuæ tantum gloriæ, ne dissentiones multiplicarentur in Israel. Verùm postea cum cuperet edere Thargum in Agiographa, exiit vox, quæ illi dixit sufficit tibi. Cur? quia in illis dicitur Finis Messiæ*. Targum ergo in Pentateuchum, quod extat Jonathanis nomine, supposititium esse Judæi omnes fatentur; licet ejus nomine editum Venetiis, & alibi publice etiam in Synagogis legatur. Non esse autem Jonathanis, præter hoc testimonium Ghemaræ, à quo Judæis discrepare non licet, ipsa dissimilitudo styli devincit. Sunt qui illam Theodotioni tribuant, cum sit idem Hebraice Jonathan, quod Græce Theodotion. Targum verò Jonathanis in Agiographa nullum extat, quod sciam. Neque Elias, qui omnia Thargumim diligenter evolvit, neque ullus alius, quem viderim eum citat. Nimium quoque laudatur à Galatino Jonathanis Interpretatio, quam pluribus locis jure reprehendi

constat. Sanè Card. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 3 *Chaldaicæ Paraphrases*, inquit, *ea excepta, quæ est in Pentatheucum, quæ Jonathæ non est, sed Oncheli Judaicis fabulis, & Thalmudicis nugis refertæ sunt*. Quod verò ad Jonathanis Sanctitatem, aut Sapientiam attinet, nihil ei detractum volumus; quem nì potiùs laudari æquum est, cùm ante Christum natum vixerit, & apud suos tàm benè audiat. Quamquam prodigia illa, quæ narrant, fabulis viciniora, quàm vero videantur. Ut quod in Bava Bathra scribitur, illo lucubrante, ne Muscam quidem usquam circa ipsum visam, quàcumque enim advolitarent, splendore vultus exurebantur.

TITVLVS XXVI.

Auctor Libri Sapientiæ.

בעל חכמחא רשלמה

Quemadmodum certum est librum Sapientiæ, qui nùnc habetur Sacrum, atque Divinæ auctoritatis esse, sic dubium est quis ejus Auctor fuerit. Duæ vero sunt celebriores Scriptorum sententiæ. Prima Salomonem adstruit, quam tuentur Salmero, & Sixtus Senensis, cui nonnulla favent. Primo vetus inscriptio Libri, qui apud Græcos inscribitur; σοφία Σολομῶντος, & apud Latinos olim inscribebatur *Sapientia Salomonis*. Deinde quod liber ipse loquatur ex persona Salomonis, ut cap. IX. *Tu Domine elegisti me Regem populo tuo, & dixisti me ædificare Templum Tibi*. Tertio quod Ecclesia feria IV. Pentecostes canat, *Dixit Salomon filio suo, diligite Justitiam qui judicatis terram*. Quarto quod plurimi ex Patribus tribuant sententias hujus libri Salomoni, easque nomine ipsius citent. quin fere omnes paucis exceptis (ut Hieronymo) quoties res poscit, hunc librum Salomoni adscribunt. Posterior verò sententia Philonem hujus libri Auctorem putat, quod pluribus tribuit Hieronymus,

&

& passim recentiores sequuntur. Qua in re quædam sunt à nobis statuenda. Primum non videtur hujus libri, qui nunc habetur Scriptor fuisse Salomo. Nam primò, cum is non extet Hebraicè, nec fuerit in Canone Esdræ, videtur aperte indicari Esdræ tempore non fuisse. Deinde constantior est veterum sententia, tres tantum Sacros Libros à Salomone scriptos Proverbia, Ecclesiasten, & Cantica. Secundò dicendum est Libri hujus sententias plerasque omnes esse Salomonis, aut ore traditas, & successione Sapientum ad posteros translatas, aut Commentariis aliorum, aut Ipsius, longo tempore servatas, aut certe huic Auctori divinitus inspiratas. Nam hoc videtur significare communis Patrum consensus, & Liber ipse, qui Salomonem Auctorem præfert. Tertiò certum mihi videtur hunc Librum non esse Philonis illius qui post Christum floruit. Idque primùm styli argumento. Nam Philo scribit elegantissime, adeout cum Platone Atticissimo certet, ac proverbio locum fecerit ἢ Πλάτων Φιλωνίζει ἢ Φίλων Πλατωνίζει. hic autem scriptor, ut reliqui Sacri, Græcam elegantiam sæpe etiam, & proprietatem verborum negligit. Deinde quia si liber hic esset Philonis, & post Christi, & Apostolorum tempora scriptus, non esset cur Veteri Testamento potius, quàm novo adjungi debuisset. Quartò, quia vel Philo Christianus fuit, ut quidam putant, & tùm Liber hic cum ab Apostolis pro sacro receptus sit, profectò cum ipso Auctoris nomine receptus esset: hoc enim maxime ad surgentis Ecclesiæ auctoritatem facere poterat, si Philo tantus auctoritate, famaq; sapientiæ, Christum sequi diceretur. Vel Christianus non fuit, & quis putet hominis in Christum credere nolentis, & proinde impii Librum in Sacrorum Librorum Canonem ab Apostolis relatum? Quintò quia cum ex hoc Libro Testimonia usurpat Ecclesia pro Christo, & illa præsertim, quæ de Passione Christi in eo dicta sunt Capite 2. *morte turpissima condemnemus eum, si enim est vere filius Dei, eripiet illum &c.* Si scripta essent post Christi mortem, non haberent vim ullam, & velut vaticinia post factum potius riderentur à Judæis. Postremò legatio illa Philoni demandata à Judæis ad Cajum Cæsarem eo tempore, quo illi maxime

in

in Christianos infensi erant, non finit me credere Philonem Christianum fuisse. nunquam enim homini, quem nomine religionis exosum haberent, legationem in causa religionis commisissent. Sed de Philone postea. Quòd verò attinet ad Philonem alterum antiquiorem Christo, qui tempore Ptolemæi Philadelphi vixerit, ac librum hunc scripserit, quam sententiam Genebrardus secutus est in Chronologia, non facile adducor ut ei subscribam, duas maxime ob causas. Primo quia hujus Philonis apud Hebræos, & exteros antiquos nulla est memoria, & videtur à recentioribus excogitatus hac tantùm conjectura. quod cum Philonem libri Sapientiæ auctorem legerent, nec posset id satis apte tribui Philoni, qui Cajo Cæsare vixit, antiquior aliquis inductus est, cui ea persona congrueret. Certe Genebrardus, aliiq; hujus opinionis auctores nullum è veteribus citant qui Philonis hujus antiquioris meminerit. Secunda causa est, quod videar mihi totius hujus erroris originem indagare. nam cum Salomo inter alia nomina Hebraica vocetur Jedidia ידידיה, idest *Dilectus Dei*, quod nomen Græce reddi solet *Philo* (quare, & Philonem Alexandrinum Hebræi non aliter vocant, quàm Jedidiam, ut R. Azarias sæpe in suo Meor Enaim) forte accidit ut cum liber nomen *Jedidiæ*, ideſt Salomonis præferret, ab aliquo pro Salomone, redderetur Philo. Quamquam parum refert quo nomine sit vocatus qui librum hunc scripsit, & siquidem tot Scriptoribus, ac tam antiquis placuit eum Philonem vocare, non est operæ pretium adversus eorum consentientem auctoritatem niti velle. fuerit Philo aliquis, fuerit ut Genebrardus putat è LXX Interpretibus, quamquam tutius eos loqui puto, qui non constare de auctoris tempore, aut nomine dicunt. Adrianus Finus lib. 6. Flagelli Judæorum cap. III. ait eum ex amicis fuisse Salomonis, quod minime verosimile est, cum tam antiquus liber non videatur esse. Augustinus aliquando putavit eundem hujus, & Ecclesiastici auctorem esse, cum idem fermè stylus, eadem materia, & idem apud Patres plerosque sit nomen. nam uterque liber apud veteres Πανάρετος vocatur. imo & quoties lectiones

ctiones ex libro Ecclesiastici leguntur in missa, titulus est, *De libro Sapientiæ*. Sed Augustinus cum hoc lib. 1. de Doctr. Christiana c. 8. dixisset, postea retractavit lib. II. Retr. c. 4. Redeo igitur ad id, quod mihi tuto dici posse videtur sententiam libri esse Salomonis. Phrasim non esse Philonis Alexandrini Philosophi, ætatem libri videri vetustiorem Philone, recentiorem Salomone, & Esdra. De nomine auctoris nihil constare.

Qua lingua liber hic scriptus sit quæri potest. Græce scriptum ait Genebrardus anno M.3860. *Jesus Ben Sirach Ecclesiastici Scriptor, & Philo auctor Sapientiæ duos illos libros reliquerunt, ut Spiritu Sancto dictante Epitomen Bibliorum Græce Græcis exhiberent. Neque enim necesse fuit, ut Libri Sacri Hebraice conderentur, postquam Ecclesia sub Paganis vivere cœpit.* Sed quemadmodum de Ecclesiastico certum est eum Librum Hebraice scriptum, & longo post tempore à Nepote Auctoris in Græcam linguam versum; ita vix dubium esse potest hunc etiam Librum Hebraice primùm scriptum, deinde Græce versum. Nam & stylus tàm Hebraicus est, ut vix credibile sit aliquem Græca lingua scribere aggressum ita orationem confirmasse, nisi Hebraicam phrasim sequi cogeretur ex illa in Græcum sermonem Librum transferens. Verùm cũ dico Hebraice scriptum, intelligo ea lingua, quæ tum Hebræis in usu erat, Syriaca, vel potius Hierosolymitana, quæ multò erat comptior: Ne verò id cuiquam esse possit obscurum, en insigne fragmentum duplex Libri hujus ea lingua, qua primùm scriptus est, à me repertum in Præfatione Commentarii R. Mosis Nachmanidis in Pentateuchum. Id quia stylum Auctoris ostendit, huc transcribere volui. Titulus Libri est.

חכמתא רבתא דשלמה	*Sapientia magna Salomonis.*

Ex quo hæc citat.

לא ממתום הות תולדתא למלך או לשליט דחדין מעלנא	*Non est melior Nativitas Regis, aut Principis, simul*

מעלנא דכל בר נש ומ־
פקנא שויאת חדיו מטול
כן צלית ואיתיהיבת לי רנ־
חא דחכמתא וקרית וא־
תית לי רוחא דאידעתא
צבית בה יתיר מן שבטא
וכרסותא .

simul exitus cujusvis filii hominis, & introitus æqualis pariter. Idcirco oravi, & venit mihi spiritus Sapientiæ, & vocavi, & venit mihi Spiritus Intelligentię, & complacui mihi in illo plusquam in sceptris, & soliis.

NOstra vero Interpretatio sic habet: *Nemo ex Regibus aliud babuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientię, & prepofui illam Regnis, & sedibus.* Nec multo post idem R. Moses longius fragmentum citat in hæc verba.

והוא דיהב אידעתא דלא
לגלותא למידע היכן קם
עלמא ועבדיהו רמזאלתא
שוריא ושולמיא ומיצעת־
הון דזמני שולחפי דזנבו־
תא יד והיכן עב זמני
רהיטיהון דשמיא וקבעין
דכוכביא מתנא דבעידא
וחימו דחויאתא עוזיהון
דרוחי

Et ipse dedit scientiam, quę non est falsa ad sciendum ubi stat Mundus, & operationes signorum, Principia, & Fines, & media temporum, angulos caudarum, ubi, & quomodo faciunt tempora, Cursus Cælorum, & con-

דרוחי ומחשבתהין דבני אנשא בנסי דנצבתא וח־ליהון דעיקרי כל מרעם דכסי וכל מרעם דגלי ידעית

confirmationes Stellarũ, humores jumentorum, & iras ferarum, & vires ventorum. Cogitationes filiorum hominũ, applicationes plantarum, & virtutes radicum, & omnem rem absconditam, & omnem rem apertam didici.

HÆC R. Moses ex libro Sapientiæ quem sua quoque ætate arcanum significare videtur, dum se ejusmodi librum vidisse, velut rem non omnibus visam adnotat. Cæterum Picus Mirandulanus ejus Libri meminit, ut in Salomone recitavi. Sed cum Librum minime vidisset, erravit putans alium esse ab eo, quem nos habemus: repetam & hic ejus verba. *Extat*, inquit, *apud Hebræos Salomonis illius cognomento Sapientissimi Liber, cui Sapientia titulus, non qui nunc in manibus est Philonis opus, sed alter: Hierosolymitana quam vocant secretiore lingua compositus. in quo vir naturæ rerum, sicuti putatur, interpres, omnem se ejus Libri disciplinam fatetur è Mosaica Legis penetralibus accepisse.* Est omninò hic idem Liber Sapientiæ quem nos habemus. Et quem Hierosolymitana lingua scriptum nobis exhibet R. Moses Nachmanides: atque è lingua Hierosolymitana, qua scriptus est, licet coniicere non ante captivitatem, non in captivitate, sed Hierosolymis tempore secundi Templi scriptum fuisse. Quod verò ait eo Libro fateri Salomonem quicquid Sapientiæ habuit, ex lege Mosis habuisse, id mihi argumento est Rabbinum, quo usus est Picus, nihil ex libro hoc Sapientiæ vidisse, aliud, quàm quod nos attulimus ex R. Mose Nachmanide. Ille enim eo loco multis conatur ostendere Salo-

monem e lege Mosis hausisse Sapientiam. Et ideo priorem locum recitat, in quo verba illa קריתי ואתית לי, quæ noster Interpres vertit *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*; ipse sic explicat *Legi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Utrumque enim significatur verbo קרא, & absolute indicatur lectio Scripturæ, quæ ideo vocatur מקרא. Nihil autem aliud Salomo legere potuit, quàm Pentateuchum. Ergo legisse ait se, & inde sapientiam hausisse, quæ postquam dixit Ramban, citat secundum locum, ac tùm addit hæc verba. *Hoc totum* (Sapientiam hanc) *Salomo invenit in lege, & in explicatione ejus, subtilitatibus ejus, literis ejus, punctis ejus,* (putat enim Ramban Puncta, esse Traditionem ex Mose) *ut dixi. Quare de eo scriptum est; & major fuit Sapientia Salomonis præ omnibus filiis Orientis significans eum fuisse doctorem illis in* קסמים ונחשים *Divinationibus, & Auguriis, quia hæc erat Sapientia eorum. Huc spectat, quod Rabbini nostri dixerunt, quæ erat Sapientia filiorum Orientis? Sciebant, & callebant* טייך *Auguria. Et in omni Sapientia AEgypti erat enim doctior ipsis in* כשפים, *idest Magia, & in* טבע העומח *Natura germinum quemadmodum apparet ex Libro de Agricultura AEgyptiorum* (עבודת המצריים) *eos fuisse peritissimos in arte inserendi. Hinc traditio Rabbinorum habet, Salomonem in terra Israel plantasse piper (Hebraice* פלפלין) *Quo pacto id fieri potuit nisi quia sapiens erat, & sciebat Radicem, ac fundamentum terræ. Cum enim scriptum sit ex Sion species decoris ejus: ex Sion scilicet velut ex fundamento, & Radice orbem surgere. Quare Sion vocatur* ארץ שתיה *Terra fundamentalis, in ipsa enim fundatus est Orbis. Salomo cum sciret quæ fibra, aut vena iret ex hac Radice in Aethiopiam illic plantavit piper, & statim retulit fructum. Nam ideo dictum est plantavi in illis arbores fructuum omnigenorum.* Hæc ille Judaice, idest Fabulose.

TI-

TITVLVS XXVII.

R. Nechonias Ben Hakkana:

ר׳ נחוניא בן הקנה

R. Nechonias Ben Hakkana dicitur Sanctitatis, & Sapientiæ fama fere equalium celeberrimus fuisse, vixit autem cum Hillele, & Samai, neque eorum auditor fuisse videtur. Juchasin pag. 20. vocat illum *Sapientem Magnum, & Sanctum*, & cognomine *R. Nechoniam Magnum*. Galatinus quæ de hoc R. Nechonia tradit unde hauserit non reperio; nam lib. 1. c. 3. postquam de R. Juda Hakkados dixit, hæc addit de R. Nechonia. *Quem paulo post R. Nechonias Haccanæ filius secutus, non ea tantum, quæ à Prophetis de Messia occulto tradita fuerant limpidissime patefecit, verum etiam se ab ejus adventu per quinquaginta tantum annos procul esse asseruit. Unde Haccanæ filio suo, quem Messiam ipsum visurum, & sperabat, & gaudebat, ut eum de Messiæ Mysteriis certiorem faceret Epistolam scripsit &c.* Errat autem apertè, dum statuit R. Nechoniam paulo post R. Judam Hakkados, cum hic multo post Christum vixerit, R. Nechonias verò, ut ipse ait, quinquaginta annis ante Christum. Mira de hoc Hebræi prædicant. Tract. Meghilla cap. 4. *Cum discipuli R. Nechoniam interrogassent, cujus rei merito tàm diuturnam vitam sibi à Deo concessam existimaret: respondit: Nunquam aliena ignominia mihi ipsi gloriam quæsivi, nunquam jui cubitum acceptæ à fratre injuriæ memoriam mecum ferens. De meo munificus fui.* In Tract. Berachot cap. 4. *R. Nechonias Ben Hakkana orabat brevem orationem in ingressu, & rursum in egressu Templi. Interrogatus cur id faceret? respondit in ingressu oro nequid scandali mei causa contingat, in egressu gratias ago.* Quæ vero essent eujus Orationes ibidem adnotatur, ex Baraitha, idest alia traditione.

Oratio R. Nechoniæ in ingressu Templi.

Sit voluntas tua Domine Deus meus ne accidat ullum scandalum propter me, & ne impingam in ullo verbo in lectione, seu quæstionibus Theologicis, & lætentur in me socii mei, nec dicam purum id, quod pollutum est, vel pollutum id, quod est purum. item, ut socii mei non errent, & ego læter in eis.

Oratio in exitu.

Gratias ago tibi Domine Rex meus, quod posueris partem meam inter eos, qui habitant in Templo tuo, & non inter eos qui vagantur per angulos Civitatis. Ego mane surgo, & ipsi mane surgunt, sed ego ad verba legis, illi ad verba inania. Ego laboro, & illi laborant, sed ego pro præmio, illi frustra. Ego curro, & illi currunt, sed ego ad vitam æternam, illi ad puteum interitus.

In Tractatu Aboth cap. 2. hæc sententia longe clarissima refertur R. Nechoniæ hujus. *Quicumq; recipit super se iugum Legis, ab eo tollitur jugum Regni, & jugum viæ Terræ: quicumq; autem abiicit à se jugum Legis, super eo decernitur, ut ferat jugum Regni, & jugum viæ Terræ.* Sensus est. Ab homine qui se Deo, ac Sacris Studiis totum tradidit, neque Reges obsequia exigunt, neq; Cives officia.(Via Terræ דרך הארץ est Italice *Creanze, Compimenti*): sed qui hac excusatione caret, is utrique servituti subiacet. Scripsit plurima, sed quorum ad me notitia pervenit, hæc sunt.

ספר הפליא או מן השמע האלהי Liber admirationis, seu de Divino auditu.

ספר האולם Liber Porticus.

בהיד Splendor.

ביאור על י׳ ספירות Explicatio Decem Sephiroth, idest ordinum Angelorum.

על מזמור השמים מספרים In Psalmum Cæli enarrant gloriam Dei.

אגדת הסודות Epistola Secretorum.

Liber *Admirationis*, *seu Admirabilis*, qui etiam *de Divino auditu* inscribitur, Commentarius est in primam Sectionem Geneseos, agens de Mundi Creatione.

Liber qui *Porticus* inscribitur fertur esse idem cum priore, sed ab aliis aliter citari. Neutrum enim extare arbitror.

Bahir, sive *Splendor*, Liber est mole quidem exiguus, sed qui à plurimis magni fit. Extat & seorsim, & cum Zohar impressus: quin & Zohar videtur scriptus ad ipsius imitationem, vel ut Commentarius, ea fusius explicans, quæ ille pressius tetigerat. Unde & nomen illius imitatur, Zohar enim est lux, ut Bahir.

Explicationem in Decem Sephiroth citant multi, sed Librum non vidi. Sic etiam in Psalmum *Cæli enarrant*.

Epistolam Secretorum à Galatino citatam, non vidi.

Ex Libro *Bahir* trahuntur argumenta pro antiquitate punctorum, ante illum Tyberiade Conventum Scribarum, in quo puncta instituta dixit Elias. Sed scilicet res facile conciliari potest. Nam antiquissima non dubito esse puncta, non tamen antiquam eorum in Sacris Libris scriptionem. Erant jam olim in usu, & memoria, sed serò Sacris Literis scripto addita sunt. Pronunciationem enim, quam solùm traditione priùs habebant, scripto constare voluerunt. Fertur & R. Hakkana ejus Pater scripsisse, cujus Librum se vidisse testatur R. Ghedolias: sed quia neque argumentum indicat, neque aliunde notum est, nihil addo.



TITVLVS XXVIII.

Samuel Parvus.

שמואל הקטן

SAmuel dictus est Parvus, Hebraice Katon ob venerationem Samuelis Prophetæ. quo ipso cognomento satis ejus apparet magnitudo, qui potuerit cum Samuele conferri, & ne illi par esse videretur Parvus vocari. composuit coram R. Gamaliele seniore ברכת המינים *Benedictionem Sectariorum.* I. *Maledictionem. Hic mortuus est ante excidium Urbis Hierosolymitanæ* (ait Juchasin fol. 21.) *& antequam fieret Nasi, idest Princeps gentis R. Jochanan F. Zachæi. Nam in ipsa morte vaticinatus est de R. Simeone filio Gamalielis, qui postea in ipso excidio interfectus est, & post cujus interitum R. Jochanan factus est Nasi,* seu *Princeps*: sed de eo aptius inter eos, qui post Christum vixere, dicetur.

TITVLVS XXIX.

Ananias F. Ezechiæ.

חנניה בן חזקיה

ANanias F. Ezechiæ Filii Garon, æqualis fuit R. Nechoniæ. variant autem exemplaria diversa nomen Patris, quem alicubi Ezechiam, alibi Helciam legimus. Vir Hierosolymis fama Sapientiæ, & auctoritate clarissimus fuit, apud quem duæ Scholæ Hillelis, & Sammai convenire consueverant, & de iis qui inter eos in quæstionem vocabantur disputare. Juchasin fol. 20. *In Cænaculo R. Ananiæ F. Ezechiæ Filii Garon plurimæ di-*

disceptatæ sunt quæstiones, & tùm decreta sunt Decem, & octo capita, seu puncta in quibus Secta Sammai prævaleret Hillelis sectæ. Non autem XXIV, ut scribit R. Moses Maymonides initio Commentarii in Tractatum Sciabath. Nam nusquam apud Veteres XXIV puncta numerantur, sed ubiq; XVIII. scripsit autem hæc.

מגלת תענית Tractatum de Pænitentia.

פירוש על יחזקאל Commentarium in Ezechielem.

DE Tractatu de Pænitentia, qui *Megbilla Tbaanith* Hebraice dicitur, & inter juris Hebraici volumina connumeratur, supra diximus. eam tribui pueris tribus Ananiæ, Azariæ, & Misaeli. Forte autem hujus Ananiæ fuit, & falso tributus est alteri Ananiæ. Juchasin ibidem זה החסיד כתב מגלת תענית שהיה מחבב הנסים ונראה לי שלא כתב כלה כמו שבדאה בפרקא קמאדר״ה

Hic vir sanctus scripsit Librum Meghilla Thaanith. erat enim diligens prodigia. Et mibi videtur non scripsisse hunc librum integrum, sicut apparet ex Tract. Ros Ha Sciana, idest de Anni initio, Cap. 1.

De Commentario in Ezechielem idem Juchasin ita scribit: ibid. הוא פירש סתרי יחזקאל והעלו לו שלש מאות גרבי שמן כדי שיאיר לו בלילה ודרשו והוא זכור לטוב *Hic exposuit Arcana Ezechielis. Et attulerunt ei trecentas olei mensuras ad nocturnas tenebras dispellendas, & explanavit eum. Hujus memoria ubiq; cum laude.* In Sciabath Cap. 1. legitur pag. 13. *Dixit R. Juda certe sit illius memoria in bonum, nomen ejus Ananias F. Helciæ.* (sic legitur hoc loco, alibi eadem Historia recensetur, & F. Ezechiæ dicitur) *qui nisi fuisset, abscondissent Librum Ezechielis; quia videbantur*

tur verba ejus opponi verbis legis: quid igitur cum eo actum est? Dederunt illi CCC. mensuras olei, sedit in עליה *Cœnaculo, seu domate (superiore parte domus) & explanavit illum.* Videtur hæc tanta olei copia ei necessaria fuisse non ad librum hunc privatis lucubrationibus explicandum, sed ad conciones, & explanationes habendas, quales inter Hebræos noctu pendentibus lychnis, ac tenebras pellentibus fieri solebant. Ut in Actis quoque Apostolorum exemplo ostenditur. Quæ verò illa fuerint, quæ in Ezechiele visa sint pugnare cum lege Mosis explicant iidem in Tract. Menachoth c. 4. pag. 45. *Ezechielis XLV. Hæc dicit Dominus in primo in una mensis accipies taurum perfectum, & purgabis Sanctuarium, Holocaustum pro peccato hoc. Dixit R. Jochanan. Locum hunc Elias explicabit.* (Scilicet quia ut R. Salomo ait, videtur hoc mandatum obstare Legi Mosis, quæ hujusmodi Sacrificium non præcipit) *R. Ase dixit, ego explicabo illum. Intelligendus est locus hic de Plenitudine* (Hebraice *milluim* מלואים sic autem vocatus est ritus octo dierum quibus Moses pro Aarone ministravit. octavo enim die Aaron consecratus est, qui dies fuit primus mensis Nisan) *ritus hic tempore Esdræ rursum celebratus est, & huc respexit Ezechiel.* Secundus locus *Ezechielis XLIV: Omne morticinum, & raptum, sive à volucre, sive à bestia non comedent Sacerdotes* (Hic locus obstare videtur Legi Mosis, quæ vetat hujusmodi Cibos comedi à quoquam Israelita. Hic autem dum soli Sacerdotes prohibentur edere, videtur cæteris indulgeri) *dixit R. Jochanan. Locum hunc Elias explicabit. Dixit Rabba. Ego explicabo illum. De Sacerdotibus necessarium erat dicere. Nam forte aliquis cogitare potuisset, cum liceat Sacerdotibus comedere* מליקה (idest avem non jugulatam, sed cujus spina ungue confracta fuisset) *forte etiam licere illis comedere morticinum, aut raptum, seu Nevela, & Terepha.* Hæc in specimen attulisse sit satis. Ejusmodi enim loca fertur Ananias explanasse.

TI-

TITVLVS XXX.

Cæcilius Callactinus:

CÆcilius Rhetor, Augusti ætate celebratur, quem Romæ docuisse ab ætate Augusti ad tempora Adriani scribit Svidas, sed nemini persuadet, cum anni centum inter hos duos Cæsares intercedant. De genere, & religione sic idem scribit: *ἀπὸ δούλων ὥς τινες ἱστορήκασι καὶ πρότερον μὲν καλούμενος Ἀρχάγαθος. τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος. Servili erat genere, ut quidam tradunt, & vocabatur ante Archagathus, eratque religione Judæus*. Neque cum religione Judæum dicit, genere abnegat; quin videtur hoc etiam indicare voluisse; nam post enumeratos ejus libros addit. *πῶς δὲ Ἰουδαῖος τοῦτο θαυμάζω Ἰουδαῖος σοφὸς τὰ Ἑλληνικά. Quo pacto autem Judæus hoc miror, Judæus in Græcis doctus*. Enim vero mirum non esset in Græcis doctum fuisse, si Græcus esset gente, Judæus tantum opinione, & Secta; at gente Judæum, Græca tàm exactè didicisse mirum est: quamquam non adeo mirum, ut hoc uno argumento id falsum probare potuerit Vossius lib. II. de Græcis Hist. C. IV. An magis mirum est Græca potuisse Judæum hominem scire, quam Phænicem, Libem, Syrum; atqui Philo Byblius, Juba Libs, Lucianus Samosatenus Græcarum rerum, & linguæ peritissimi fuere; ut alios prope innumeros omittam. Quid quod è gente Judaica Romæ floruit inter Mimos clarus Aliturus, cujus commendatione Josephus Aggrippinæ innotuit? Et quod genus est græcæ eruditionis, quod Philo ignoraverit? Quod verò addit Vossius *Non in AEgypto eum, aut in Judæa, sed in Sicilia, & Romæ vixisse*: quid refert,? tamquam sola Judæos haberet AEgyptus, quibus non modo Roma, sed totus orbis scatebat. Quod si velimus tantùm Religione Judæum dicere, fuerit ex iis quos *Colentes*, seu *Timentes Deum*, vocabant, quorum nominum crebra in Actis mentio, ut Cap.

XIII.

XIII. Paulus in Synagoga sic loquitur. *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite*. Et postea. *Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum*. vtrobiq; est, οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν Hebraicè יראים alterius vero vocis vsus est crebrior, ut ibidem: *Secuti sunt Paulum multi Judæorum, & colentium advenarum*, & Cap. XVI. *Lydia purpuraria, colens Deum*. & postea. *Disputabat in Synagoga cum Judæis, & colentibus*. Vetus inscriptio habet Metuentem Polæ in Istria.

AVR. SOTER ET.

AVR. STEPHANVS.

AVR. SOTERIAE

MATRI PIENTISS.

RELIGIONI IVD.

AIGAE METVENTI.

F.

DE Patria Cæcilii ambigunt. constat eum libris suis ita inscripsisse nomen Patriæ, Καικίλιος ὁ ἀπὸ τῆς καλῆς ἀκτῆς Sic eum citat Atheneus lib. VI. & XI. hinc eum pleriq; Siculum faciunt, quia ex Diodoro constet in Sicilia esse τὴν καλὴν ἀκτὴν Alii Atticum, quod idem nomen oræ Atticæ conveniat. Quid si conjecturæ quoque tertiæ sit locus? Joppe in Judæa, maritima ora est. ea vox Hebraice idem sonat, quod Græce καλὴ ἀκτή: fieri ne potuit, ut gentis exosæ, ac barbaræ dissimulanda origine Cæcilius hic voluerit ita patriæ nomen invertere, ut Siculus, vel Atticus videretur? Nomen quoque pristinum Tobias

esse


esse potuisset, quod est *Bonitas Dei*, seu *Prima Bonitas*, quod Græcè dici posset Arcagathus. Fieri quoque potest, ut Cæcilii nomen alludat ad nomen *Jun* עִוְרִי, quod simul Hebræum sonat (& si Beth scribatur) simul Cæcum. Atque in hac Cæcitatis Hebraicæ commemoratione mihi liber hic Tertius Archivorum Hebraicorum Veteris Testamenti opportuno claudatur

F I N E.



ADMONITIO
AD LECTORES HEBRAICOS.

SI quæ in Hebraicis occurrant sphalmata, Lector peritus hujus linguæ facile corriget, præsertim cum in Hebraicis nihil faciliùs sit, quàm ב pro כ, ד pro ר, ה pro ח, vel ת, & contra accipere.



NEAPOLI MDCCIII.
Ex novorum Charactérum Fusoria Officina Michaëlis Aloysii Mutii.

Superiorum permissu.

